VITAE S. PETRI DAMIANI S.R.E. CARDINALIS, EPISCOPI OSTIENSIS IN SEX LIBROS…

Digitized by Google

Digitized by Google

ized by Google

Digitized by Google

10·3·168

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITÆ S. PETRI DAMIANI S.R.E. CARDINALIS, Epiſcopi Oſtienſis IN SEX LIBROS DISTRIBVTÆ,

AVCTORE

IACOBO LADERCHIO

Congregationis Oratorij Vrbis Presbytero,

TOMVS SECVNDVS.

ROMÆ, Apud Petrum Oliuerium. M. DCCII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM
Tomi Secundi.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. *Caſſinenſe Cœnobium varijs dæmonum infeſtationibus vrgetur, ad quas comprimendas Petrus Damiani vocatur. Et quæ ibidem geſſerit.* pag. 1

CAP. II. *Alexandri iuſſu, quæ in Eccleſiaſticis monumentis aſſeruari debeant, & in primis Rodulphi, & Dominici Loricati Diſcipulorum ſuorum hiſtorias ſcribit. Quæ ipſi acciderunt, cum ad Florentinæ Eccleſiæ perturbationes ſedandas Legatus miſſus fuit. Eius epiſtola ad Florentinos.* 9

CAP. III. *Nonnullorum Scriptorum, & præcipuè Didaci de Franchis ſententia reijcitur. Petrus Damiani non egit contra Monachos Vallumbroſanos, ſed alterius Inſtituti. Admirabilis in hac Legatione eius prudentia, & iuſtitia commendatur.* 26

CAP. IV. *Theuzonis Eremitæ ſuperbiam inſectatur epiſtola ad ipſum ſcripta.* 36

CAP. V. *Ex epiſtola Petri Damiani reſipiſcit Theuzo, & quo tempore. Romam ad Synodum pergunt Monachi, vbi Epiſcopus Florentinus deponitur, &*

Chalcedonenſis Concilij Decretum contra Monachos renouatur. 46

CAP. VI. *Alexandro Pontifici, Ioannis & Tuderchini Cappellanorum Gotthefredi Ducis Hetruriæ hæreſes detegit.* 60

CAP. VII. *Petri Damiani Epiſtola ad Ioannem, & Tuderchinum.* 80

CAP. VIII. *In Romano Concilio agit contra Canonicos Regulares proprietarios.* 95

CAP. IX. *Decretum Alexandri Papæ contra Clericos, & Canonicos Regulares proprietarios, monente Petro Damiani. Eiuſdem epiſtola ad Canonicos Fanenſes. Clericalis Ordinis per ipſum reformatio. Apologeticum Monachorum aduersùs Canonicos ipſi falsò tribuitur.* 105

CAP. X. *In eodem Concilio Romano Petrus Damiani acriter in Nicolaitas inuehitur.* 114

CAP. XI. *Ad Eremum reuertitur, & Agnetem Auguſtam litteris ſolatur.* 127

CAP. XII. *In Alexandrum denuò inſurgit Cadalous, eique fauet Gotthefredus Hetruriæ Dux, qui demùm epiſtola Petri Damiani ad Alexandri partes reuocatur.* 134

CAP. XIII. *Alia Petri Damiani ad Henricum Regem epiſtola, & quæ in ea diuinitùs prædixit.* 144

CAP. XIV. *Epiſtola Petri Damiani ad Annonem Archiepiſcopum Colonienſem, & quo tempore conſcripta.* 158

CAP. XV. *Ab Henrico Rege Legatus mittitur ad Alexan-*

Digitized by Google

xandrum Anno Archiepiſcopus Colonienſis. Propter epiſtolam ad ipſum ſcriptam calumniam patitur Petrus Damiani, & illam propulſat. Ad Mantuanum Concilium vocatur. 164

CAP. XVI. *Petrus Damiani ad Mantuanum Concilium pergere recuſat. Acta eiuſdem Concilij. Cadalous iterum conturbat Eccleſiam. Pro Aurelianenſi Archiepiſcopo Petrus Damiani ſcribit.* 174

CAP. XVII. *Alexandro reuertenti è Mantuano Concilio occurrit Petrus Damiani, eique Librum de Breuitate vitæ Romanorum Pontificum offert.* 181

CAP. XVIII. *Petrus Damiani Inceſtuoſorum hæreſim detegit, & euertit in Synodis ab Alexandro Romæ coactis.* 186

CAP. XIX. *A Synodis Romanis ad Eremum reuerſus, Apologeticum edit de contemptu ſæculi.* 148

CAP. XX. *Poſt reditum à Concilijs Romanis, ad Deſiderium S. R. E. Cardinalem, Abbatem Caſſinenſem, Opuſculum de varijs miraculoſis narrationibus mittit.* 210

CAP. XXI. *Alexander Papa rursùs Petrum Damiani, vt ſecum litteris agat, expoſcit. Reſpondens Pontifici, duas, quæ in Eccleſia tunc inoleuerant, prauas conſuetudines detegit.* 214

CAP. XXII. *In Germaniam reuertitur Agnes Auguſta; quæ deinde ad limina Apoſtolorum à Petro Damiani iterum reuocatur. Eiuſdem Auguſtæ reditus, geſta, & obitus.* 225

CAP. XXIII. *A Simoniacis, & Nicolaitis denuò exagita-*

 gita-

Digitized by Google

gitatur Mediolanenſis Eccleſia. Ad quoſdam eiuſdem Clericos Orthodoxos Petri Damiani epiſtolæ, quibus martyrium diuinitùs ijſdem prædicit. 228

CAP. XXIV. *Caſſinum pergere cogitur à Deſiderio eiuſdem Cœnobij Abbate Petrus Damiani, ibique miraculis eius ſanctitas comprobatur.* 236

CAP. XXV. *Ab Alexandro Legatus in Germaniam mittitur Petrus Damiani, & Henricum Regem à ſententia dimittendæ vxoris abſterret.* 243

CAP. XXV. *Quæ inter Alexandrum, & Petrum Damiani poſt reditum à Germanica Legatione. Eiuſdem epiſtola ad Alexandrum.* 248

CAP. XXVI. *Rogat Pontificem pro Rauennatibus excommunicatione mulctatis. Alexander priuilegium Eccleſiæ cuidam à Petro Damiani conſtructæ concedit. Ab eodem Pontifice Rauennam Legatus mittitur, vndè reuertens, Fauentiæ ſanctiſſimè moritur.* 254

CAP. XXVII. *Petri Damiani funus; & ad Sepulchrum miracula.* 263

CAP. XXVIII. *Varijs miraculis in ſanandis præcipuè capitis doloribus à Deo illuſtratur. Frequentia populi ad ſacrum eius Tumulum. Mira Corporis incorruptio, & immemorabilis cultus.* 268

CAP. XXIX. *Magna Sancti Petri Damiani ante, & poſt mortem in Eccleſia Dei exiſtimatio, & authoritas; eiuſdemque laudes, & præconia.* 274

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

CAP. I. *Charitas Petri Damiani in Deum.* 285

CAP. II. *Charitatis in Deum nonnulla alia documenta.* 298

CAP. III. *Charitas Petri Damiani in proximum. Eiuſdem in corde Charitatis cum humilitate mira colluctatio.* 306

CAP. IV. *Charitatis eius in proximum alia argumenta.* 321

CAP. V. *Charitatis eiuſdem in proximum alia quædam inſignia.* 328

CAP. VI. *Charitas Petri Damiani in defunctos.* 335

CAP. VII. *Charitas in Petro Damiani patiens eſt, benigna eſt in infirma ſemper corporis valetudine.* 345

CAP. VIII. *Charitas in Petro Damiani patiens eſt, benigna eſt, & in ægritudinibus, & in calumnijs, licèt ipſe ad iracundiam pronus. Inſigne patientiæ exemplum.* 355

CAP. IX. *Charitas in Petro Damiani non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa; vndè mira eius humilitas.* 366

CAP. X. *Charitas, quæ in Petro Damiani non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, ſuperbiam agnoſcit, & coercet.* 373

CAP. XI. *Charitas, quæ in Petro Damiani non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, bonum nomen cuſtodit.* 388

CAP. XII. *Charitas quæ in Petro Damiani non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, immoderata humilitate, regiminis iura non ſoluit.* 398

CAP. XIII. *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt in Petro Damiani; & primò in corpore; vndè illibata corporis eius integritatas.* 403

CAP. XIV. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in corpore: vndè mira eiuſdem afflictatio, & iugis abſtinentia.* 415

CAP. XV. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in corpore, quod acerbè cruciando, licet ſenio confectum, numquàm pœnitentiæ rigorem relaxandum docet.* 436

CAP. XVI. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in corpore; vndè corporis afflictationem commendat, & diſcipulorum ſuorum inſignia pœnitentiæ refert exempla.* 446

CAP. XVII. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in corpore; vndè eiuſdem mortificationis cultores pernceceſſaria quædam, & vtilia docet.* 457

CAP. XVIII. *Charitas Petri Damianai non quærit, quę ſua ſunt in corpore; ideò modicum eiuſdem membrum, linguam videlicet mortificat. Ipſius diſcretiſſima vrbanitas.* 462

CAP. XIX. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in corpore, & præcipuè in lingua; vndè ſummo ſtudio à dicacitate ſemper abhorruit.* 469

CAP. XX. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in corpore, & præſertim in lingua, cuius mor-*

mortificationem vlteriùs commendat, & extollit. 480
CAP. XXI. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis, ac primò in veſtium cultu; vndè ſumma eius paupertas.* 490
CAP. XXII. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; ideò auaritiam, & diuitiarum cupiditatem à ſuis adimere ſatagit.* 501
CAP. XXIII. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; quapropter eorumdem cauſa, lites ſuſcipi renuit.* 508
CAP. XXIV. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; idcircò hominum conſortium fugit, & ſolitudinem ſectatur.* 513
CAP. XXV. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; ideò Monaſticam vitam, per quam ipſa dimittuntur, laudibus extollit.* 529
CAP. XXVI. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; idcircò Eremiticam vitam, qua illa deſeruntur, præconijs celebrat; eiuſdemque, & Monaſticæ vitæ lapſum deflet.* 538
CAP. XXVII. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis, à quibus omnes abducere, & ad Eremiticam, Monaſticamque vitam trahere conatur; vndè Votifragos exagitat.* 547
CAP. XXVIII. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; quapropter*
per-

Digitized by Google

perfectam Monachos, qui hæc renunciarunt, regendi rationem Prælatis Religioſis tradit. 557

CAP. XXIX. *Charitas Petri Damiani, quæ non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis, Monachis, & Religioſis mundo, & ſibi mortuis Monaſteriorum regimen ambire vetat; ipſiuſque regiminis ærumnas deſcribit.* 569

CAP. XXX. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; ideò perfectam viuendi normam omnibus, qui in Sancta Religione hæc reliquerunt, præſcribit.* 584

CAP. XXXI. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in propria voluntate; vnde promptiſſima eius obedientia.* 592

CAP. XXXII. *Charitas Petri Damiani non quærit, quæ ſua ſunt in propria voluntate; idcircò veræ obedientiæ exempla, præconia, modum, & formam docet.* 602

CAP. XXXIII. *Charitas Petri Damiani quærit, quæ Ieſu Chriſti in feruentiſſimo Beatiſſimæ Virginis Matris eius cultu, & obſequio.* 609

Digitized by Google

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Sac. Palatij Apoſto-
lici Magiſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

IMPRIMATVR

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

Digitized by Google

VITÆ S. PETRI DAMIANI

S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Oſtienſis.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Caſſinenſe Cœnobium varijs dœmonum infeſtationibus vrgetur, ad quas comprimendas PETRUS DAMIANI vocatur. Et quæ ibidem geſſerit.

1. DUM igitùr Romæ cantaret Dilecto ſuo Beatiſs. PETRVS, canticum patruelis ſui vineæ ſuæ; & vinea Agnetis Auguſtæ facta eſſet Dilecto ſuo in cornu filij olei; & ſepiret eam ſalutaribus monitis, & lapides eligeret ex illa, & plantaret eam electam, & ædificaret turrim in medio eius, & tor-

cular extrueret in ea; facta eſt illi à Venerabili Deſiderio Caſſinenſi Abbate vox dicentis: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas; nàm Caſſinenſe Cœnobium, vt refert Leo Oſtienſis, ab importunis malignorum ſpirituum moleſtijs exagitatum, cum die, ac nocte circumdare ſuper muros ſuos iniquitatem videret; expectauit Sanctiſſimum Virum, qui ſaluum illud faceret à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Hoc & ex antecedentibus, & conſequentibus quæ de B. Viri aduentu ad Caſſinum tractant, non immeritò conijci poſſe videtur; dicit enim Leo Oſtienſis.

Cronich. Leo Oſtien. lib. 3. cap. 22.

„ 2. [Quintum iàm ferè ordinationis ſuæ complebat Deſiderius annum, cum terribiliùs ſolito, permiſſione Diuina fulmine Monaſterium illud attractum eſt. Cum enim fratres, in Eccleſia die quodam, de more, primæ horæ ſolemnia agerent, ſubitò cœlitùs fulmen elapſum, ipſum Hebdomadarium Sacerdotem, cui Manno erat vocabulum, honeſtæ famæ virum, in Choro ſtantem, feriens extinxit; cæteros verò circumſtantes velut exanimes ad terram proſtrauit. Nouitium etiam quemdam extra Chorum ſtantem, ante ipſam maiorem Crucem, percutiens occidit. In Capitulo tabulas officiales excidit, ipſumque Tabularium, ac ſi mortuum reddidit, vultum imaginis Abbatis Richerij in eodem Capitulo in tabella depictum ſcidit pariter, ac porrò deiecit, & in pleriſque Monaſterij locis percuſſit

cuſſit

Digitized by Google

„ cuſſit. Fuit autem dies hæc quintodecimo Kal.
„ Februarij: quamobrem conſilio cum fratribus,
„ Pater Venerabilis habito (ſcilicet Deſiderius)
„ ad iram Dei placandam ſtatuit tùnc, per omnes
„ menſes primam ſextam feriam communiter ab
„ omnibus in abſtinentia peragi, ac diſcalceatis
„ pedibus procedendo Miſſam proindè ſpecialiter
„ celebrari; nec non & omnibus per annum quo-
„ tidianis diebus orationem pro fulgure ad Miſſam
„ publicam,& ad Pſalmos ſpeciales adiungi. Por-
„ rò autem Domnus PETRVS DAMIANI,
„ cuius iam ſuprà meminimus, ad hoc Monaſte-
„ rium veniens cum verbo pariter, & exemplo ad
„ Dei ſeruitium feruenti zelo, quoſcumque poſſet
„ accenderet, tandem permiſſione Domni Ab-
„ batis à cuncta Congregatione voluntaria obla-
„ tione in remiſſionem omnium peccatorum ob-
„ tinuit, vt per totius anni ſextas ferias, quæ ta-
„ men feſtiuæ non eſſent, pane tantùm, & aqua
„ contenti eſſent, ac per ſingulas ſinguli diſcipli-
„ nas data confeſſione reciperent. Inſuper &
„ triduanum ieiunium in caput Quadrageſimæ
„ per annos ſingulos agerent. Multoties verò De-
„ ſiderio cogitanti, & reuelari ſibi oranti, quid-
„ nam eſſe vellet, quòd ſic frequenter hunc locum,
„ prædictum flagellum attereret; quadam nocte
„ per viſum Benedictus Pater apparuit, eique in-
„ ter alia de hoc ſollicitè percunctanti, nihil aliud
„ quàm diabolicas inſidias, & antiquam pro loco

Digitized by Google

„ inuidiam eſſe perdocuit. Ego metipſe cum
„ adhùc in ſchola Monaſterij degerem, reminiſcor
„ vna nocte ad ſecundum dumtaxàt nocturnum
„ ſexies in Eccleſia, & Campanario fulmen per-
„ cuſſiſſe. Alia quoque vice cum Anglo quodam
„ artifice duos alios longè diſtantes, vno ictu ad
„ portam maiorem occidiſſe, &, quod eſt mirabi-
„ lius, puerulum quemdam prædicto Anglo inni-
„ tentem nil nocuiſſe; altera etiam prope Para-
„ diſi turrim tranſeunte quemdam vetulum ex-
„ tinxiſſe. Altera cuidam ex Cæmentarijs corri-
„ giam de tergo à capite vſque ad pedes incidiſſe,
„ nec tamen exanimaſſe.] Hæc Leo.

3. Nimio igitùr terrore perterritos Caſſinenſes Monachos, videntes irritationem, & iram, & ruinas multas; enixis precibus PETRVM rogaſſe colligitur, vt expugnaret impugnantes ſe, vt apprehenderet arma, & ſcutum, & exurgeret in adiutorium ſibi. Et ipſe venit, & ſtetit, & placauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt ei in iuſtitiam à generatione in generationem vſque in ſempiternum. Reſtitit enim iræ, & pugnauit pro gente ſua, & armauit viros virtutis gentis ſuæ, ſalutaribus ſuis inſtitutionibus, & quæcumque apta erant ad correctionem inimicorum, poſuit in eis:

Bar. ann. 1063. „ [Ipſius enim (inquit Baronius) tanta erat exi-
„ ſtimatio in Eccleſia Dei, vt quæ ipſe facienda
„ moneret, tamquàm oracula Diuina pij quique
„ perciperent.]

Iure

Digitized by Google

4. Iuremeritò ergò doluit ſuper fratres Caſſinenſes, quòd taliter contra Principes, & Poteſtates, & Rectores huius Mundi tenebrarum harum muniti, arcum poſtea illis à ſe præſtitum contriuiſſent, & confregiſſent, & arma igni combuſſiſſent, dum videlicet, vt ſupra vidimus, flagellorum Diſciplinam abiecerunt. Nàm vt ipſe animaduertit: [*Vbi hoc fit* (inquit) *dœmones fugiunt* : *& quod ad Chriſti gloriam, eorumque fit ignominiam, cernere perhorreſcunt*.] Ex quò etiam confirmatur, potiſſimam itineris illius hoc tempore ad Caſſinum cauſam, fuiſſe allatam fulminum, & (ex reuelatione à S. Benedicto facta) dœmonum infeſtationem, cui oppoſuit PETRVS, quæ ſupra diximus; vt fratres in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in eo poſſent omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Opuſ. 43. ca. 6. in fine tom. 3.

5. At verò quoad triduanum ieiunium exordio Quadrageſimæ cuſtodiendum, eos ad obſeruantiam ſuorum Monaſteriorum redegiſſe cognoſcitur; de qua nos ſupra, & ipſemet in epiſtola ad fratres in Gamugni Eremo conſtitutos hæc habet: [*Hoc tamquam Regulare conſtitueramus edictum* (in Monaſterio ſcilicet toties memorato S. Vincentij) *vt ſub diſtricti cenſura rigoris quadrageſimale celebraretur initium*; *nimirùm vt per triduum non niſi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent, nulla niſi lectionum, ſiuè orationum verba proferrent, nudis pedibus lugubres, atque mœrentes incederent, expleto communi modulatio-* Vid. ſup. lib. 2. cap. 28. Epiſtol. lib. 6. epiſt. 32. to. 1.

latione Pſalterio, mutua ſe ſcoparum caſtigatione purgarent &c.]

Epiſtol. lib. 2. epiſt. 2. tom. 1. & Epiſt. 4.

6. Ipſe verò, (vt à Cluniacenſibus) pro mercede laboris potijt à Caſſinenſibus, vt quotannis ſui obitus diem, precibus pro anima ſua apud Deum fuſis, ſolemnem haberent; quod & obtinuit, vt ex ipſo chirographo potiùs, quàm epiſtola à Venerabili Deſiderio ipſi tradito, habetur; ex quo etiàm peculiare Sanctiſſimi Viri in Caſſinenſe Monaſterium obſequium apparet, vt infrà.

Ex Bibliothec. Caſſin. 5. num. 345. extat in Apar. ad to. 3. Opera S. Petri Damiani.

„ [Domno PETRO DAMIANI, Venerabili
„ Epiſcopo, Deſiderius Abbas Dei gratia
„ quidquid eſt, ſalutem.

„ 7. Quoniàm ſatis clarè innotuit, quòd hoc „ Monaſterium Sancti Benedicti, cui præeſſe videor, plus omnibus circumquaque fundatis, diligas. (cunctis fratribus noſtris laudantibus, & libenter conſentientibus) promittimus tibi Venerabilis frater PETRE, ego frater Deſiderius cum tota Congregatione huius S. Cœnobij memoriam obitus tui annualiter nos habituros; poſteros quoque noſtros hoc itidem obſeruare fideliter cupientes, ſicut conſuetudinaliter prædeceſſorum noſtrorum Abbatum, qui nouiter de hac luce migrauerunt, officioſiſſimè celebramus. Satis quippe dignum, & honeſtum nobis

„ nobis videtur, quibus tantam dilectionem im-
„ pendis, tantam beneuolentiam oſtendis, aliquid
„ emolumenti rependamus, vt quos ita incœperis
„ amare ſemper dùm vixeris, amor tuus creſcat
„ in nobis, dùm aliquid deuotionis, & amoris
„ præter ſolitum à nobis te ſperas conſecuturum.
„ Si quis autem huius noſtræ pollicitationis viola-
„ tor extiterit, vel nobiſcum viuentium, aut ſuc-
„ cedentium, ante tribunal Chriſti, reus Iudici
„ præſentetur.
„ Ego, qui ſupra Deſiderius Abbas, ſubſcripſi.
„ Ego frater Rainerius ſubſcripſi.]

8. Quantò autem amore Pater Beatiſs. Caſſinenſe Cœnobium proſequeretur, quantaque veneratione admirabilem Monachorum illius virtutem coleret, & præcipuè Venerabilem Deſiderium Abbatem, & ex dictis conijcitur, & clariùs ex dicendis innoteſcet; Archangeli enim eum nomine decorabat; cum quo verſari idem habebat eſſe, quod per Apoſtolum dicitur: [Veſtra autem conuerſatio in Cœlis eſt.]

9. At cum quintodecimo Kal. Februarij ex Leone Oſtienſi terribile illud fulmen Caſſinenſe Monaſterium percuſſerit, & nos ſupra, ad ſubleuandos fratrum animos nimio terrore perterritos illuc ſtatim vocatum fuiſſe PETRVM, arbitrati ſimus; probari quoque videtur ex epiſtola, quam Romæ reuerſum eidem Deſiderio ſcripſiſſe cenſemus; in qua videlicet toto Quadrageſimæ curſu Vide vt ſup.

in

in eodem Cœnobio ſe commoratum eſſe ſignificat; his verbis.

10. [*Vt Domnum Martinum ad vos iter arripere didici; Notario protinùs, vt exciperet, imperaui. Sed quoniam per totum Quadrageſimalem circulum tecum, Venerabilis Pater, familiariter degens quæque conferenda videbantur, viua voce contulimus, & quæ communicanda erant, ſiuè tractanda, ſæpiùs intimauimus, iàm quid noui ad te ſcribi valeat, non inuenio; dùm quidquid neceſſarium eſſe poterat, frequentiùs iteratum alterutra confabulatione perpendo. Quid igitùr faciam? Numquid qui loqui cœperam, deficiente materia, ſtolidè conticeſcam &c.*] Opuſ. 15. to. 3. Hæc PETRVS, qui nimirùm, & Caſſinum paulò ante Quadrageſimam petijſſe & Romam poſtea repedaſſe videtur ad Concilium pro cauſa Epiſcopi Florentini (de qua infra) cogendum ab Alexandro, iam anno 1063. è Lucenſi Ciuitate reuerſo.

CAP.

Digitized by Google

C A P. II.

Alexandri iuſſu, quæ in Eccleſiaſticis monumentis aſſeruari debeant, & in primis Rodulphi, & Dominici Loricati Diſcipulorum ſuorum hiſtorias ſcribit. Quæ ipſi acciderunt, cum ad ſedandas Florentinæ Eccleſiæ perturbationes Legatus miſſus fuit. Eius epiſtola ad Florentinos.

1. REferenda modo ſunt, quæ euenerunt, cum magno in Florentina Eccleſia conflato ſchiſmate, ad illud ſedandum miſit Alexander Papa Moyſen ſeruum Domini, Aaron, quem elegit ipſe, noſtrum videlicet PETRVM è Lucana Ciuitate, poſtquam Eccleſiarum curam dimiſerat, ad Eremum reuertentem; poſuitque in eo verba ſignorum, & prodigiorum ſuorum, vt ſileret terra in conſpectu eius. Qua de re vſque adhuc ſermonem protraximus, vt totum vnà daremus, quod ſeruata temporum ratione ſparſim, & idcircò non ſine aliqua confuſione fuerat exponendum. Et in hoc, vt in cæteris, parcat mihi præcipuè diſertiſſimus Annalium Auctor, ſi ab eius ſententia recedam, nec ſequar illum quocumque iuit: in hac enim Legatione, in qua vel Pſeudomonachorum vulpes foueas habuerunt, vel ſanctorum Monachorum volucres Cœli nidum, & PE-

Bar. Ann. 1063

TRVS DAMIANI è contra non habuit vbi caput ſuum reclinaret; mirum prorſus non eſt, ſi cum fuerint in mari viæ illius, & ſemitæ eius in diuerſarum contradictionum aquis multis, tàm diſtinctè egregius Scriptor veſtigia ipſius non cognouerit; nã mirandum potius eſt quòd, Vir ſapientiſſimus in maximo, quod elaborauit Opere, aduocare potuerit Cœlum deſursùm, & terram, diſcernere Populum Domini, & congregare illi omnes Sanctos eius, qui ex illo tempore, quo Verbum caro factum eſt, ordinauerunt teſtamentum eius ſuper ſacrificia; & quòd poſuerit in deſerto viam, & fecerit praua in directa, & aſpera in vias planas, vt videret omnis caro in filijs Eccleſiæ ſalutare Dei. Quæ quidem monenda duxi, ne quiſquam temerario auſu (quod abſit) tanti Viri, vel Antiquorum aliorum gloriæ me notam inurere præſumpſiſſe arbitretur; cum potiùs benedicam illis in omni tempore, ſemper laus eorum in ore meo, memor ſententiæ Ethnici illius, qui ſcripſit: [Illud antè omnia mihi dicendum eſt, opiniones veterum parùm exactas eſſe & rudes. Circa verum adhuc errabatur. Noua omnia erant primò tentantibus, poſt eadem illa limata ſunt, & ſi quid inuentum eſt, illis nihilominùs referri debet acceptum. Magni animi res fuit rerum naturæ latebras dimouere, nec contentum exteriori eius conſpectu introſpicere, & in Deorum ſecreta deſcendere. Plurimùm ad-inueniendum contulit, qui ſperauit poſſe reperiri.

Senec. natur. quæſt. lib. 6. cap. 5.

Digitized by Google

„ riri. Cum excuſatione itaque veteres audiendi „ ſunt. Nulla res conſummata eſt dum incipit; nec „ in hac tantùm re omnium maxima, atque inuo- „ lutiſſima, in qua etiam cum multum actum erit, „ omnis tamen ætas, quod agat, inueniet; ſed in „ omni alio negotio longè ſemper à perfecto fuere „ principia:] Et de his ſatis.

2. PETRO igitur, qui expectabat pacem in Eremo, & ecce turbatio, & offendiculum expeditionis in via, laboranti idcirco, & mœrenti, & ad iuſſa tamen feſtinanti Pontifex præcepit, vt ſecum litteris agens, ea ſemper ſignificaret, quæ memoria digna, & propter vtilitatem publicam inter monumenta Eccleſię ſeruari mererentur. Quod libentiſſimè pręſtitit hoc ipſo tempore; nam ſumpta occaſione ex morte Rodulphi Antiſtitis Eugubini, quam vbi Florentiam aduenit, percepit; eius, ac Dominici Loricati ſuorum Diſcipulorum Acta conſcripſit, atque ad eumdem Pontificem ſtatim tranſmiſit. Vita S^c. Rodulphi & Dominici to. 2.

3. Florentinæ verò Eccleſiæ ſciſſuras modò in tranſitu videre non potuit, ſed aliquandiu manere apud illam, Domino permittente, coactus fuit; dùm oſtium illi apertum eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi. Gerardus, qui & Nicolaus Secundus, iam pridem, vt diximus, ex Epiſcopatu Florentiæ ad ſummum Pontificatum euectus, licet attenderet ſibi, & vniuerſo Domini gregi, puſillum Florentinum gregem paſcere, vt antea, non deſtitit & ideò vt Romanam, Florentinam etiam ſanctiſ- Vghel. Ital. Sacr. tom. 3. Archiepiſcop. Florentin.

Digitized by Google

ſiſſimè gubernauit Eccleſiam vſq;ad annum 1061.
quo moriens vtramque dimiſit. Poſt eius obitum
Petrus Mediabarba Ticinenſis, malis artibus,
nempe data pecunia in Florentinam Sedem irrepſe-
Andreas Ianuenſ. in Actis S. Io. Gualbert. Cap. 61. rat anno 1062. : ſed ab ipſo eius patre Theuzone
quodam Mediabarba, vt narrat Andreas Ianuenſis,
tanto ſcelere incautè detecto; contra arantem impie-
tatem, & iniquitatem metentem, & comedentem
frugem mendacij, quia confiſus erat in vijs ſuis, in
multitudine fortium ſuorum, conſurrexerat tumul-
tus in ciuitate, dicentibus alijs quia bonus erat,
alijs vero quod non, ſed ſeducebat plebem. In ira
igitur Domini exercituum conturbata erat terra,
& erat populus quaſi eſca ignis, dum vir fratri ſuo
non parcebat, ſed modò declinans ad dexteram
eſuriebat; & hinc comedens ad ſiniſtram non ſa-
turabatur; & vnuſquiſque carnem brachij ſui vo-
rabat, Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſen;
nam populi pars Epiſcopo adhærebat, alteram
verò in ſuum Epiſcopum Monachi concitabant;
quod verò eidem contrarius exiterit etiam S. Io:
Gualbertus in vita ipſius enarratur verbis huiuſ-
„ modi: [Vir Beatus Epiſcopum Florentinum,
„ Petrum nomine, Patria Ticinenſem, non ſolum
„ Simoniæ, ſed etiam hæreſis propter illud vitium
Apud Sur. 12. Iulii. „ ſuis fratribus reum aſſerebat, nec ab illo Sacra-
„ menta percipienda dictabat. Indè verò vehe-
„ mens orta eſt contentio in Clero, & populo Flo-
„ rentino, alijs Epiſcopum defendentibus, alijs
Mo-

Digitized by Google

„ Monachos laudantibus, quòd tanta libertate „ illud vitium deteſtarentur.]

„ 4. [Cum ergò illic eſſet (inquit Annalium „ Auctor) PETRVS eos conciliare pace „ ſtuduit: ſed id efficere minimè potuit, eoquòd „ aduersùs Monachos ſteterit, ex eo præſertim re- „ darguens eos, quod indemnatum Epiſcopum „ adhuc eſſe vitandum vt Simoniacum, populo „ ſuaderent, aſſerentes cunctas illius benedictio- „ nes, & Sacramenta eſſe maledictiones, & ſacri- „ legia; ob idque prohiberent populum accipere „ Sacramenta ab Epiſcopo, vel ordinatis ab eo; „ tamquàm nullius eſſent illa momenti; ex quo „ fieret, vt baptizati minimè chriſmate vngeren- „ tur, & plurimi abſque Sacramento Euchariſtiæ „ interirent, ne acciperent illum à quouis, ab Epi- „ ſcopo ordinato. Quæ cum arguerentur à PE- „ TRO, paſſus & ipſe calumniam eſt, quaſi vin- „ ctus eodem crimine teneretur, qui eius criminis „ reum in defenſionem acciperet. Diſceſſit re in- „ fecta, immò viſus eſt maioris contentionis fo- „ mitem miniſtraſſe. Cuius rei gratia in ſui de- „ fenſionem, & Monachorum iuſtam reprehen- „ ſionem ſcripſit epiſtolam Apologeticam tàm ad „ populum vniuerſum, quàm ad Monachos ipſos.] Bar. ann. 1063 Et nos hìc tranſcribere curauimus.

Dile-

Digitized by Google

[Dilectis in Chriſto Ciuibus Florentinis, PETRVS Peccator Monachus fraternæ Charitatis obſequium.

1. *Nuper, vt recolitis, dilectiſſimi, ad vos venientes laborioſè ſtuduimus inter Epiſcopum* Opuſ. 30. to. 1. *veſtrum, voſque componere pacem, & amicitiæ, quæ reſciſſa fuerat, fœdera reformantes, in vnum vos ſpiritum ſequeſtra pace conflare. Sed quoniam adiuuandi apud vos prædicti Sacerdotis intuitu plura protulimus, quæ ſiniſtra ſaltem interpretatione peruerti, & à turbis valent vulgaribus vitiari; ne nos indigna notemur infamia, & illi, quod abſit, mendacij crimen incurrant; quod ore coràm vobis frequenter expreſſimus, etiam ſtyli currentis articulo commendamus: vt quod audiſtis ore prolatum, videatis apicibus exaratum, vt verba noſtra commentari, vel ab his diſcrepare, mendax quiſque non audeat; dùm in nobis, & manus ſcribens, & lingua loquens, indiſſona ſibimet vnitate concordant. Anathematizamus itaque, & irrecuperabiliter condemnamus Simoniacam hæreſim, primam omnium hæreſeon ex imis diaboli viſceribus erumpentem, ſeque aduersùs naſcentis Eccleſiæ regulam exitialiter extollentem, quæ nimirùm ex ipſo felle diaboli progreditur, & in perditionis filios peſtilentiſſimè deriuatur. Cuius ſcilicet auctori per Petrum dicitur:*

In

Digitized by Google

In felle amaritudinis, & obligatione peccati video te eſſe. Quia verò fel columba non habet; Spiritus autem Sanctus in Columbæ ſpecie ſuper Dominum venit; is verò qui amaritudine fellis intumuit, Columbini ſpiritus capax eſſe non potuit. Quapropter omnes huius nefandæ hæreſeos peſte corruptos, hæreticos eſſe indubitanter aſſerimus, eoſque damnabiles, atque à ſuis arcendos honoribus, iuxtà ſanctorum Canonum ſententias, iudicamus. Act. 1.

2. *Verumtamèn tantam gratiæ plenitudinem S. Eccleſiæ eſſe confidimus, vt in ea procul dubio, & per malos bona, & per inquinatos munda, & per execrabiles Sacramenta conferri poſſe credamus. Hæc eſt enim verè Corpus Chriſti, & iuxta Apoſtolum, columna, & firmamentum veritatis. Et hæc non nouiter ex noſtra temeritate decernimus, ſed ex ſanctorum Catholicorum Patrum auctoritate iàm decreta firmamus. Quod in libello quoque, cui Gratiſſimus nomen indidimus, multis noui, ac veteris teſtamenti teſtimonijs approbatur. Sed condemnatis omninò Simoniacis, ac indubitanter inter hæreticos deputatis, ſicut in præfato libro digeſſimus; licet eorum Sacramenta ex authentica Canonum poſſent ſanctione defendi: vt eos tamèn magis, ac magis Synodalis cenſura confunderet; conſtitutum eſt in Romano, ſan. mem. Nicolao præſidente, Concilio; vt quicumque per eos eatenùs fuiſſent in cuiuslibet Eccleſiaſtici gradus dignitate promoti*

Ibid. vt ſup. cap. 1.

Lib. Gratiſſ. qui eſt Opuſcul. 6

Digitized by Google

moti, in percepti honoris miniſterio permanerent; ex tunc verò, & deinceps quicumque ſe pateretur à Simoniaco prouehi, nil penitùs ex ea deberet promotione lucrari, & ſic miniſtrandi iura deponeret, tamquàm ſi hæc nullatenus percepiſſet. Hac itaque ratione iàm non modò Simoniacos reprobamus, ſed & per eos exhibita Sacramenta contemnimus. Hæc itaque, ſi obliti non eſtis, omnia me viuis vocibus proferentem frequenter audiſtis. Non enim alia ſcribimus, quàm quæ locuti ſumus. Si ergò ego, & vos de Simoniacis, eorumque reprobandis in poſterùm conſecrationibus vna ſententia vtique congruimus; cur adhùc inuicem litigamus? Eſt planè ſuper Epiſcopo veſtro quæſtio, quem videlicet nonnulli veſtrum opinantur venaliter irrepſiſſe, nonnulli verò gratis, & per oſtium introijſſe, conſtantis animi libertate confirmant. Illi turbulentis iurgando conuicijs, quod opinantur, allegant: iſti, quod ſcire fatentur, crimen iniectum refellendo propulſant. Et quis ego ſum, qui inter hos pugnantium globos ignium manum mittam, & tàm ferale ſcelus homini, antequam Canonicè probetur, adſcribam? Nam licet error ſemper ſit, & vbique vitandus, tolerabiliùs tamèn eſt, ſi quis iuſtificet peccatorem, quàm ſi præiudicet innocentem. Synodus annualiter imminet; Sedes Apoſtolica cunctis adeuntibus patet. Romanam ergò pulſet Eccleſiam, quiſquis ſe iuſtam aduersùs Epiſcopum habere calumniam ſperat. Nec enim

nos

Digitized by Google

nos homunciones exequi in andronarum angulis reddere poſſumus irritum, quod in ipſo ſuum totius mundi cardine non ambigimus inſtitutum. Cernitis itaque me ſimpliciter hæc ſola conſcribere, quæ me præſentes audiſtis ore proferre. Erubeſcat ergò fabricator quiſque mendacij, qui dùm me vidit in cauſa nutantis controuerſiæ non leuiter iudicantem, impudenter elatrat Simoniacæ hæreſeos exiſtere defenſorem. His igitur paucis rationem me vobis reddidiſſe ſufficiat, ne longior ſtylus fatigari vos nimia prolixitate compellat.

3. Hinc ad Commonachcs meos articulum transferendo, à quibus profectò procedere totam hanc iurgandi materiam non ignoro. Dicunt enim, quia ab huiuſmodi Sacerdotibus nec Chriſma confici, nec potuerunt ſolemnia celebrari. Et tàm hæc impudenter allegant, vt anno orno compulerint in tribus plebibus ſinè conſperſione Chriſmatis Catechumenos baptizari. Sed cum Chriſtus procul dubio denominetur à Chriſmate, nil aliud tollunt Baptiſmo niſi Chriſtum, qui Chriſmatis ſubtrahunt Sacramentum. Et certè ſi me fortè non fugit, nulla vmquam hæreſis in tantam prorupit audaciam, vt Baptiſmi lauacro Chriſma, hoc eſt, vt à Chriſtiano Chriſtum diuidere præſumpſiſſet. Quòd ſi contempta propria, ab alia Eccleſia furtiuè delatum Chriſma credatur, ſicut à quodam ſcilicet eorum fautore confingitur: ecce quantùm ad illos pertinet, in ſpiritualibus rebus committitur

Digitized by Google

adulterium, & in ſacrilegium vertitur Sacramentum: nimirùm dùm propriæ Eccleſiæ Chriſma proijcitur, & ab aliena clandeſtinæ fraudis ingenio ſubrogatur. Beatus deniq; Papa Gregorius in ſupremo vltimæ Homiliæ verſiculo ſic ait: *Sed hæc Omnipotens Deus, qui per me in veſtris auribus loquitur, per ſe in veſtris mentibus loquatur.*

S. Greg. Homil. vlt. ſuper Euang.

4. *Cùm igitur hoc librum ſuum fine concludit, Omnipotentem Deum cuncta, quæ in eo ſcripta ſunt, per ſe locutum euidenter oſtendit. Hic itaque, per quem talis inhabitator eloquitur, in Homilia de Sacerdotibus facta per impoſitionem manus Simoniaci S. Spiritum cœlitùs dari maniſeſtiſſimè confitetur. Quinamque, inquit, ſunt in templo Dei hodiè, qui columbas vendunt; niſi qui in Eccleſia pretium de impoſitione manus accipiunt? per quam videlicet impoſitionem Spiritus Sanctus cœlitùs datur. Vbi adhùc eamdem ſententiam replicat, & tamquam tardioribus, vel adhuc dubitantibus rurſùs inculcat dicens: Columba ergò venditur; quia manus impoſitio, per quam Spiritus Sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed quia de his in libro noſtro multa conſcripſimus; hic in talibus non diutiùs immoramur: ſolummodò qui legit, intelligat.*

Idem Homil. 17. ſup. Euang.

Ibid. vt ſup. cap. 20.

5. *Præterea maior eſt Eccleſia, quàm Ramatha: maior eſt Chriſtus, quàm Samuel; ſi ergò in Saul, quem malus exagitare ſpiritus conſueuerat, cum veniſſet in Ramatha, vbi Samuel cum Da-*

1. Reg 16.19.

uid

uid prophetabat, ſpiritus inſilijt; itaut ſe veſtimentis exueret, & nudus tota die, ac nocte cum cæteris concinens prophetaret: quid mirum ſi Spiritus Sanctus in Eccleſia ſuper quemlibet reprobum veniat, & non per eius meritum, ſed per eius miniſteriū in alios Chariſmatis ſui dona transfundat? Si, inquam, Diuinus Spiritus illum repentè corripuit, atque ab eo per tàm diuturni temporis ſpatium non receſſit, qui vas erat omninò diaboli, eumque nequitiæ ſpiritus non clàm, ſed apertè per corpus ſimùl, & animam poſſidebat; quid nouum ſi cloacam reprobi cuiuslibet hominis ſplendor ille Cœleſtis irradiat, quem tamèn nullum ſqualloris obſcœni contagium fœdat? Sed nùnc cùr iſta proſequimur, cum conſecrationem Simoniacis nuper fuiſſe probibitam ſuperiùs præfati ſumus? Planè quia ijdem ipſi, qui Baptiſmum fieri ſine Chriſmate docuerunt, adhùc aduersùs eos, qui antè Synodum gratis à Simoniacis ordinati ſunt, ſufflant, eoſque cùm ſuis ordinatoribus eſſe hæreticos dogmatizant; eorumque Miſſas, & omnia per eos facta Myſteria blaſphemant, anathematizant, conſpuunt, obijciunt, & explodunt, eorumque benedictionibus terribiliter maledicunt; cum dicat Apoſtolus: Quia maledicti Regnum Dei non poſſidebunt, & in ſuis maledictionibus illud Malachiæ Prophetæ teſtimonium adhibent, quo dicitur: Maledicam benedictionibus veſtris; non attendentes, quòd Dominus in libro Numeri de Sa-

1. Reg. 10.

1. Corint. 6.

Malach. 2.

Num. 6.

Digitized by Google

cerdotibus ait: Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis: Sacerdos quippe Dominum ſup-r hominem verbis inuocat, ſed ipſe ſuper eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non in merito Sacerdotis conſtat, ſed hunc inuocatio Diuini nominis adminiſtrat, vt quod ex ore ſonat hominis, virtus impleat Creatoris; & per indigni ſæpè hominis miniſterium, Diuina virtus ſuum veraciter efficiat Sacramentum. Sed fatui, & imperiti quilibet homines in hoc Prophetæ verbo caligantes errant, neſcientes ſcilicet, quæ loquuntur, vel de quibus affirmant; in ſacris quippè Scripturis ita maledictio aliquando pro ſterilitate, ſicùt & benedictio pro rerum temporalium ponitur vbertate;
1. Reg. 6. *de qua nimirùm benedictione in libro Regum dicitur: Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius: nuntiatumque eſt Dauid Regi; quia benedixit Dominus Obededom, & omnia eius propter Arcam Domini, dixitque ibo, & reducam Arcam cùm benedictione in domum meam. Vndè cùm*
Pſal. 106. *Pſalmiſta præmitteret: viduam eius benedicens benedicam; vt oſtenderet, de qua benedictione diceret, protinùs addit: Pauperes eius ſaturabo panibus.*
Pſal. 131. *Et alibi: Benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis; vbi patenter oſtenditur, quia benedixit, hoc eſt, multiplicauit. At contra, contemnenti mandata cuilibet reprobo per Moyſen dicitur: Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, male-*

Digitized by Google

maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ Deuteron. 28.
tuæ; vndè paulò poſt: Mittet Dominus ſuper te fa- Malach. 2.
mem, & eſuriem.

6. *Sicùt ergò hìc præcepta ſeruantibus non* Ibid. vt ſup. cap. 3.
aliam, quàm benedictionem promittit abundantiæ; ita illic non ſeruantibus è contrario maledictionem minatur inopiæ; alioquin verò quo pacto Deus Omnipotens Sacerdotali malediceret benedictioni, quam virtus ſui conferat nominis? Cùm enim, ſicùt ſuperiùs dictum eſt, ſuper quem nomen Domini inuocatur, indubitanter ab ipſo Domino benedicitur, quomodò conſequens eſt, vt eam benedictionem Dominus maledicat, per quam ipſe hominem per inuocationem ſui nominis benedicit? Hinc eſt, quòd auctoritas Canonum etiam à peſtilẽtioribus hæreticis baptizatos prohibet iterum baptizari; ne videlicet nomen Domini, quod inuocatum eſt ſuper illos, videatur annullari, vel in irritum duci. Quiſquis prætereà dum Sacerdotes quoslibet obtrectationibus lacerat, eorum nihilominùs & Sacramenta blaſphemat. Quid etiam B. Iudas Apoſtolus de blaſphemantibus in epiſtola ſua loquatur, attendat: nàm cum præmiſiſſet de quibuſdam, qui dominationem ſpernunt, maieſtatem autèm blaſphemant, præſto ſubintulit: Cum Michael, inquit, Archangelus cum diabolo diſpu- Iud. cap. vnic.
tans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus. Si ergò ſummus in Angelis dia-

bolus

Digitized by Google

bolus blaſphemiæ iudicium non præſumpſit inferre: quomodo non paueſcit homo Sacramenta, quæ virtute Sancti Spiritus *plena ſunt, irridere? Nàm cum Veritas dicat: Qui peccat in* Spiritum Sanctum*, non remittetur ei, neque hìc, neque in futuro; timendum valdè eſt, ne illum ab eis conſtet offendi, ſine quo peccatorum offenſio nequeat relaxari.*

7. *Sed cur de ſola* Sacerdotum*, ſiuè Sacramentorum obtrectatione conquerimur, cum ab eis omnia penè dilacerari, omnia conſpui, omnia dicuntur irriſione publica ſubſannari? Non eſt, inquiunt, Papa, non Rex, non Archiepiſcopus, neque* Sacerdos*. Vndè factum eſt, ſicut dicitur, vt mille circiter homines his nugis, næniiſque decepti, ſine* Sacramento *Dominici Corporis, & Sanguinis ex hoc mundo receſſerint. Opinantur enim per huius temporis* Sacerdotes *nullam in* Sacramentis *poſſe fieri veritatem; ſed & quamplures reperiuntur Eccleſiæ, quas non modò ſuis ingreſſibus indignas ducunt, ſed nec ſalutationis quidem obſequio idoneas arbitrantur. Nàm & ſalutare deſpiciunt, quas vtique dedicatas ab indignis neſcio quibus Epiſcopis ſuſpicantur. Enimuerò vt Lucas narrat, ait Paulus: Cæſarem appello. Cui Feſtus, Cæſarem, inquit, appellaſti, ad Cæſarem ibis. Eſt neſceleratior Papa, quàm Nero? Credimus Monachos iſtos ſanctiores eſſe, quàm Paulum? Cur ergò Paulus, qui tertij Cœli tribunal*

Act. 25.

con-

Digitized by Google

conſcenderat, Neroniano aſpectu non ſit dedignatus aſſiſtere? Quis eſt Monachus, qui pro ſuæ ſanctitatis arrogantia Sedis Apoſtolicæ debeat iudicium reprobare? Vbi ſcilicet non hominis meritum, ſed Eccleſiaſticæ dignitatis attenditur inſtitutum. Ipſi quippe in angiportuum angulis iudicant, & Synodalia iura detrectant, diiudicant Monachos, Clericalia cuncta corrodunt; & ſolis Laicis, qui videlicet acriùs, ac mordaciùs inſequendi ſunt, parcunt. Vident Monachum incedentem; aſpice, inquiunt, vnum ſcapulare. Presbyterum, vel Epiſcopum abire proſpiciunt, barbiraſos ſe videre fatentur. A quibus etiam ſi benedictio quæritur; nullatenùs reſpondetur; protinùs auertunt oculos, aſſerentes ſcilicet eos, quibus reſpondeatur, indignos.

8. *Nos etiam, ſi cum peccatoribus communicamus, & ſimùl veſcimur, obtrectationum mox ſale conſpergimur, laceramur, parique cum illis ſententia damnationis inuoluimur: immo nos, nos inquàm, & ipſiſſimi ſumus, qui eorum indigni iudicamur alloquio, qui eorum ſociale contubernium non meremur. Sed hæc non Monachorum eſt Regula, ſed ſuperſtitio Phariſæorum. Murmurabant (inquit Euangeliſta) Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum iſtis. Et hæc eſt radix, & tota materia, vnde feralis in Dominum furor Iudaici liuoris incanduit; hinc in mortem eius viperini fellis* Ibid. vt ſup. cap. 4.

mali-

malitia conſpirauit : nimirùm quia ſe putabant legalium cæremoniarum eſſe cuſtodes : Dominum autem arguebant amicum publicanorum, & Sabbata violantem. Delectat me cum Domino meo hanc perferre calumniam, & malo cùm illo in domo Leui carnaliter viuere, quàm in tabernaculis peccatorum, hoc eſt, cum Sanctis Deo repugnantibus, habitare. Qui nimirùm, ſpreta regula Chriſtianorum, Stoicorum dogmata ſequuntur, dùm eſſe prorsùs æqualia omnia peccata definiunt. Nos autem inter Dauid ſanctum, reprobumque Saulem, Ionatham medium conſtituimus : qui licèt Saulem veritatis, & fidei ſinceritate tranſcendat; Dauid tamen merita, pietatemque non æquat. Admonendi ſunt itaque fratres noſtri, ne nimis iuſti, nimis ſint ſapientes. De quorum primo Salomon: Noli, inquit, eſſe nimiùm iuſtus: De ſecundo dicit Apoſtolus: Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Mala ſapientia, quam caligo erroris obnubilat: bona ſimplicitas, quæ à Catholicæ fidei tramite non declinat. Odioſa ſanctitas, quæ in hæreſim illabitur; & dùm pertriti itineris ductum dedignatur incedere, per anfractus, & rùinoſa deuia compellitur oberrare. Nimia certè immunditia hæreticæ contagionis illuuiem Nouatianos, qui & Cathari dicuntur, immerſit: nimia ſanctitas Luciferianos, tamquàm pernicioſos palmites ab Eccleſiaſtici corporis vnitate præcidit : Qui dùm prohibent non licere quod licet,

Digitized by Google

licet, ac per hoc iactant, ſe defenſores eſſe iuſtitiæ, hoſtes adiudicantur Eccleſiæ, vt ſibimet extrinſecùs, velùt ranæ in paludibus, garriant, qui dùm ineſſent, importunè vociferantes, omnia confundebant. Huiuſmodi quippè genus hominum ranis, ſiue locuſtis meritò comparatur: quia ſicut Ægyptum illa tùnc animalia percuſſerunt, ita per hos nùnc vaſtatur Eccleſia. Locuſtæ ſiquidem vniuerſæ ſuperficiem terræ vaſtant, & herbas cum pomis arborum deuorant; cum detractores quilibet, vel infirma noſtra, quaſi herbas humilium, vel ſicut fructus arborum, opera perfectorum dilacerando corrodunt, & liuido mordacis inuidiæ dente conſumunt. Sed cum nos, in ſacro videlicet ordine conſtituti, deberemus eſſe venatores Dei, ſicut per Ieremiam dicitur: Mittam venatores meos, & venabuntur; nos relicta præda ſæcularium, nudatis dentibus, inuicem ringimus, & quaſi rabidæ caniculæ, mutuis nos morſibus laceramus. Reprimatur iam præſumptio tumida, exæquet ſe fratribus ſanctitas oneroſa. Qui vult eſſe ſanctus, ſit ſibi coràm Deo, nec per arrogantiam fratri præferatur infirmo. Catulus itaque, cuius erat officium extraneos pellere, nequaquàm, contemptis illis, aggrediatur domeſticos lacerare: ne qui quietus poterat dormire ſub tecto, excluſus foribus compellatur cubare ſub dio.] Hucuſque PETRVS ſymbolicis hiſce figuris (inquit Baronius) excommunicationem à Pontifice comminatus.

C A P. III.

Nonnullorum Scriptorum, & præcipue Didaci de Franchis ſententia reijcitur. PETRVS DAMIANI non egit contra Monachos Vallumbroſanos, ſed alterius Inſtituti. Admirabilis in hac Legatione eius prudentia, & iuſtitia commendatur.

1. IN Florentinam Ciuitatem deſcendit igitur, & venit Seruus Dei PETRVS, vt mox ipſe oſtendit, non vt gladium mitteret, ſed pacem; & Monachorum aliqui, & populus ille abſque vlla cauſa calumniati ſunt eum; & nunc pari modo ablatus eſt Vir Beatiſſimus gratis. Scriptores enim nonnulli iniquè agunt, & iugiter tota die nomen eius blaſphematur. Propter hoc ſciant tandem præfati Auctores nomen DAMIANI in die hac: quia ille ipſe, qui in recitata epiſtola, loquebatur, nunc in ipſa etiam ecce adeſt.

2. Vt lutum platearum deleat ergo quæ edidit Didacus de Franchis, qui vt ſuis Vallumbroſanis Monachis eſſet remiſſio, quorum in hoc ſchiſmate, vt ille credit, non modica fuit culpa, PETRVM afficit tribulatione: vel in illum congerendo, quæ ad rem non pertinent, vt quæ ſcripſit in Leonem procedentem contra Northmannos, aut quæ in Hildebrandum: vel quæcumque quidem ignorat blaſphemando, nam eius ex Eremo ad Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiaſtica negotia egreſſui, & regreſſui, quo, iuxta illud myſticum Ezechielis, ibat, & reuertebatur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, audacter detrahendo, S. Virum nunc cometam, nunc vaporem, qui ad modicum patet, & deinceps exterminatur, nuncupare præſumit: vel inter ſe oppoſita coacervando, & omninò inueriſimilia; vt inter alia, quòd placabilem ſe exhibuerit in Simoniacum Epiſcopũ, in cuius tamen faciem tantùm reſtiterat ob ludum ſchaccorum, quia eum in ipſo reprehenſibilem compererat: vel illud tandem ridiculum obtrectando, quod nimirùm Epiſcopo Beatiſſimus Vir adhæreret intuitu Gotthefredi Ducis, ob in ſe collatam à fratre Stephano Papa X. Cardinalatus dignitatem; tamquam ipſum Stephanum vt inimicum ſuum non duxerit, à quo renuens, & reluctans vocatus, immò coactus fuerat, vt aſcenderet ſuperiùs ad Eccleſiaſticam dignitatem, quam ipſo tempore abiecerat; quaſi magni haberet, quod tanto conatu ſpernebat ille, cui mundus crucifixus erat, & ille mundo.

Opuſc. 19. de Abdic. Epiſc. tom. 3.

3. Quod ſi PETRO iuſtè Monachorum quorumdam audaciam corripienti opponantur per „ Monachos patrata miracula: [Quia contingere „ non poteſt, quòd aliquis falſam doctrinam an„ nuncians, vera miracula faciat, quia ſic Deus „ eſſet falſitatis teſtis:] pro PETRO erit illud memorabile, quod docet D. Auguſtinus his verbis.

Didac. de Franch. ibid. vt ſup.

S. Thom. quod lib. 8. art. 6 o.

Digitized by Google

D. Auguſt: to.4. de Serm. Domini in mont. lib.2. cap.40.

" 7. [Atque illud ad rem maximè in primis
" pertinet, ne decipiamur tendentes ad contempla-
" tionem veritatis, non ſolum nomine Chriſti
" per eos, qui nomen habent, & facta non habent,
" ſed etiam quibuſdam factis, atque miraculis, qua-
" lia propter infideles, cum fecerit Dominus; mo-
" nuit tamen, ne talibus decipiamur, arbitrantes
" ibi eſſe inuiſibilem ſapientiam, vbi miraculum
" viſibile viderimus. Adiungit ergò, & dicit:
" Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine
" nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, &
" reliqua &c. Non ergò cognoſcet niſi eum, qui
" operatur æquitatem; nàm & ipſos Diſcipulos
" ſuos prohibuit gaudere ex talibus; ideſt quia
" dæmonia illis ſubiecta fuerint: ſed gaudete, in-
" quit, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlis.
" Credo in illa Ciuitate Ieruſalem, quæ eſt in Cœ-
" lis, in quantum niſi & iuſti, & ſancti regna-
" bunt. An neſcitis, ait Apoſtolus, quia iniqui
" Regnum Dei non poſſidebunt? Sed fortaſſe
" quis dicat non poſſe iniquos viſibilia illa miracu-
" la facere, & mentiri potiùs illos credat, qui di-
" cturi ſunt: In nomine tuo prophetauimus, & dæ-
" monia eiecimus, & virtutes multas fecimus.
" Legat ergò quanta fecerunt reſiſtentes famulo
" Dei Moyſi Magi Ægyptiorum: aut ſi hoc non
" vult legere, quod non in nomine Chriſti fece-
" runt, legat quæ ipſe Dominus dicit de Pſeu-
" doprophetis: Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce

hìc

Digitized by Google

„ hìc eſt Chriſtus, aut illic; nolite credere, ſurgent „ enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & „ dabunt ſigna magna, & prodigia, itaut in errorem inducantur etiam electi; ecce prædixi vobis. Quàm ergò mundo, & ſimplici oculo opus „ eſt, vt inueniatur via ſapientiæ, cui tantæ malorum, & peruerſorum hominum deceptiones, „ erroreſque obſtrepunt! Quos omnes euadere, „ hoc eſt venire ad certiſſimam pacem, & immobilem ſtabilitatem ſapientiæ.]

8. Hæc Auguſtinus: ex cuius ſententia rectè colligitur, tendentes ad veritatis cognitionem ſignis, & prodigijs aliquando decipi poſſe, non quia vera miracula patrari queant ad comprobandam falſam doctrinam; ſed quia falſa doctrina confirmari poteſt falſis miraculis, à quibus agnitionem veritatis exquirens decipiatur.

9. Deindè argumentum retorquens, ex aduerſario ſcriptore ſciſcitor: quænam erat illa Monachorum doctrina? (nam erroneæ doctrinæ peccatum, quod PETRVS DAMIANI nonnullis Monachis obiecit, Vallumbroſanis item ſuis imputatum cenſetDidacus;vndè illum quaſi calumniatorem humiliat, quia doctrinæ ipſorum veritatem, peractum, vt videbitur, miraculum patefecit.) Doctrina hæc erat, [quòd à Simoniacis Sacerdotibus nec Chriſma confici, nec poterant ſolemnia celebrari: & hæc tàm impudenter allegabant, Opuſcul. 30. cap. 2. tom. 3.

gabant, vt annus orno compulerit in tribu sPlebibus ſine conſperſione Chriſmatis Catechumenos baptizari. Nec de ſola Sacerdotum, ſiue Sacramentorũ obtrectatione erant contenti; ſed ab eis (vt dicebatur) omnia penè dilacerabantur, omnia conſpuebantur, õnia irriſione publica ſubſannabantur. Non eſt Rex (dicebant) non Papa, non Archiepiſcopus, neque Sacerdos. Opinabantur per illius temporis Sacerdotes nullam in Sacramentis poſſe fieri veritatem; vnde multi his nænijs, nugiſque decepti, ſine Sacramentis Dominici Corporis, & Sanguinis ex hoc mundo receſſerant. Salutare deſpiciebant Eccleſias, quas vtique dedicatas ab indignis quibuſdam Epiſcopis ſuſpicabantur &c.]

10. Hæc erat nonnullorum Monachorum doctrina. At talis doctrina vera eratne, vel falſa? Horret animus, calamus riget veram aſſerere doctrinam hanc: ſi ergo falſa, in teſtimonium illius patrata eſſe non potuerunt miracula; quia Deus non poteſt eſſe teſtis falſitatis. Iuſtè igitur PETRVS contriuit dentes eorum in ore ipſorum, molas leo-

Ex D. Auguſt. in lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 18. tom. 7.

„ num confregit. [Remotis ergo talibus, verita-
„ tem demonſtret doctrinæ non in ſignis, & pro-
„ digijs, ſed in præſcripto legis, in Prophetarum
„ prædictis, in Pſalmorum cantibus, in ipſius Pa-
„ ſtoris vocibus, in Euangeliſtarum prædicatio-
„ nibus, & laboribus; hoc eſt in omnibus Cano-
„ nicis ſanctorum librorum auctoritatibus;] &
PETRVM N. deceptum fuiſſe fateri non verebimur.

Et

Digitized by Google

11. Et hæc ad obiecta Didaei de Franchis, aliorumque ſcriptorum Actuum S. Io: Gualberti dicta ſufficiant. Sed quid ad illos, vel ad nos talia, cum clarè conſtet Beatiſſimo Legato Noſtro nihil fuiſſe, & iuſto illi? Non enim quia S. Io: Gualbertus publicè Simoniacum, & hæreticum Petrum Epiſcopum Florentinum aſſeruit; nec, quia poſtea miraculo Diſcipuli tranſeuntis per medium flammæ ignis ardentis eamdem rem confirmauit, vt infra dicetur, ideo S. Io: Gualbertus, eiuſque eximiæ ſanctitatis Diſcipuli, velut [vrbici Monachi, forenſes ſolitarij, Monachi vniuerſales, qui ſub Monaſticæ profeſſionis nomine Plebibus imperarent, & in angulis conſtituti, tamquam in tribunalibus, ſiue Prætorijs pragmaticæ ſanctionis iura promulgarent] à PETRO DAMIANI exprobrari potuerunt. Neque quod, vt vidimus, ſcripſit, dicens: [*Ipſi quippe in angiportuum angulis iudicant, & Synodalia iura detrectant, dij udicant Monachos, Clericalia cuncta corrodunt: & ſolis laicis, qui videlicet arctiùs, ac mordaciùs inſequendi ſunt, parcunt. Vident Monachum incedentem: aſpice, inquiunt, vnum ſcapulare &c.*] ritè intelligi poteſt de S. Io: Gualberto, eiuſque Alumnis. Neque tandem erronea, quæ docebantur à quibuſdam Monachis, nec plebis excitatæ ſeditionis ſcandalum, ipſi S. Ioanni Gualberto, ſuiſque, PETRVM DAMIANI imputare voluiſſe cenſendum eſt. Immò euidenter innoteſcit contrarium, videlicet non fuiſſe

Epiſtol. lib. 5. epiſt. 8. to. 1.

Opuſc. 40. c. 3. tom. 3.

Digitized by Google

fuiſſe S. Io: Gualbertum, qui PETRO ſe oppoſuit, neque ipſum à DAMIANO in furore ſuo correptum fuiſſe. Legantur, & perpendatur, quæ ipſi S. Ioanni Gualberto acciderunt
Apud Surium ſub die 12. Iulii. „ cum Stephano Papa X., qui ſcilicet [cum per vi-
„ cina loca Monaſterio, in quo S. Abbas reſide-
„ bat, iter haberet, audita celebri fama eius, nun-
„ cios ad eum miſit viros honoratos, orans vt
„ ipſius conſpectui ſe præſentare non grauaretur.
„ Sed cum aduerſa valetudo non ſineret eum ad
„ ſanctitatem illius proficiſci, Pontifex denuò
„ nuncios miſit, fortaſſis quòd æſtimaret eum
„ modeſtiæ, & humilitatis cauſa nolle venire, in-
„ dignumque ſe arbitrari, qui coram ipſo appa-
„ reret, vel etiam cupere eum latere: iuſſitque; vt
„ ſi aliter venire non poſſet, in lectica ſe adduci
„ pateretur. Cernens igitur Vir Dei mentem
„ Pontificis, in Eccleſiam ingreditur, rogatque
„ Dominum, vt citra ſcandalum, & inobedien-
„ tiam aliquâ ratione id efficiat, ne cogatur ipſe
„ Summo Pontifici ſeſe præſentem exhibere. De-
„ inde ſurgens ex lecto coram nuncijs Pontificis
„ conuerſos aliquot ad ſe accerſiri iubet, qui ip-
„ ſum ad Pontificem perferant. Sed cum paulu-
„ lùm à Monaſterio diſceſſiſſent, mox ingens ex-
„ titit aeris tempeſtas, ventis ſæuientibus, & im-
„ menſo imbre è Cœlo ruente. Quod Legati
„ cernentes, & non ſine Diuino miraculo fieri cre-
„ dentes, illum ceù verum Dei hominem in Mo-
naſte-

Digitized by Google

„ naſterium reduci mandant, Beatiſſimo Ponti-
„ fici rem, vt erat geſta, referentes. Qui dein-
„ ceps noluit eum ad ſe acciri, vt in ſua quiete
„ permanens, pro felici Eccleſiæ ſtatu Dominum
„ oraret.]

12. Si igitur miraculo remotionem ſuam S. Abbas tutatus eſt, non eſt certè, vndè de ipſo, & contra ipſum, eiuſque Diſcipulos dicta credantur quæ PETRVS DAMIANI ſcripſit, quòd ſcilicet: [vrbici eſſent Monachi, forenſes ſolitarij, Monachi vniuerſales, qui ſub Monaſticæ profeſſionis nomine Plebibus imperarent, & in angulis (vrbium videlicet) conſtituti pragmaticæ ſan-
„ ctionis iura promulgarent,] [nam ſicut qui D. Anſelm. in cap. 1. epiſtol. ad titum.
„ aliquando iraſcitur, iracundus non eſt, ſed qui
„ crebrò hac paſſione ſuperatur;] ita planè, qui religionis zelo vix aliquando vrbem ingreſſus eſt, non ideo tamquàm vrbicus Monachus, ſolitarius forenſis à PETRO DAMIANI potuit increpari, cum hæc potius pertinuiſſe videantur ad Monachos, qui crebrò in vrbe morarentur ſolitudinem ſuam ibidem ſimulantes. Aliter & ipſe PETRVS vrbici Monachi improperium, quod alteri inferebat, meruiſſet: dum toties Monachum vrbes frequentaſſe ſuperiùs enarrauimus.

13. Euidentiùs item dignoſcitur non contra Monachos Inſtituti S. Ioannis Gualberti [vt Synodalium iurium detractores, Monachorum diju-

dicatores, popularium ſeditionum excitatores, Clericalium omnium corroſores] pugnaſſe Beatiſs. noſtrum Legatum; ſed potius contra alterius Inſtituti ſectatores, ex ſupra allatis, [*Vident Monachum incedentem: aſpice, inquiunt, vnum ſcapulare &c.*] Nam quo pacto ſcapulare gerentes Monachos irridere poterant S. Io: Gualbertus,eiuſque Diſcipuli, ſi & ipſi ſcapulare geſtabant? In quo enim alios contemptui haberi contendiſſent, ſe ipſos magis contemptibiles reddidiſſent. Dicendum igitur potius eſt non indiſtinctè ab omnibus Monachis, ſed à Monachis alterius Inſtituti non ſcapulare gerentibus, non ſolitudinem ſectantibus, ſed in vrbe commorantibus, hos conflatos eſſe tumultus in populo, hæc commota eſſe iurgia in PETRVM DAMIANI; & ſimiliter illorum fuiſſe erroneam doctrinam, quam verè & iuſtè PETRVS improperauit, & qua inflati omnia conſpuebant, omnia irridebant, omnia publica irriſione ſubſannabant. Nam in Actis S. Io. Gualberti nulla prorſus fit mentio de nullitate Sacramentorum, ſed tantùm quòd ipſe ſuis fratribus dicebat, Epiſcopum eſſe reum hæreſis, & Simoniæ, ideoque Sacramenta ab eo non eſſe percipienda. Quo aſſertionis fundamento vibici Monachi illi, de quibus loquitur PETRVS N. DAMIANI (vt contingere ſolet) impudenter, non videntes quomodo ſuperædificarent, ſuperædificaſſe cenſendum eſt malorum ſuorum dogmatum lignum, fœnum, & ſtipulam. Sed vniuſ-

Vt ſup.

cuiuſ-

Digitized by Google

cuiuſque opus manifeſtum fuit, & vniuſcuiuſque opus quale fuit, ignis probauit; nam forenſium Monachorum opus, detrimentum paſſum arſit, vt videbitur, in Concilio Romano: ipſe autem S. Ioannes Gualbertus ſaluus fuit, ſic tamen quaſi per ignem, per quem tranſiens Diſcipulus eius, verè Simoniacum Florentinum Epiſcopum comprobauit.

14. Sed mox apponenda euidentiùs oſtendent, quòd PETRVS N. cum viro ſancto ſanctus fuit, & cum viro innocente innocens fuit, & cum electo electus fuit, & cum peruerſo peruerſus fuit; & Monachos humiles ſaluos fecit, Monachorum verò ſuperborum oculos humiliauit; quòd Dominus dilatauit greſſus eius, & non ſunt infirmata veſtigia illius. Sanctiſſimus enim Legatus prudenter ſe geſſit iuxtà leges humanas; nam probationibus legalibus deſtitutus, quibus damnaretur Epiſcopus; quibuſdam affirmantibus, alijſue negantibus ipſum eſſe reum: in tanta partium contradictione (vt ipſemet ſcribit, & vidimus) maluit reum iuſtificare, quàm fortè innocentem condemnare; nec aliter ſeſe gerere poterat, nam, vt Iudex, tenebatur iudicare ſecundùm dicta, & allegata, &, ſtante dubio, fauere reo.

15. Intellectus igitur bonus ſit omnibus & ſcribentibus, & legentibus, vt PETRI laudatio maneat in ſæculum ſæculi.

Digitized by Google

CAP. IV.

Theuzonis Eremitæ ſuperbiam inſectatur epiſtola ad ipſum ſcripta.

1. SED maiori credit Annaliũ Auctor exarſiſſe indignatione PETRVM, in eum, quem putauit malorum omnium auctorem, Theuzonem „ Monachum incluſum : [de quo iſta ſuperius „ (inquit) in eiuſdem S. Ioannis Gualberti Actis „ ſcripta leguntur; Theuzo is ſenex dicebatur, & „ apud Beatæ Mariæ Eccleſiam Florentiæ in qua„ dam cellula ſe incluſerat, permultique ad eum „ confluebant, ſalutaria ab illo conſilia expectan„ tes. Valde autem Simoniæ labem deteſtabatur, „ qua tunc multi in Eccleſia Dei contaminati „ erant. Ab illo igitur Ioannes ſciſcitabatur, num „ ſub Abbate Simoniaco intra ſuum Monaſterium „ Chriſto militare deberet, vel quid faciendum „ eſſet. Conſuluit ille, vt cum ſocio palam, in foro „ ciuitatis, coram omnibus proclamet, Epiſco„ pum, & Abbatem Simoniæ vitio obnoxios te„ neri, ac deinde loco cederent. Quod conſilium „ tametſi à communi legum abhorreret, ſimpli„ citer ille ſecutus eſt &c. magis, inquam, ex his in „ Theuzonem ipſe PETRVS excanduit, quem „ cum Florentiæ adijſſet, ab eo exceptus eſt cla„ moribus contentioſis; cumque re ipſa didiciſ-

ſet

„ ſet ipſum arrogantia plenum hominem, faſtu-
„ que tumentem, quò ipſum curaret, atque ad
„ Monaſticam legitimam diſciplinam compone-
„ ret, humilitatem, atque manſuetudinem in
„ primis colendam inſinuans, prolixam ei ſatis
„ epiſtolam ſcripſit tanto Magiſtro, & Auctore
„ dignam, vt infra.]

2. *Domno Theuzoni Eremitæ, PETRVS peccator Monachus reſumendæ Charitatis aculeum.*

Per longiora te ignotarum regionum loca, per præcipitia montium, per ſaxoſa Alpium prærupta quæſiuimus; tandem ad ianuam pertingentes, poſt multa precum quidem noſtrarum, tuarum autem volumina altercationum, cum iam lapſus penè deficeret ſpiritus; vix demùm tamquàm importuni capitis homines admiſſi ſumus (Dominus enim mihi tùnc Albizo adhærebat) intenti autem, & non mediocriter auidi ædificationis documenta ſuſcipere, protinùs in ipſo mutuæ collocutionis exordio coacti ſumus iurgioſis quibuſdam contentionibus deſeruire, & qui geſtiebamus de ſpirituali certamine ſubtilia quædam, & occulta diſcutere, vix tandem ſuffecimus perplexas quæſtiones, atque inutiles arroganter abiectas, ineptæ videlicet litis materiam propulſare, quique conueneramus Eliam, vel Paulum videre in Eremo humili- Opuſ. 51. to 3. cap. 1.

Digitized by Google

militer latitantem; citra ſpem reperimus quodammodo Xenocratem in Gymnaſio grandiloquè proponentem: immò quibus mens erat, imitationis gratia agnum conſpicere mitem, ferocem potiùs taurum incurrimus cornibus immaniter ventilantem. Inter ipſos tamen quæſtionum, contentionumque denſiſſimas grandines, prout licuerat, mitis ille prædicator ad memoriam recurrebat dicens: Stultas, inquit, & ſine diſciplina quæſtiones deuita ſciens,
1. Timot. 2. *quia generāt lites; ſeruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. Et iterum: Noli verbis contendere; nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Illud quoque non prorsùs exciderat: Profana autem, & vana eloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem. Hæc, & huiuſmodi nobis tacitè conferentibus, illud etiam cum eodem Apoſtolo, clamoſo quodam ſilentio, conſcientia reſpondebat: Si quis, inquam, vult contentioſus eſſe, nos huiuſ-*
1. Corinth. 11. *modi conſuetudinem non habemus. Quid plura? Tandem cum in arcto poſiti multiplicium obiectionum vallaremur anguſtijs, vbi ratiocinandi copia ſuppetere deſijt, ad Sanctorum mox exempla confugimus: vt illis ſaltem fides habeatur, quorum auctoritas ad probationem cuiuſcumque negotij incunctanter admittitur. Cumque ſuper quodam diſceptationis articulo Sanctus Romualdus in teſtimonium duceretur; præſtò quæſitum eſt, vtrum ipſe Romualdus, aut tùnc extiterit Sanctus, vel*

nùnc

Digitized by Google

nùnc ſit in Paradiſo receptus. Et licet contra fidem totius Eccleſiæ noſtrarum Prouinciarum hæc de S. Viro quæſtio moueretur: ad aſtruendam tamèn partis noſtræ ſententiam illos in teſtimonium ſanctos adſciuimus, quorum celeberrima, & vetus opinio etiam apud plebeios quoslibet, & ignaros nutare non poſſit. Leonem videlicet, atque Gregorium clariſſimos olim Romanæ Sedis Antiſtites; quorum quidem alter authentica Canonum Decreta promulgat; alter Eccleſiam perſpicuis, atque profundis Cœleſtis eloquentiæ fontibus irrigat; ſed his nominatis tantumdem eſt; nàm & ſuper his nihilominus quæſtio geminatur: quo pacto quis eorum teneat; vtrùm & iſti tales fuerint, quibus ſinè retractatione debeat fides accommodari, ſiuè etiam digni ſint intrà Sanctorum catalogum recenſeri.

3. Cumque hæc, & alia plura in ſermocinationis decurſu impudenter effluerent, quæ non modò vllum fructum ædificationis, ad quem gliſcebamus, afferrent; ſed ſuper vacuam potiùs interminabilium quæſtionum caliginem generarent; tandem recolentes illud, quod dicitur: Verbum abbreuiatum faciet Dominus; quaſi de ſpumoſi maris procelloſis turbinibus emergentes, ad tuti portus ſinum applicare ſtuduimus. Dùm de charitate, in qua nulla quæſtio videbatur, adorti ſumus. Quippè erat inter te, & Abbatem tui Monaſterij non ferenda ſimultas, & inueterata diſcordia. Ille Ibid. cap. 2.

igi-

igitur vtpotè vir mitis, ac ſimplicis animi, ſponſionibus ſuis cuncta dignæ ſatisfactionis, & humilitatis iura tranſcendit, & nos ſequeſtris fœderis inter ſe, & te executores inſtituit. Verùm nos, dùm alienis amicitijs inconſultè conſulimus, in implacabile odium proprij capitis deuoluti ſumus; quin potiùs in oblatrantis Charybdis latus incidimus; qui nos Scyllææ voraginis naufragium euaſiſſe credebamus: dehinc paucis quaſi rationibus irrationabiliter redditis, & cum iurgio, & timore impatienter effuſis, ad trabale ſcilicet odium non euellendum, ſed enixiùs radicandum; tandem per ſemicintias correpti, violenti excludimur, & præ damnatis foribus, familiare colloquium vlterius non meremur. Digna nimirùm vltione mulctati, vt qui in commendandæ charitatis crimen incidimus, & quod in homicidas durum eſt, perpetuo digni odio cenſeremur. Verumtamèn ne de his leuiter ridere videamur, quæ pijs mentibus fraterna ſunt compaſſione lugenda, inhoneſtæ confuſionis hiſtoriam hucuſque contexuiſſe ſufficiat.

Ibid. vt ſup. cap. 3.

4. *Nunc, vndè tibi huius origo morbidæ tabis obrepſerit, tantummodo te ſit poſſibile audire patienter, ego non grauabor exponere. Nulla ſiquidem diſciplina, vt dicitur, Monaſticæ inſtitutionis attritus, ſub nulla maiorum cuſtodia maceratus, in ipſo conuerſionis nouæ tyrocinio adhùc durus, & rigidus huius propoſiti iter arripiens, ante cœpiſti docere, quàm diſcere, prius depromere, quàm*

Digitized by Google

quàm legum mandata ſeruare. Hùc accedit, quòd *Eremiticam vitam non in Eremo, ſed intra populoſæ vrbis mœnia ducere decreuiſti; vbi nimirùm quidquid à tam magnifici nominis auctore præcipitur, ſic arripiatur, tamquàm ſi à Sibyllino aditu vaticinij oraculum reportetur. Sed, quæſo, ſi Monachus es, quid tibi cum vrbibus?* Si *Eremita, quid tibi cum ciuium cuneis? Quid enim cellæ, vel fora ſtrepentia, vel turrita conferunt propugnacula? Enim verò, qui tamquàm deficientibus ſyluis ſolitudinem in vrbibus quærunt, quid aliud credendum eſt, niſi quòd ſolitariæ vitæ non perfectionem, ſed fauorem potiùs, & gloriam aucupantur? Illic igitùr, captato vulgi fauore, circumfluus, quid tibi mens vel improuiſa dictauerit, proprio iudicio lex habetur, quidquid præceps lingua decurrerit, ſententia deputatur. Nec te metiris iuxtà teſtimonium propriæ conſcientiæ, ſed ſecundùm opinionem potiùs aſſentatricis turbæ, apud quam videlicet venalis pallor in vultu, & auditum nomen ieiunij ſtuporem mentibus ingerit. Vinum namque in vrbe neſcire prodigium eſt; in Eremo bibere ſatis ignobile: oleum in Eremo magnæ deliciæ; in populo autem, qui ſaltèm aruina non veſcitur, abſtinentiæ palma donatur. Cilicium in Eremo veſtimentum; in vrbe ſpectaculum. Cruribus, pedibuſque nudatis incedere, in Eremo quidem regula; in foro autem afflictio cernitur indiſcreta. In Eremo ſtratum molle iuncus eſt, vel*

papyrus inter ciues applauditur centone contentus. Quod enim illic conuerſatio rara mirabile reddit, hic fraterna ſocietas commune. Ac per hoc, quod illic præconio laudis attollitur, hic generaliter inditum gloriam non meretur.]

Ibid. à cap. 4. vſque ad 10. 5. [Hinc ex more ad dandam ſcientiam ſalutis ſuperbo Eremitæ multa illuſtrium Virorum, ſed præcipuè Diſcipulorum ſuorum narrat exempla.

Ibid. cap. 10. 6. Deindè:] [*Ii ſanè* (inquit) *quorum ſuperiùs mentionem feci, non clari, non famoſi, non certè vulgi opinione notabiles; ſed deſpicabiles, & pannoſi ita ſe bonis omnibus inferiores iudicant, vt etiam nobis ſe, noſtriſque ſimilibus quolibet conuerſionis indicio non præponant. Nobis autem ſcilicet conueſcentes non dedignantur communi menſa participare, immò tamquàm ſuppares omne nobis charitatis officium familiariter exhibent. Tu quoque ſi rectè, ſi diſcretè, ſi fructuosè per viam vis veræ Religionis incedere, ſic tibi metipſiſis auſterus, & rigidus, vt alijs videaris bilaris, & remiſſus: ſic intra temetipſum ſtudeas in rectitudinis arce percellere, vt noueris te, & infirmis fratribus miſericorditer inclinare; ſic in tribunali mentis tuæ iuſtitiæ fræna diſpone, vt tamen delinquentibus non obdureſcas, venialiter indulgendo. Sit in corde mœror, in vultu lætitia; in fratris aduentu caro tua ſentiat refrigerium, nec multum timeas, ſi ſolitæ ſeruitutis non impleas*

pen-

Digitized by Google

penſum. Pulſante cellulam tuam fratre, protinùs triſtes rugæ diſcedant, contracta ſe ora reſoluant, ſerena facies occurrat, feſtina frons lætitiam præferat. Peccatum in te mortis periculum deputa, in alijs fragilitatem conditionis appella. Decerne alium ferula dignum, vnde te ſcorpionibus arbitraris obnoxium. Non ſis iuſtior iuſto; & qui times peccata committere, non dubites veniam peccantibus impertiri. Non eſt enim illa recta iuſtitia, quæ in deſperationis foueam mentes pertrahit alienas.]

7. Et poſt multa, quibus acriter forenſis Solitarij arrogantiam perſtringit: [*Hæc igitur tibi, Theuzo Pater, ex epiſtola propoſui, vt deſinas de ſingularitate tumeſcere; vt diſcas iuniorum fratrum etiam offenſas, ſi fortè contigerint, æquanimiter tolerare; iàm igitur ab illa rigida nimis, & toroſa mentis tuæ animoſitate compeſce; teque in patientia cum fratribus tuis, & blanda charitate compone. Quiſquis enim per feralitatem amicis ſuis contubernalibus non concordat, ferarum more ſolus neceſſe eſt, vt beſtialiter viuat. Qui ergò Redemptoris ſui diſcipulus non dedignatur exiſtere, diſcat ſe mitem proximis ſuis, & humilem exhibere: Diſcite à me (inquit) quia mitis ſum, & humilis corde. Qui denique Sancti Spiritus templum eſſe deſiderat, vt idipſum repetam, ab humilitate ſimùl, & quiete manſuetudinis non recedat. Ait enim: Super quem requieſcet ſpiri-*

Ibid: vt ſupra, cap. 14.

Iſaiæ 66.

tus meus; niſi ſuper humilem, & quietum? noN igitur eorum animos verboſicatis quæſtionibus pulſes, non eos tamquàm toruæ ceruicis taurus cornicibus ventiles; ne dum à te fugitur, illud in tui opprobrium iaculetur, quod de boue cornupetæ antiquitùs dicebatur: Fœnum habet in cornu. Tranquillum ergò te, & quietum cunctis videntibus exhibe; & præcipuè his, qui ex Deo ſunt, omni te obedientia, & humilitate proſterne: vt qui in te Chriſtum quærunt, Chriſtum conſequenter inueniant, & in manſuetudine, quam exteriùs viderint, ipſum auctorem manſuetudinis altiùs in mentis tuæ ſolio præſidere deprehendant. Planè ſi pectus tuum Arca Dei eſt, ſicut profectò dignum eſt, non in eo ſolo ſit virga, quæ feriat, ſed & manna, quæ in fraternæ mentis palato dulceſcat: nec in eo zelus ſit amaritudinis, qui deterreat; ſed zelus potiùs charitatis, qui ſalubriter corrigat. Sicque correptionis aculeus vulnus delinquentium pungat, vt & manſuetudinis oleum leniori quodam fomento demulceat. Verùm nos dùm ædificationis fraternæ ſtudio ardenter inſiſtimus, modum epiſtolæ ſupergreſſi ſumus.

8. *Nunc igitur, dilectiſſime mi Pater, & Domine, pedibus tuis me proſtratus protinùs aduoluo, fuſiſque lacrymis veniam humiliter peto, videlicet vt ori meo clementer indulgeas, & me, qui tibi audacter inſugillare præſumpſi, à charitatis tuæ dulcedine non repellas; dummodò nempè*

hæc

Digitized by Google

hæc, quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt, ſalubriter admittantur. Ego non abnuo ſatisfactionis gratia, & nudas ferulæ veſtræ ſcapulas ſubdere, & de cætero paternis ſanctæ veſtræ legibus reuerenter obtemperare. Spero autem, quòd & hæc mea vobis non erit infructuoſa correptio: quia dum menti veſtræ tàm ſcilicet graui, tàm maturæ, tàm certè ſanctæ amarum fortè ſapit, quod auſu iunioris arguitur, in vobis metipſis liquidò poteſtis addiſcere, quid vobis dura loquentibus de alieno debeatis corde ſentire. Rogo autem, venerabilis Pater, vt pro me peccatore ſemper orare digneris. Quia autem faciem veſtram vlteriùs in hac vita viſurum me eſſe non ſpero, Diuinam depoſco clementiam, vt ſoluto militiæ cingulo, ſic nos in mutuos repræſentet aſpectus; quatenùs & vnum ſupernæ videlicet Ieruſalem adſcribatur emeritis municipium, & ſocialis in vtrumque procedat recompenſatio meritorum.]

CAP.

CAP. V.

Ex epiſtola PETRI DAMIANI reſipiſcit Theuzo, & quo tempore. Romam ad Synodum pergunt Monachi, vbi Epiſcopus Florentinus deponitur, & Chalcedonenſis Concilij Decretum contra Monachos Girouagos renouatur.

1. HÆc locutus eſt PETRVS Theuzoni, & cum viro irreligioſo tractauit de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia, & cum iracundo de patientia, & tandem cum arroganti, & elato de humilitate. Verus enim mitis, & humilis corde ſeniorem ſe non increpuit, ſed obſecrauit, vt patrem; & de ſe demiſsè ſentiens, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe ſimilem illi, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem inſipientis hominis factus, ad eum venit, qui ad ipſum potiùs venire debuerat, vt baptizaretur; & bonus paſtor, relictis quodammodo nonaginta nouem ſuis ouibus in montibus, iuit ad illam, quæ perierat, donec illam inueniret. Et habens drachmas decem, accendit mirabilem verbi ſancti ſui lucernam, & euerrit domum, & quæſiuit diligenter, donec vnam perditam inueniret. Noluit vinci à malo, ſed vicit in bono malum, & benedicens, conuerti fecit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluauit animam eius à morte, & operuit multitudinem peccatorum. Sapien-

Digitized by Google

Sapienter admonuit ſubditum eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratum eſſe, neminem blaſphemare, non litigioſum eſſe, ſed modeſtum; omnem oſtendere manſuetudinem ad omnes homines, vt cum appareret benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ feciſſet ipſe, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluum eum faceret per lauacrum pœnitentiæ, & renouationis Spiritus Sancti, quem in illum abundè effunderet per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificatus gratia ipſius, hæres eſſet ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Non alta ſapiens, ſed humilibus conſentiens, quibuslibet irrationabilibus ſibi propoſitis, ſatisfacere non contempſit; ſed inclinans ſe, quodammodo digito ſcripſit in terra, vt eum, qui de terra erat, & de terra loquebatur, fratrem ſuum lucrifaceret.

2. Niſi enim Dominus exercituum reliquiſſet Theuzoni ſemen verbi ſui ex ore Beatiſſimi Viri, quaſi Sodoma fuiſſet, & quaſi Gomorrha ſimilis eſſet, vt ille nimirùm, de quo Sanctus Dorotheus „ narrat: [Quòd primò quidem cum aliquid boni „ de fratre quopiam quiſquam deprædicaret, ſtatim reſpuebat eum, dicens: Quis eſt ille? Non „ eſt, qui momenti ſit alicuius, niſi Zoſimas, & „ qui cum eo ſunt. Poſt cœpit & hunc contemnere, ac nihili pendere dicens: Nemo eſt, qui „ quicquam valeat præter Diuum Macharium; „ & non multò poſt ait: Quid eſt Macharius?

Serm. 2. de Cordis Humilitate.

Nul-

„ Nullus quicquam eſt præter Baſilium, & Gregorium. Atque etiam paulo poſt cœpit & hos teruncifacere, dicens: Quid eſt Baſilius? Quid eſt Gregorius? Nemo quicquam valet niſi Petrus, & Paulus. Cui ego dixi: Certè, frater, & hos etiam contemnes. Credite mihi, non mentior. Non multò poſt dicere cœpit; quid eſt Petrus? Quid eſt Paulus? Nemo eſt alicuius, niſi S. Trinitas. Poſtmodùm vero & contrà Deum ipſum ſuperbire cœpit, & inſoleſcere. Denique ad eum modum delapſus eſt in perditionis, & impietatis barathrum.]

3. Conuertit igitur PETRVS manum ſuam ad Theuzonem, & excoquit ad purum ſcoriam eius, & abſtulit omne ſtamnum eius: [Pluribus (inquit Annalium Auctor) arrogantiam hominis inſectatus, & vndè ipſi morbi huius origo manauerat, ſapienter aperuit, vt curaret; & agens ſapientis medici partes, cuius optanda ſint vulnera ad ſalutem; de quo Pſalmographus: Corripiet me iuſtus in miſericordia. Viri enim Sanctiſs. epiſtola veluti cœlitùs ſtrepente tonitru perterrefactus Theuzo, quem nimius, & inconſideratus zelus iàm per abrupta ferebat, in ſe reuerſus, ampliùs mutire non auſus, quæ ſancti eſſent Anachoretæ, munera explens; vt ſibi ipſi vacans, peccata lugendo, Deum placaret in primis ſtuduit: quod adeò diligenter eſt proſecutus, & feliciter aſſecutus, vt reliquis ſit factus

Ex Bar. vt ſup.

ctus

„ ctus exemplum perfectiſſimi Anachoretæ, poſte-
„ riſque fuerit ſemper memoria venerandus.

„ 4. Profecerunt pariter ex PETRI ad eos
„ miſſa Apologia venerandi Monachi illi, qui etſi
„ iuſtam cauſam ſibi fouere viderentur; minus
„ tamen iuſtè eam hactenùs proſequuti fuiſſent; iu-
„ ſta enim iuſtè tractanda admonet Sapientia. Con-
„ tra verò ipſe PETRVS iuſtè aduersùs eos tunc
„ agebat, quòd non eſſet Monachorum vitare Epi-
„ ſcopum, quem Eccleſia non damnaſſet: nec de-
„ berent aſſumere ſibi iudicium, quod non Mo-
„ nachorum, ſed tantummodò eſſet Apoſtolicæ
„ Sedis; neque præiudicare, antequàm Romanus
„ Pontifex iudicaſſet. Correpti verò PETRI
„ iuſta reprehenſione ijdem Monachi, eius admo-
„ nitione Romanum Pontificem adire inſtitue-
„ runt, atque cauſam, quam iuſtam putabant,
„ iuſtè proſequi aggreſſi ſunt; ſerò tamen intelli-
„ gentes, nimio zelo percitos à legitima Cano-
„ num deuiaſſe ſententia, cum per ignorantiæ
„ abrupta neſcientes, præcipites ſe dediſſent.] Hæc
ille.

5. At ego, qui accipere non poſſum fa-
ciem aduersùs faciem meam, nec aduersùs animam
meam mendacium, nec contradicere verbo veri-
tatis vllo modo, & confuſionem mendacij ineru-
ditionis declinare, vt poſſum, enixè ſtudeo; iſta
& alia, quæ ex Annalium Auctore ſupra propoſui,
aliter quàm ille refert, eueniſſe fateri coactus ſum.

Confuſionem ſiquidem illam adducentem gloriam, & gratiam, qua faciem Theuzonis impleuit PETRVS N., nequaquam ad cauſam, de qua agimus Petri Epiſcopi Florentini, & Monachorum S. Ioannis Gualberti pertinere perſpicuum eſt, & manifeſtum. Ab ipſo nempè præclariſſimo Annalium Auctore aſſeritur, reſipuiſſe Monachos ex epiſtola PETRI DAMIANI, eundo ſcilicet Romam ad Synodum, vt iuridicè conuenirent Epiſcopum, eo quòd, etſi iuſtam cauſam fouere putaſſent, minùs tamen iuſtè eam hactenus proſequutos fuiſſe nouiſſent. Sed contrarium apparet; nam in Actis S. Ioannis Gualberti habetur eos Florentiam reuerſos, more ſolito impugnaſſe Epiſcopum, necnon tùm contigiſſe miraculum Petri Ignei. Non igitur dicendum eſt eos acquieuiſſe, quaſi agnoſcerent ſe priùs malè feciſſe, cum, vt antea, ab Epiſcopi accuſatione non deſtiterint; immò ſi hoc admitteretur, abſquedubio inſigni miraculo, illorum operationes iuſtificanti, præiudicaretur. Vndè quod in ijſdem Actis legitur nempè, quod: [PETRVS „ DAMIANI rogatus ab æmulis aduerſæ par- „ tis, obſtitit noſtræ parti, vt relatum extitit, & „ ſurgens locutus eſt cum Domino Sanctiſſimo Pa- „ pa Alexandro II. dicens: Domine, & Pater ſancte „ iſti ſunt locuſtæ, quæ depaſcuntur viriditatem „ Sanctæ Eccleſiæ; veniat Auſter, & perferat eas, in „ mare rubrum &c.] contra Monachos S. Ioannis Gualberti à PETRO ſanè non potuit eſſe pro

latum

latum; nam ſi hac Sanctiſſimi Viri ſuaſione Monaſticæ diſciplinæ zelo exæſtuantis, vt probabiliter cenſendum eſt inductus Pontifex contra dictos Monachos edidiſſet Decretum, de quo infra, ne videlicet Monachi, iuxta Chalcedonenſe Concilium, Clauſtris facile egrederentur; profectò Florentiam reuerſi, ex Papæ præcepto Monaſterio egredi non potuiſſent. Cum itaque Gualberti Diſcipulos ſtatim feciſſe conſtet oppoſitum, ideò in iſtos loquutum non fuiſſe PETRVM, nec eius intuitu præfata decreuiſſe Alexandrum deducitur. Dubitari verò non potes, huiuſmodi Decretum promulgatum fuiſſe dumtaxat poſtquàm Monachi Vallumbroſani rediere Florentiam, & poſt patratum ignis miraculum, vndè inferatur etiam tum temporis S. Io: Diſcipulis è Clauſtro egredi licuiſſe, vt Epiſcopi accuſationem iam primùm incœptam proſequerentur. Nimis enim incongruum eſſet hoc de tanto Pontifice, & de Beatiſſimo Viro Simoniacorum ſemper infeſtiſſimo hoſte, ſuſpicari; diſplicuiſſe etenim ipſis videretur miraculum, quo Simoniaca labes facta eſt nuda, & confuſione plena; & noluiſſe intelligere, vt benè agerent, dicendum eſſet: quo nihil abſurdius, nihilque magis veritati aduerſum aſſeri poteſt; cum præcipuè depoſitio Epiſcopi ſubſecuta, mirum illum euentum, Monachorum conſilium Alexandro placuiſſe comprobet; ac memorato Decreto alios, quàm S. Ioannis Gualberti Monachos, cohibitos fuiſſe oſtendatur.

6. Sed in hac Petri Epiſcopi Florentini cauſa nihil prorſus ſe immiſcuiſſe Theuzonem, euidentiùs patet. Cum enim S. Ioannes Gualbertus, (vt ex dictis) conſilium accepit à Theuzone publicè proclamandi vt Simoniacum Abbatem, & Epiſcopum; nullo pacto agebatur de Petro Ticinenſi, de quo loquimur. Alia enim fuit proclamatio illa facta à Ioanne; alia iſta facta ab ipſo, & Diſcipulis eius; & alter fuit à Petro Ticinenſi Epiſcopus ille, quem Simoniacum ante quinquagintaquinque annos Gualbertus ipſe in foro Florentiæ coram omnibus denunciauit: quod, vt melius intelligatur, rem latiùs exponam. Anno 985. natus Ioannes Gualbertus, Monachicum Inſtitutum in Cœnobio S. Miniatis propè Florentiam amplexus eſt anno 1003. Poſt quatuor annos, ideſt anno 1007. mortuo eiuſdem Monaſterij Abbate (cum Ioannes tale pondus ob humilitatem renuiſſet accipere) in eius locum Vmbertus quidam ſimoniacè ab eius temporis Epiſcopo Florentino ſuffectus eſt; quod cum comperiſſet Ioannes, à Theuzone ſciſcitatus eſt, num ſub Abbate Simoniaco intra ſuum Monaſterium Chriſto militare deberet, vel quid faciendum eſſet; & ille admonuit, vt cum ſocio in foro Ciuitatis, populo adſtante, publicaret Epiſcopum, & Abbatem turpiſſimo Simoniæ crimini obnoxios teneri; quod conſilium ſimpliciter ille ſequutus eſt.

7. Conſtat igitur, quod S. Ioannes Gualbertus æta-

ætatis ſuæ anno vigeſimo ſecundo conſuluit Theuzonem, nempè anno Domini circiter 1007., quo nimirum tempore Eccleſiam Florentinam nullo modo regere poterat Petrus Ticinenſis, qui anno tantum 1062., vt diximus, eam, poſt mortem Nicolai II. ſimoniacè inuaſit. Quiſnam verò fuerit Epiſcopus ille, quem tunc denunciauerit, ſuadente Theuzone, Ioannes, exquirendum. Poſt Podium Epiſcopum Florentinum, qui eam rexit Eccleſiam ab anno 989. vſque ad 1002., ipſiuſmet regimini immediatè ſucceſſit Vvido, aut Gui-
„ do circa annum 1002. [N. * . . . . . . poſt
„ Vvidonem (inquit Vghellius) hanc Eccleſiam
„ regendam ſuſcepit, cuius nomen non exprimi-
„ tur in Lamberti ſucceſſoris documento, vt infra
„ videbimus, in quo Podium quartum ſuum præ-
„ deceſſorem appellat; vnde poſt Podium, vel Vvi-
„ donem, alterum Epiſcopum ante Hildebrandum
„ neceſſe eſt interceſſiſſe.] Occurrit autem memoria prima Hildebrandi Epiſcopi Florentini anno 1008., & extitit vſque ad annum 1024. Lambertum deinde eam Eccleſiam accepiſſe habetur anno 1025., & ipſam rexiſſe vſque ad 1032.; cui ſucceſſit Attho II. qui eam tenuit vſque ad annum 1046., & eodem anno ad ipſam euectum fuiſſe Gerardum poſtea Nicolaum Secundum, eamque tenuiſſe vſque ad 1061. legitur; poſt cuius obitum Petrus Ticinenſis eamdem occupare præſumpſit.

* Supple Attho I.

Vghel. Ital. ſac. tom. 3.

Ve-

8. Verum Scriptores Vitæ S. Io: Gualberti Epiſcopum Florentinum ab ipſo, hortante Theuzone, vt Simoniacum proclamatum, fuiſſe Atthonem huius nominis Primum autumant, à quibus diſſentire non decet. Quod autem animaduertere debemus, eſt, inquam, Theuzonem fruſtra correptum dici à PETRO N. in cauſa Petri Ticinenſis, vel incaſſum aſſeri conſilium dediſſe hac in re Ioanni Gualberto; quia toto cœlo diſtat proclamatio Atthonis facta à Ioanne, auctore Theuzone, ab illa Ticinenſis, quia nec tempori nec circumſtantijs vllis concordat; erat enim Abbas Ioannes non ſimplex Monachus, cum Florentinam Cathedram iſte Petrus inuaſit.

9. Præterea ſi hucuſque dicta non ſufficerent; innumeris etiam alijs rationibus probari poſſet, nulla ex parte diſſidia fuiſſe hac de cauſa inter PETRVM DAMIANI, & Theuzonem. Dicit enim diſertiſſimus Annalium Scriptor, quod Beatiſſimus Vir Florentiæ Theuzonem adijt, & ab eo exceptus eſt clamoribus contentioſis; & hoc deducit ex epiſtola ad Theuzonem ipſum à DAMIANO ſcripta, in qua dicit: [*Per longiora te ignotarum regionum loca, per præcipitia* Opuſ. 51. ca. 1. *montium, per ſaxoſa Alpium prærupta quæſiuimus, tandem ad ianuam pertingentes poſt multa precum &c.*]

10. Sed ex his potius conijcitur, non Florentiæ manſiſſe Theuzonem, cum illum alloquuturus PE-

PETRVS adiuit, ſed alibi, nempe in aliqua ſolitudine, in qua ſe abdiderat è proprio Monaſterio profugus, vt infra.

11. Ab eodem inſuper Auctore dicitur, PETRVM propter præfati Epiſcopi intruſionem, allatam ſcripſiſſe ad Theuzonem epiſtolam, eumque vi eiuſdem conuertiſſe in ſemitas rectas mandatorum Domini, à quibus ob arrogantiam declinauerat, quam ſanè conuerſionem hoc tempore contigiſſe innuit; ſed hoc de inſigni viro, quem inter Beatos Sancta veneratur Eccleſia, aſſeri nullatenùs debet; cum etenim ipſe legatur obijſſe paulò poſt Legationem PETRI, non eſt aſſignabile tempus,quo potuerit eam vitæ formam ſeruare qua, iuxta Annalium Scriptorem, fuit exemplar Anachoretarum, oraculum Populi, adeo vt eius conſilio Imperator Henricus, alijque Principes, & S. Ioannes Gualbertus, obtemperauerint.

12. Sed ab ipſo PETRO N. pleniùs veritas huiuſmodi comprobatur. In recitata enim epiſtola, in qua breuitatis ſtudio inter alia de Dominico Loricato narrationem prætermiſimus, hæc habet: [*Sed cur ego ſanctos commemorando viros diuerſa paſſim loca perluſtro? Quandoquidem intra limen, & præ manibus teneo, ad cuius dignè efferenda præconia impar viribus non aſſurgo. Certè cellulis altrinſecùs conſtitutis, ſolo Baſilicæ mediantis interſtitio, ego, illeque diuidimur: cuius ſi virtutibus enumerandis invigi-* Opuſcul. 51. cap. 8. tom. 3.

uigilo, ante dies elabitur, quàm ſcribendi materia deficere poſſe videatur: Dominicum dico; Doctorem videlicet, & Dominum meum &c.] Viuebat igitur adhuc Dominicus Loricatus, cum PETRVS allatam ſcripſit epiſtolam ad Theuzonem, immo cum ipſo Dominico cohabitabat inter vtriuſque cellas, ſola interpoſita Baſilica. At Dominicus, vt cenſet Annalium Auctor, anno 1061. vita deceſſit, & Florentina Legatio PETRI ab eodem tribuitur anno 1063. Quomodo igitur hæc poterat ſcribere hoc ipſo tempore de Dominico in viuis agente Theuzoni PETRVS, ſi iam ante biennium mortuus fuerat, vel dicere, quod ſecum, ſolo Baſilicæ mediantis interſtitio ſeiunctus, cohabitabat?

13. Vlterius in dicta epiſtola, quam PETRVS, (ſtatimac memorata ſæpius Legatione fungens, Florentiam peruenit) ad Alexandrum miſit, SS. Rodulphi Epiſcopi Eugubini, & Dominici Loricati, qui iam ante annum ad Cœlum migrauerat, geſta enarrans, cum de Dominico præſertim meminit, hæc ait:

Vit. SS. Rodalphi, & Dominici Loricati ca. 7. to. 2.

[*Sed quia nos nonnulla huius Sancti Viri dicta, vel facta per diuerſa dictatus noſtri iam Opuſcula ſparſimus, non videtur abſurdum, ſi eadem hic, quæ tamen præ manibus habentur, eo ipſo ſtylo, quo ſcripta ſunt, apponamus. Sanè facilioris eſt exitus ex dolatis lignis domum conſtruere, quàm dolando ſimul, & conſtruendo laboris exercitium geminare. Nam & de templo Salomonis ſcriptum eſt:*

Digitized by Google

eſt: Domus autem cum &c.] Et poſt nonnulla. [*In epiſtola itaque ad Domnum Theuzonem incluſum miſſa, hoc me ſcripſiſſe reperio: ſed cur ego ſanctos commemorando Viros diuerſa paſsim loca perluſtro &c.*] & refert ipſiſmet verbis ea, quæ ſupra ad Theuzonem ſcripta retulimus. Quis igitur aſſerere poterit epiſtolam ad Theuzonem ſcriptam fuiſſe poſtquam PETRVS Florentia diſceſſit, & poſtquam vna cum eiuſdem Ciuitatis populo Monachi nonnulli fremuerunt, & in DAMIANVM meditati fuerunt inania, & ipſe è contra deinde ereptus de contradictionibus gentium, epiſtolis ad Ciues Florentinos datis, diſſipauit gentes, quæ bella volebant, ab ipſa Vrbe procul conſtitutus; ſi in eadem Vrbe cum eſſet, ſcripſit ad Alexandrum, ſe antea, quæ ſupra propoſuimus, de Dominico Loricato ad Theuzonem ſcripſiſſe? Patet igitur epiſtolam iſtam ad Theuzonem non ſolùm ſcriptam fuiſſe diu ante Legationem PETRI, ſed etiam diù antequam eſſet Cardinalis, cum eſſet iunior, vt videre eſt, ex ipſius capite vltimo.

Ibid. vt ſup. cap. 8.

Ibid. cap. vlt.

9. Hoc inſuper confirmatur ex toto contextu epiſtolæ eiuſdem, quæ tota ſcripta fuit non ad propoſitum Epiſcopi Florentini, vt ſupponitur, cum de illo in ipſa nec minima mentio fiat; ſed ad inducendum Theuzonem, vt rediret ad ſuum, ex quo fugerat, Monaſterium ob ſimultates, quas cum Abbate Albizone, & Monachis habebat; quod certè

Ibid. vt ſup.

Digitized by Google

iam antea contigerat; erat enim tunc iunior Theuzo, deindè ſenuerat recluſus Florentiæ, vbi etiam mortuus eſt decrepitus, poſthabito conſilio PETRI redeundi ad Monaſterium, licet ipſius monitis, emendaſſet in melius, quæ ignoranter, & per ſuperbiæ elationem peccauerat, vt ex virtutibus, quibus deinceps emicuit, omninò dicendum eſt.

10. Abſit igitur, vt hac de cauſa, Petri nempe Epiſcopi Florentini, & in Legatione iſta credatur PETRVS DAMIANI epiſtolam illam ad Theuzonem miſiſſe. Fatemur quidem, quòd dextera Domini per PETRVM fecit virtutem, quòd dextera Domini per os Serui ſui exaltauit Theuzonem, cum humiliauit, & conturbauit eum; quòd ſalutaribus præceptis aperuit illi per humilitatem portas iuſtitiæ, vndè ingreſſus in eas confeſſus eſt Domino, quia factus eſt illi in ſalutem; ſed non hoc tempore, vel occaſione; tamen quia noſtrum eſſe non potuit ſcire tempus, quo hæc acciderunt, dum hìc ponere curauimus, quæ inter Monachos Florentinos, & Venerabilem Legatum N. iurgia euenerunt; hæc pariter, quæ inter Theuzonem, & PETRVM aliquando fuere, prætereunda non duximus.

11. Sed vt ad nos reuertamur: coacto igitur ab Alexandro Romæ Concilio, hoc, quem prædiximus anno 1063., vbi amplius quàm centum Patres interfuere, ad ipſum pariter Monachi aduerſantes Petro Epiſcopo Florentino conuenerunt,

runt, illum conſtanter hæreticum, & Simoniaca labe fœdatum aſſerentes; quorum aliqui, nimirum qui vero Religionis zelo mouebantur, etiam huius rei confirmandæ cauſa ſe paratos ad ſubeundos ignes exhibuerunt. Verùm Alexander accuſatum Epiſcopum deponere renuit, nec, vt Monachi tunc ignem ingrederentur, admiſit. Cum verò deinde Sancti Ioannis Gualberti Diſcipulus Petrus nomine, cognomento poſteà Igneus tranſijt per ignem, abſque eo quod flamma noceret ei, & odor ignis eſſet in eo: magnitudine miraculi permotus Pontifex, Simoniacum Epiſcopum deponens, regimini Florentinæ Eccleſiæ alium præfecit. Et in hac ipſa Romana Synodo, vt ſciret reprobare malum, & eligere bonum, collegit vrbicorum, & forenſium Monachorum zizania, (quæ vna cum bono ſemine doctrinæ Sancti Ioannis Gualberti, & ſuorum creuerant) in faſciculos ad comburendum in debita Monachis remotione, vt Sancti Ioannis ſententiæ triticum congregaret in horreum ſuum; vnde contra præfatos Monachos miſcentes ſe ſæcularibus curis, & ideò ſacrorum Canonum tranſgreſſores, vt ampliùs non fieret tumultus in populo, ne Clauſtris facilè egrederentur, iſta decreuit.

„ 12. [Iuxta Chalcedonenſis tenorem optimi Concilij, Monachis quamuis Religioſis ad normam Sancti Benedicti intra Clauſtra morari præcipimus; vicos, caſtella, ciuitates peragrare

„ prohibemus, & à populorum prædicatione omnino ceſſare cenſuimus; niſi fortè quis de anima „ ſua ſollicitus, vt eorum habitum aſſumat, eos „ intra Clauſtrum conſulere voluerit.]

7. Quod nimirùm Decretum Beatiſſimi PETRI Monaſticæ obſeruantiæ acerrimi defenſoris opera emanaſſe arbitramur, vt ſtatueret eos in gradu ſuo: ſicut cum bonos, & malos Monachos Romam adire Pontificem coegit; Eccleſiaſticis ipſe rebus reſtituit Iudices ſuos, vt fuerunt priùs, & conſiliarios ſuos, ſicut antiquitùs, vt Sion rectè in iudicio redimeretur.

CAP. VI.

Alexandro Pontifici Ioannis & Tuderchini Capellanorum Gotthefredi Ducis Hetruriæ hæreſes detegit.

1. SEd ex alio, quod PETRO euenit, vel dum Florentiæ Legationem obiret; vel dum Lucæ cum Pontifice de Epiſcopatuum depoſitione acturus moraretur (quod potiùs ex epiſtola Alexandri ad Lucenſes data, infra ponenda, deduci poſſet) vbi crebrò cum omni domo ſua Gotthefredus Dux degere conſueuit, videndum eſt, an valuerit virtute ſua irrumpere iniquitates; an ſermonem adulationis habuerit, vel extimuerit faciem Potentis, (vt illi objiciunt vſque modò, qui Sanctorum Monachorum conuerſationem imitan-

Didac. de Franchis, vt ſup.

tan-

ſantes; tamen omninò non depoſuiſſe videntur omnem dolum, & ſimulationem; nec eſſe in verbis ſuis agnoſcuntur, ſicut modò geniti infantes rationabiles, ſine dolo, veritatis lac concupiſcentes;) & an tandem poſuerit ſcandalum in æquitate ſua, ex his inſpiciendum eſt, quæ fecit, & ſcripſit in Ioannem, & Tuderchinum; illum Venetum, Barbarum iſtum natione, vtrumque apud Gotthefredum Ducem Sacerdotij munere fungentem.

2. Hi enim aliquando auſi fuerant pertinaciter aſſerere, ipſo Beatiſſimo Viro præſente, eos, qui à Regibus, ſiue Principibus Epiſcopatus mercarentur, in Simoniacæ hæreſis crimen non incidere, quoniam ſcilicet per eam coemptionem, Eccleſiæ tantummodò bonorum, & prædiorum poſſeſſionem naneiſcerentur: per manuum verò impoſitionem, quæ à Sacerdotibus fiebat, integrum ius Epiſcopatus acquirerent. Quam illorum non minùs impiam, quàm ineptam, & ridiculam opinionem, poſtpoſito omni Gotthefredi Ducis reſpectu, & timore, poſtquàm præclarè redarguit, Alexandrum Pontificem exorauit, vt priuſquàm in hominum animis latiùs ſerperet, ſuæ ſummæ poteſtatis imperio opprimere, & exterminare contenderet. Hoc eidem vehementer commendans, ne pecunia, aut aulici obſequij miniſterio ad Epiſcopatum perduci, aut perductum aliquem in eo permanere pateretur, ſequentem ad eum miſit epiſtolam.

Sicut

Digitized by Google

Epiſtol. lib. 1. epiſt. 13. tom. 1

3. [*Sicut ad patrem familias quælibet domeſticæ facultatis iactura refertur, ſic etiam dignum eſt, vt Summo Pontifici patientis Eccleſiæ læſio nuntietur: vt ſicut ab illo, prout vires ſuppetunt, ingruentibus domui ſuæ malis occurritur; ita nihilominùs & ab iſto nutantis fidei fundamentum, vel etiam ordo religionis, qui confundi cœperat, inſtauretur. Noua proh dolor! noſtro tempore hæreſis orta eſt, cui niſi quantocyùs auctoritatis veſtræ ſe vigor obijciat, timendum eſt, ne ad religionis Chriſtianæ perniciem, animarumque periculum, velùt cancer feraliter ſerpat. Nonnulli planè Clericorum vitam per exterioris habitus ſpeciem mentientes, prorsùs Deo frigidi, ambitionis Eccleſiaſticæ facibus inflammati, hoc pertinaciter dogmatizant: Non ad Simoniacam hæreſim pertinere, ſi quis Epiſcopatus à Rege, vel quolibet mundi Principe per interuentum coemptionis acquirat, ſi tantummodò conſecrationem gratis accipiat. Vndè cum nuper in Excellentiſſimi Ducis Gotthefredi verſaremur alloquio, duo quidam ex Capellanis eius, vnus, vt erat Barbarus, barbarico nomine Tuderchinus; alter verò natione Venetus, Ioannes vocabantur. Hi nimirùm tamquàm Hymenæus, & Philetus in prædicatione Pauli; vel certè tamquàm Iamnes, & Mambres tempore Moyſis reſiſtentes veritati, hanc non ceſſabant diſſeminare doctrinam, hanc Catholicam, atque Canonicam fatebantur eſſe ſententiam: videlicet vt iure Si-*

monia-

moniacus non dicatur, quiſquis abſque manus impoſitione Epiſcopatum comparaſſe conuincitur. Dicebant enim, quia cum hoc fit, non diſtrabitur Eccleſia, ſed facultas, nec emitur Sacerdotium, ſed poſſeſſio prædiorum. Sub hac enim præſtatione pecuniæ, opes tantùm, non honoris, vel Eccleſiæ redimitur Sacramentum. Venalia ſiquidem ſunt, ſicut aiunt, vndè ſint diuites: gratis accipiunt, vndè fieri debeant Sacerdotes.

4. *O nouum ſchiſmaticorum genus, & os ſacrilegum æterni ſilentij cenſura damnandum. In vna ſiquidèm hominis perſona duos eſſe conſtituunt: vt vnus ſit Sacerdos ſub peccato venundatus; alter autem diues ſub taxatione pecuniæ comparetur. Ipſe velùt alter Sardanapalus inter delicias eructet conuiuantium; ille tamquàm Apoſtolus in regimine præſideat animarum. Hoc ergo modò qui comparat agrum, puluerem terræ tantùm, non ſegetum dicendus eſt comparaſſe prouentum. Plagiarius etiam, qui diſtrabit hominem, non animam iudicandus eſt vendidiſſe, ſed carnem: immò cum legamus, quia corpus hominis quadrageſimo ſexto die poſt maternæ conceptionis initium plenè formetur diſtinctione membrorum, atque mox diuinitùs animetur; quoniam non anima, ſed caro dumtaxat ex paterno ſemine prodijt: ergò pater carnem tantummodò dicendus eſt genuiſſe, non prolem, quæ ex anima conſtat & corpore. Quod cum penitùs abſurdum ſit, & meritò pater*

Digitized by Google

ille dicatur, ex cuius ſemore ſola caro ſit egreſſa; non anima: ſic ille procul dubio dicendus eſt mercator Eccleſiæ, *qui per terrena, quæ redemit, ad honoris culmen aſcendit, & per corporalis commercium lucri emptor efficitur nihilominus Sacramenti. Dic itaque, quiſquis es, qui te iactas terrenæ tantummodò facultatis emptorem, per quam tamen aſpiras ad Epiſcopalis excellentiæ conſcendere dignitatem: & dùm te dicis à Principe terrena dumtaxàt Eccleſiæ commoda percepiſſe, aſſeris te quodammodo villicum, non vt Sacerdotali fungaris officio conſtitutum. Dic, inquàm, cuius erat figuræ, quam ſanè habebat ſpeciem inueſtitura hæc, quam in manibus tuis Princeps ille depoſuit? Porrò ſi ſurculus, ſi ſimplex baculus, meritò tibi lætus applaude; quia ſicut aſſeris, non ad Sacerdotis officium, ſed ad Procuratoris initiatus es villicatum; atque ideò neceſsè iam non eſt, vt Epiſcopo, qui tibi præferendus eſt, ſis ſubiectus. At ſi ſæcularis ille Princeps accepta, vel promiſſa pecunia paſtoralem tibi tradidit baculum, qua fronte poteris Epiſcopalis Ordinis excuſare commercium? Enim verò niſi per hanc inueſtituram ille ſecuturi Sacerdotij tibi priùs imprimeret titulum, futurus Ordinator nequaquàm per manus impoſitionem, Sacerdotij tibi traderet Sacramentum. Per hoc enim, quod venaliter accepiſti, conſequenter ad Sacerdotium promoueris. Atque ideò licet illa manus impoſitio non venalis ſit, ſed*

gra-

Digitized by Google

gratuita, nequaquam tamen quantùm ad te ſpectat, à venalitatis eſt ſordibus aliena. Venalitas enim ſi ſibi nota eſt, contaminat conſecrantem, gratuita conſecratio mundare non valet emptorem. Obſcœnitas immundi fœda commercij ſordidat mundum, gratuita manus impoſitio no n poteſt emaculare pollutum. Mendacij forſitàn arguor, ſi quod loquor, ſacri eloquij teſtimonia non affirmo. Per Aggæum namque Prophetam dicitur: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga Sacerdotes legem dicens: Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, numquid ſanctificabitur? Reſpondentes autem Sacerdotes dixerunt: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et reſpondentes Sacerdotes, dixerunt: Contaminabitur. Et reſpondit Aggæus, & dixit: Sic populus iſte, & ſic gens iſta ante faciem meam, dicit Dominus, & ſic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. In his ergo Propheticis, immò Diuinis verbis euidenter oſtenditur; quoniam emptor iſte, videlicet qui eſt pollutus in anima, ſuſcepti polluit ordinis dignitatem. Dignitas verò licet per manus impoſitionem gratuitò ſit accepta, nequaquam tamen mundat emptorem. Adhùc autem ad inueſtituram redeo, & à te, qui non Eccleſiam, ſed Eccle-

ſiæ prædia te comparaſſe gloriaris, inquiro. Sanè cum baculum ille tuis manibus tradidit, dixit ne: Accipe terras, atque diuitias illius Eccleſiæ; an potiùs, quod certum eſt: accipe Eccleſiam? Quod ſi bona Eccleſiæ ſine Eccleſia ſuſcepiſti, ſchiſmaticus es, atque ſacrilegus, qui bona Eccleſiæ ab Eccleſia diuidis, & quod alienum eſt, violenter in tui vſus iura conuertis. Quod ſi Eccleſiam ſuſcepiſti, quod omninò negare non potes, procùl dubio factus es Simoniacus, & priùs te venalitas fecit hæreticum, quàm manus impoſitio redderet conſecratum. Tunc enim conſecrationem euidentiſſimè coemiſti; cum id, propter quod ad conſecrationem promouendus eras, venaliter accepiſti. Sic enim vnum pendet ex altero, vt qui terrena Eccleſiæ bona ſuſcipit, ad gratiam conſecrationis aſpiret: & qui conſecratione perficitur, bona Eccleſiæ in vſus egentium, & cætera pietatis opera diſpenſanda conſeruet. Hoc itaque modo licet Eccleſiaſticæ facultatis mentio in ipſa manus impoſitione non fiat, is tamen, qui conſecratur, bonorum Eccleſiæ diſpenſator efficitur; & cum Eccleſiam ſuſcipit, quamuis nihil tunc de conſecratione dicatur, ad hoc tamen vt conſecretur, eligitur.

5. *Ab ipſo planè principio naſcentis Eccleſiæ ſalubris hæc cœpit conſuetudo Fidelium, vt ſua quæque vendentes ad pedes Apoſtolorum, Apoſtolicorumque virorum pecunias ponerent; quibus illi neceſſitatibus pauperum ſubſidia miniſtrarent.*

Poſt

Digitized by Google

Poſt autem viſum eſt Sanctis Patribus, qui ſcilicet illis in ſacri regiminis ordine ſucceſſerunt, vt ij, qui conuerterentur ad Dominum, nequaquam diſtraherent prædia, ſed ea ſanctis Eccleſijs traderent non iam tranſitoriè, ſed iure perpetuo neceſſitatibus indigentium profutura. Et certè per Moyſen in lege præcipitur: Omne, inquit, quod Domino conſecratur, ſiue homo, ſiue animal, ſiue ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quicquid ſemèl fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino. Ecce hìc manifeſtiſſimè prohibetur, ea, quæ Domino conſecrantur, vel vendi debere, vel redimi; ſed iuſſum eſt ea Sancta Sanctorum iugiter permanere. Cur ergo gloriaris Sancta Sanctorum te pretio redemiſſe, & rem Dei contra legem Dei, quæ gratis accipienda, gratis danda eſt, venaliter percepiſſe? Tamquàm non ſit peccatum, quia ſine conſecratione ſit tale commercium. Sed idcircò fortaſsè non times; quia lex illa vetus prohibet quidem culpam, ſed non irrogat pœnam. Accipe igitur, quod ſuper hoc Romanæ Præſul Eccleſiæ Bonifacius in Decretali ſcribat epiſtola: Nulli, inquit, liceat ignorare; quia omne, quod Domino conſecratur, ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quidquid ſemèl fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet Sacerdotum. Propter quod dico, quia inexcuſabilis erit omnis, qui à Domino, & Eccleſia, cui competunt, aufert, vaſtat, inuadit, vel

Digitized by Google

eripit, & vſque ad emendationem, Eccleſiæque ſatisfactionem, vt ſacrilegus dijudicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur.

6. Anacletus autem Papa longè ante inter alia multa ſubinfert: Qui enim res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & ſacrilegus deputandus eſt.

7. Papa quoque Lucius in Decreto ſuo ſic ait: Rerum Eccleſiaſticarum, & facultatum raptores à liminibus Sanctæ Eccleſiæ anathematizantes Apoſtolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus. Poſſemus & alia quamplurima Catholicorum Patrum exempla congerere, niſi perſpicuè cognoſceremus, nequaquam hoc epiſtolari compendio conuenire.

8. His itaque Sanctorum Pontificum, alijsque ſententijs manifeſtè conuinceris; quoniam aut Eccleſiæ bona ſine Eccleſia ſuſcepiſti, & idcircò tamquàm raptor, atque ſacrilegus anathematizari, & ab Eccleſiæ liminibus debes expelli, aut certè, quod perſpicuum eſt, & negare non potes, Eccleſiam ſimùl cùm bonis Eccleſiæ pretio redemiſti, ideòque dignum eſt, te, vt reuera Simoniacum, & hæreticum Canonici vigoris examine condemnari. Canonica nimirùm ſententia eſt illa, qua dicitur: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Abbas per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, deijciatur ipſe, & ordinator eius, & à communione ſancta modis omnibus abſcindatur,

&

& ſit anathema, ſicut Simon Magus à Petro.

9. *Vbi notandum, quod non ait: Si quis hanc obtinuerit conſecrationem, ſiue manus impoſitionem: ſed potiùs: Si quis, inquit, per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem. Canonicum & illud aſſeritur, quod promulgatum à Sanctis Patribus in Concilio reperitur: Cauendum, & ſummoperè præcauendum, ac per virtutem Chriſti Sanguinis interdicendum Epiſcopis, & Regibus, & omnibus ſublimioribus Poteſtatibus, atque cunctis fautoribus, & electoribus quorumcumque, atque conſenſoribus, ſeu ordinatoribus in gradu Eccleſiaſtico, vt nemo per Simoniacam hæreſim regiminis locum obtineat quacumque factione, calliditate, promiſſione, ſeù commoditate, aut donatione per ſe, aut per emiſſam perſonam.*

10. *Hic quoque notandum, quòd cùm præmiſiſſet Epiſcopis, illicò ſubdidit, Regibus, & omnibus ſublimioribus Poteſtatibus, vt non modò cauenda ſit hæreſis illa ſolis dumtaxàt Epiſcopis, qui conſecrandis manus imponunt; ſed & ſæcularibus quoque Principibus, qui licet iniuſtè, aliquo modo tamen Eccleſias futuris Rectoribus tradunt. Nam cum aliquid ſub venalitate ſuſcipitur, & illud procùl dubio comparatur, quod ex neceſſitate ſubſequitur. Ad hoc enim Paſtoralis Eccleſia cuique committitur, vt ad eius regimen obtinendum conſecratione firmetur: & ad hoc ſine dubio collatæ pecuniæ commercium ſpectat,*

ad

ad quod is, qui eſt promouendus, aſpirat. Hinc eſt planè, quòd non ſolùm, qui maioribus præferuntur Eccleſijs, ſed & illis quoque, qui vel plebes agrorum, vel Canonicales præbendas per interuentum pecuniæ peſtilenter accipiunt, Simoniacæ hæreſeos tendiculas non euadunt. Per id enim, quod venaliter aſſequuntur, ad ſacrorum Ordinum gradum tendunt: & tunc iàm deſtinantur ad Ordines, cùm illa ſuſcipiunt, per quæ ſcilicet ad obtinenda ſacrorum graduum incrementa pertingunt. Initiatur enim ad dignitatis Ordinem, qui ad obtinendam Ordinis conſtituitur dignitatem.

11. *Hæc me breuiter aduersùs eos dictaſſe ſufficiat, qui ſine manus impoſitione venaliter Eccleſiam acquisiſſe non eſſe Simoniacum dogmatizant. Qui nimirùm ſi hoc ſimpliciter, prout ſibi videretur, exprimerent, ſtulti, vel hebetes meritò dicerentur; ſed quoniam nonnulli talium id procaciter aſtruunt, & quibuſdam cauillationum, argumentorumque verſutijs peruicaciter allegare contendunt, non immeritò (quod inuiti dicimus) hæreticorum nomen incurrunt. Non enim error hæreticum, ſed peruicax obſtinatio facit; nec omnes hæretici dicendi ſunt, qui opinantur errorem, ſed qui pertinaciter, & audacter prædicant falſitatem.*

12. *His itaque prædicatoribus Satanæ, & Apoſtolis Antichriſti, tu, venerabilis Pater, Cœleſtis eloquij gladio præcinctus occurre; & tamquàm*

alter

alter Ioſue Amalechitas oppugnantes Iſrael, euaginato Canonici vigoris mucrone proſterne. Tollatur è medio quantocyùs Tartareæ amaritudinis aconitum, ne, quod abſit, ferale venenum faucibus influat paruulorum. Tuis præterea manibus talis aromatici pigmenti quibuſque languentibus propinetur antidotum, quod & venenati erroris tollat illuuiem, & ſanet, atque ſinceræ fidei reſtituat puritatem. Vnum in calce huius epiſtolæ ſacris clementiæ veſtræ auribus ſuggero, vt in quantum facultas ſuppetit, numquàm vel fieri, vel eſſe permittat Epiſcopum, quem ad honoris culmen conſtiterit aſcendiſſe per præmium, vel etiam, quòd damnabilius eſt, per curialis obſequij famulatum. Abſit enim, vt qui prælationis ambitu ſæcularem coluit Principem, ſpiritalem Eccleſiaſtici culminis obtineat dignitatem.]

13. Quemadmodum autem Iamnes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita reſtiterunt veritati Ioannes, & Tuderchinus, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: ſed vltra non profecerunt, inſipientia enim eorum manifeſta fuit, ſicut & illorum fuerat. Vndè his auditis à PETRO Alexander in hoc eodem Concilio Romæ congregato anno 1063. (vt vult Florentinius) abundè ſatis ſcelus prohibuit in Decretali epiſtola ad ſuos Lucenſes data, quam vt fructum labiorum DAMIANI hic duximus ponendam, & ſic ſe habet.

Franciſc. Maria Florent. in Vita Comitiſs. Mathild. lib. 1.

Alexan-

„ 14. Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Lucenſis Eccleſiæ Clero, & Populo in perpetuum.

„ Cùm Diuina Prouidentia idcircò nos „ in Sede Apoſtolica conſtituere voluerit, vt „ omnium Eccleſiarum generalem curam gerere „ debeamus, tùm maximè illi Eccleſiæ ſtudium „ noſtræ deuotionis ſollicitiùs eſt exhibendum, in „ qua antè ſuſceptum vniuerſalis regiminis opus, „ Eccleſiaſtici officij neceſſitate laborauimus, & „ cui priuata quodammodo dilectione priùs de- „ ſeruire ſtuduimus. Circa Lucenſem itaque Ec- „ cleſiam tantò ſpecialius noſtræ deuotionis ſtu- „ dium deſideramus impendere, quantò & illi pri- „ uata eius, & publica omnium cura compellimur „ prouidere. In ea igitur, quod multis temporibus „ malè pullulaſſe, & in robur iam inueteratæ ma- „ litiæ comperimus excreuiſſe, Diuini Verbi gla- „ dio ſuccidere, & penitùs extirpare optamus, vt „ Dei voluntate, erutis ſpinis vitiorum in ferti- „ lem poſtmodùm meſſem, ſemen illic ſanctum va- „ leat abundare. Ex multis temporibus hoc dete- „ ſtabile malum intra ipſam Eccleſiam inoleuiſſe „ cognouimus, vt nulli vmquam Clerico, quam- „ uis religioſo, quamuis ſcientia, & moribus præ- „ dito, Eccleſiaſticum beneficium concederetur; „ niſi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere

ſtu-

Digitized by Google

„ ſtuduiſſet: fiebat Eccleſia, & res eius ità venalis, „ veluti quædam terrena, & vilis merx à nego- „ tiatoribus ad vendendum expoſita. Quod ma- „ lum quàm deteſtabile, quantum Deo, Sanctiſ- „ que ſit contrarium, & ſacri Canones docent, & „ ferè omnibus manifeſtum exiſtit. Chalcedonen- „ ſe namque Concilium vnum ex principalibus „ ſimili pœna condemnat eos, qui ſacram manus „ impoſitionem (per quam Spiritus Sanctus con- „ fert) mercari dignoſcuntur. Vtroſque enim au- „ ctoritate inexpugnabili, illos à beneficio, iſtos „ ſacro ordine iubet repelli. Sacrorum verò Ca- „ nonum auctoritate docemur omnia, quæ Deo, „ vel eius Eccleſiæ offeruntur, ſacra fieri ipſa ob- „ latione; nullaque autem ſacra fieri poſſunt, niſi „ Spiritu Sancto, à quo omnis ſanctificatio proce- „ dit. Nàm ſicut omnis quælibet res cum Impera- „ tori defertur, Imperialis efficitur; ſic cum ex „ voto Deo, vel Sanctis offertur, Diuina, ac per „ hoc ſanctificata cognoſcitur. Non igitur mi- „ rum, ſi par pœna conſtringit eos, qui aut ſa- „ crum ordinem, aut ſacram rem Eccleſiæ ven- „ dere, ſeù emere audent, cum neutrum, niſi S. „ Spiritus dono valeat ſanctificari. Præterea cum „ ſacrorum Canonum auctoritas quatuor ex rebus „ Eccleſiæ iubeat fieri portiones, quarum vna „ pauperibus, altera fabricis Eccleſiarum ſit im- „ pendenda, tertia Epiſcopo, quarta Clericis „ conferenda, ſicut pauperibus Eccleſiæ ſingulæ

Digitized by Google

„ partes gratis ſunt concedendæ; ità quoque reli-
„ quæ partes nec ab ipſo Epiſcopo, vel Clero ſunt
„ retinendæ, aut vendendæ; ſed eis pro Euange-
„ lij præcepto, & officij ſui labore eodem modo
„ conferendæ. In veteri quoque teſtamento, cum
„ adhuc gratia Euangelij non coruſcaret in mun-
„ do, legimus ſcelus hoc quantum abominabile
„ eſſet, cum tempore Ieroboam quicumque vole-
„ bat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos
„ excelſorum; & propter hanc cauſam peccauit
„ Domus Ieroboam, & deleta eſt de ſuperficie
„ terræ. Si verò Domus Ieroboam ob hoc dele-
„ ta eſt, quòd pecuniam accipiens, conſtituebat
„ Sacerdotes in excelſis; non immeritò de libro
„ vitæ Cœleſtis eorum nomina delentur, quæ in-
„ teruentu pecuniæ Sacerdotes, vel Clericos in
„ Domo Dei conſtituunt. Puto enim, quòd hi
„ tales numquàm aduerterunt Pſalmiſtæ ſenten-
„ tiam, dicentis: Quia non cognoui negotiationem,
„ introibo in potentias Domini. Nàm ſi quis
„ ideò intrat in potentias Domini, quia non co-
„ gnouit negotiationem, apertè conſequitur, vt
„ non intret in eas, qui negotiationes maximè
„ Eccleſiaſticarum rerum non ſolùm cognouerit,
„ ſed etiam exercuerit. In nouo autem teſtamen-
„ to humani generis Redemptor omnes ementes,
„ & vendentes de templo eijciens, Cathedras ven-
„ dentium Columbas euertit, nummulariorum
„ effundit æs, præcepti ſui auctoritate denuncians,

& di-

„ & dicens: Nolite facere Domum Patris mei Do-
„ mum negotiationis. In quo Saluatoris facto vi-
„ gilanter eſt aduertendum, quòd non dicitur Ca-
„ thedras vendentium mouiſſe, ſed euertiſſe; le-
„ uius vtique ferendum eſſet, ſi talium negotia-
„ torum Cathedræ mouerentur, quàm ſi euerteren-
„ tur. Sicut per Ioannem Dominica voce Ange-
„ lo idem Prædicatori Epheſi Eccleſiæ dicitur:
„ Age pœnitentiam, & prima opera fac, alio-
„ quin veniam ad te, & mouebo candelabrum
„ tuum de loco ſuo. Illud quoque in eodem facto
„ ſollicitè conſiderate, quòd per totum textum
„ Sancti Euangelij nuſquam reperitur, Dominum
„ tanta ſeueritate, tàm diſtricta cenſura iuſtitiæ
„ peccantes corripuiſſe, cum non ſolùm eloquio
„ increpans, verum etiam facto flagello de funi-
„ culis verberans, omnes eliminauit de templo;
„ apertè demonſtrans, quòd tales negotiatores
„ non ſicuti cæteri peccatores ſunt corripiendi,
„ ſedà templo Dei, ideſt à Sancta Eccleſia lon-
„ giùs ſunt proijciendi. Nàm ſicut per Columba-
„ rum venditores illi denotantur, qui ſacram ma-
„ nus impoſitionem vendere conantur, ſic per
„ nummularios Eccleſiaſtici Beneficij venditores
„ deſignantur, qui Domum Dei, teſte Euangelio,
„ ſpeluncam latronum efficiunt; quia ab huiuſ-
„ modi mercatoribus quidquid poſſunt, capiunt,
„ & gladio ſuæ malitiæ non corpora, ſed quod
„ peius eſt, animos trucidare noſcuntur. Tempore

Digitized by Google

„ verò Apoſtolorum cum multi rerum ſuarum
„ pretia ad pedes eorum ponerent, Anania, & Sa-
„ phira, inſpirante Sancto Spiritu, voto cordis
„ pretium agrorum ſuorum Deo obtulerunt. Qui
„ poſtmodùm, quia ſuggerente diabolo partem
„ ipſius pretij retinere conati ſunt, voce Beati Pe-
„ tri Principis Apoſtolorum, Spiritui Sancto men-
„ titi eſſe dicuntur, & quàm graue ſcelus contra-
„ xerint, vtriuſque repentina morte monſtratur.
„ Si ergo illi initio ſurgentis Eccleſiæ tàm horri-
„ bili pœna diuinitùs ſunt puniti, pro eo ſolum-
„ modò, quod partem pretij retinuiſſent, quod
„ ſolo voto Eccleſiæ obtulerant; quid dicendum
„ eſt de his mercatoribus, qui non ſuas, ſed res
„ Eccleſiæ, ſed in vſus ſuos, & propinquorum ſuo-
„ rum non verentur vertere? Profectò ſicut dete-
„ riùs eſt diſtrahere, vel comparare res Eccleſiæ,
„ non quas ipſi Eccleſiæ conferunt, ſed quas pro
„ animabus ſuis fideles offerunt, quàm ſolam
„ pretij partem rerum à ſe oblatarum retinuiſſe;
„ ſic talium negotiatorum interitus grauior, &
„ profundior, quàm illorum eſſe conuincitur; ex
„ hac quoque peſſima venditione penè malorum
„ omnium ſemina pullulare noſcuntur. Nam ij,
„ qui res Eccleſiarum, & potiora earum pretia
„ ſtudent acquirere, non Deo, vel eius Eccleſiæ
„ velle famulari, ſed ſoli Mammonæ velle ſeruire
„ vera ratione probantur. Sicut etiam Sanctus
„ Gregorius de Simoniacis teſtatur, non vitam
mo-

Digitized by Google

„ moribus componere, non ſcientia curant exornare, ſed ſolummodò aurum, & pecuniam, quibus res emant Eccleſiæ, inhiantes deſiderant congregare. Ac ſi tandem malitiæ ſuæ votum impleuerint, & data numeroſa pecunia, rerum Eccleſiaſticarum penes ſe dominium habere cœperint, tùnc aperiunt, qua intentione Eccleſiæ militare decreuerunt. Toto enim mentis anniſu, vndecunque poſſunt, corradere pecuniam ſtudent, vt quæ prius euacuauerant, poſſint redimplere marſupia, cuius auiditate impulſi, ſacris non parcunt Altaribus, ſed veluti fures, & ſacrilegi profanas eis manus inijciunt pauperibus, & Eccleſiarum fabricis decimas, & oblationes iuſtè, & canonicè competentes more prædonum diripiunt, à mortuis etiam, quaſi fiſci exactores importunis clamoribus, velut tributa exigunt. Terras quoque, quas fideles pro ſuis peccatis Eccleſiæ contulerunt, quia eas ex toto vendere non poſſunt, ob viliſſimum redditum, pecunia accepta, quibuſque concedunt. Inter ſe autem, vbi de lege Diuina, & de animarum ſalute eſſet tractandum, litibus, & contentiouibus, clamoribus, & iniurijs perſtrepere non deſiſtunt. Quibus ad cumulum ſuæ damnationis non ſufficit, quod ipſi pereunt, ſed inſuper laicos, quibus ducatum rectæ viæ præbere debuerant, ſecum malo exemplo trahunt in profundam Inferni voraginem. Qua propter

ego

Digitized by Google

„ ego Alexander Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & „ Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus (immò Miniſter „ indignus) tot, & tanta mala in multis Eccleſijs, „ & maximè in Lucenſi Ecleſia ex iniqua concu- „ piſcentia fieri conſpiciens, ne ſanguis iniquorum „ à diſtricto Iudice de manu noſtra requiratur, „ illa extirpare & penitùs eradicare decreuimus. „ Conſtituimus iſtas, & præſenti Decreto firma- „ mus (ſicut olim noſtri Deceſſores feciſſe no- „ ſcuntur) vt nullus deinceps Epiſcoporum Bene- „ ficium Eccleſiæ (quod quidam Canonicam, vel „ Præbendas, ſeu etiam Ordines vocant) pro ali- „ quo pretio, vel munere Clericis audeat vmquam „ conferre. Sed etiam miniſtros, & ſeruitores Ec- „ cleſiæ gratis, & abſque vlla venalitate in San- „ cta Eccleſia ſtudeant ordinare. Nec eligant in „ Domo Domini, qui maioribus, & diſciplina, „ atque ſcientia diuites pro officio ſuo ipſam va- „ leant ſubſtentare Eccleſiam. Spontè Chriſti do- „ naria, non pro libitu cuiuſque, inuito ſponſo, „ venalia fiant, ſed gratis, & pro vitæ meritis tri- „ buantur, nec audeat vllus, cuiuſcumque gra- „ dus ſit Clericus per ſe, vel per interpoſitam „ perſonam aliquo ingenio pretium vel dare, vel „ promittere, nec ipſi Epiſcopo, nec alicui ex eius „ miniſtris, ſeu cuicumque magnæ, vel mediocri, „ aut paruæ perſonæ. Ne verò calliditas, & fraus „ Diaboli ſub ſpecie religionis aliquos ſuæ mali- „ tiæ laqueo capiat, conſtituimus, & eodem modo

fir-

Digitized by Google

„ firmamus, vt nullus cuiuſcumque gradus Clericus pro Eccleſiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Eccleſiarum, vel donarijs Eccleſiarum, ſeu etiam quod pauperibus ſit tribuendum, quia (teſte Scriptura) qui aliquid malè accipit, vt quaſi benè diſpenſet, potius grauatur, quàm iuuatur. Quòd ſi aliquis Diuinorum Præceptorum, & animarum ſalutis immemores, præfatum beneficium Eccleſiæ iniqua cupiditate ductus, vendere, vel emere temerario auſu præſumpſerit, ſicut in Chalcedonenſi Concilio definitum eſt, gradus ſui periculo eum ſubiacere decernimus; nec miniſtrare poſſit Eccleſiæ, quam pecunia venalem fieri concupiuit, & inſuper terribili anathematis mucrone perfoſſus, (niſi reſipuerit) ab Eccleſia Dei, quam læſit, modis omnibus abſcindatur.] Ità ad Lucenſes.

15. At ſicùt PETRVS, DAMIANI, (vt fatetur Baronius) primus omnium fuit, qui hæreſim hanc, eiuſque auctores detexit, & redarguit; quoniam aures zeli illius audiebant omnia, & tumultus murmurationum non abſcondebatur ab illo; ſic impij illi exarſerunt in traductorem cogitationum ſuarum. Grauis enim fuit illis ad videndum quoniam diſſimilis erat à ſuis vita illius, & tamquàm nugaces æſtimabantur ab illo, qui abſtinebat ſe à vijs eorum, tamquàm ab immunditijs. Vndè contumelia, & calumnia interrogaueru nt Baron. ann. 1065.

eum

Digitized by Google

eum, auaritiæ illi crimen impingentes; vt dùm ſibi conſulere neceſſe haberet, ab eorum inſectandis erroribus ſeſe compeſceret.

16. Sed videns Dominus ſtudia eorum, & adinuentiones eorum in Seruum ſuum, infatuauit conſilium eorum, non intelligentes, quid cogitauerat de illo Deus, & quòd munierat illum Dominus gladio ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ. Quarè non tantùm (vt alibi dicendum erit) calumnias malignantium facilè propulſauit PETRVS; ſed magis conualeſcens confudit eos; & inſuper hac, quam ipſis ſcripſit, epiſtola (qua etiàm ipſos plenos rapina, & Nicolaitarum immunditia oſtendit) fuerunt decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum; quoniam diſrupit illos inflatos ſine voce, & commouit eos à fundamentis, & vſque ad ſupremum deſolati ſunt, & fuerunt gementes, & memoria eorum periјt.

C A P. VII.

PETRI DAMIANI Epiſtola ad Ioannem, & Tuderchinum.

Epiſtol. lib. 5. epiſt. 13.

1. IAM *verò* (dicit igitur in epiſtola ad ipſos) *quòd impudenter aſſeritis miniſtros Altaris coniugio debere ſociari proprij ſermonis aduersùm vos euaginare mucronem ſuperfluum ducimus*

Digitized by Google

cimus, dùm armatos contra vos totius Eccleſiæ cuneos, & conſtipatam omnium Sanctorum Patrum aciem vobis reſiſtere videamus. Et vbi tanta ſe Cœleſtium bellatorum nubes opponit, mirum eſt, ſi non tantæ auctoritati quælibet nouæ præſumptionis temeritas acquieſcit. Sed quamquàm corpus Canonum deſit ad præſens, quædam tamen Patrum teſtimonia non grauemur apponere, quæ vel ex repetita memoria, vel in quibuſdam membranulis poſſumus inuenire. Enimuerò Beatus Clemens hæc in ſua ſcribit epiſtola: Miniſtri Altaris Presbyteri, ſiue Diaconi ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem coniugem ſuam reliquerunt. Quod ſi poſt ordinationem Miniſtro contigerit propriæ nudare cubile vxoris, Sacrarij non intret limina, nec Sacrarij portitor fiat, nec Altare contingat, nec ab offerentibus Holocauſti oblationem ſuſcipiat, nec ad Dominici Corporis portionem accedat. Aquam Sacerdotum porrigat manibus, oſtia forinſecùs claudat, minora gerat officia, vrceum ſanè ad ſalutarem Calicem non ſuggerat. Et paulò poſt: Clericus verò ſolus ad fœminæ tabernaculum non accedat, nec properet ſine maioris natu Principis iuſſione; nec Presbyter ſolus cum ſola fœmina fabulas miſceat; nec Archidiaconus, aut Diaconus ſub prætextu humilitatis, & officij frequentet domicilia matronarum; aut fortè per Clericos, aut per domeſticos matronæ mandet ſecre-

tum aliquid. Si agnitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus arceatur Eccleſiæ. In Niceno etiam Concilio dicitur: Innuptis autem, qui ad Clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiant; ſed lectores, cantoreſque tantummodò. Ex Concilio quoque Carthaginenſi: Præterea cum de quorumdam Clericorum, quamuis lectorum, erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos ſecundùm propria ſtatuta etiam ab vxoribus continere: quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico remoueantur officio. Item ex alio Concilio apud Carthaginem, Aurelius Epiſcopus inter cætera dixit: Placuit ſacros Antiſtites, ac Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Diuinis Sacramentis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quò poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare; vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ad hæc Fauſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Pontianæ Prouinciæ Piceni Legatus Romanæ Eccleſiæ dixit: Placet, vt Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes ab vxoribus ſe abſtineant. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui Altari ſeruiunt. Ne verò de Subdiaconis, quod abſtinere coniugijs debeant, vlla poſſit remanere dubietas; idem Aurelius poſt multa ſubiungit: Placuit, quod & in diuer-

Digitized by Google

diuerſis Concilijs firmatum eſt, vt Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, ſed & Epiſcopi ſecundùm propria ſtatuta, etiam ab vxoribus ſe abſtineant, vt tamquàm non habentes videantur eſſe; quod niſi fecerint, ab Eccleſiæ remoueantur officio. Papa quoque Gregorius Petro Subdiacono inter cætera ſcribit, dicens: Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Eccleſiæ ſuis vxoribus nullatenùs miſcerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, vt qui vſum eiuſdem continentiæ non inuenit, neque caſtitatem ante propoſuit, compellatur à ſua vxore ſeparari: atque per hoc, quod abſit, deteriùs cadat. Vndè videtur mihi, vt à præſenti die omnibus Epiſcopis dicatur, vt nullum facere Subdiaconum præſumant, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit; quatenùs & præterita, quæ per propoſitum mentis appetita non ſunt, violenter non exigantur, & futura cautè caueantur. Qui verò poſt eamdem prohibitionem, quæ ante triennium facta eſt, continenter cum ſuis coniugibus vixerant, laudandi, atque remunerandi ſunt; & vt in bono ſuo permaneant, exhortandi. Eos autem, qui poſt prohibitionem factam ſe à ſuis vxoribus continere noluerunt, peruenire ad ſacrum Ordinem nolumus; quia nullus debet ad miniſterium Altaris accedere, niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit probata. Item & Decretum Leonis Papæ:

Nàm cum extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; vt & qui habent, ſint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares. Quòd ſi in hoc ordine, qui quartus eſt à capite, dignum eſt cuſtodiri, quantò magis à primo, vel ſecundo, tertioue ſeruandum eſt, ne aut Leuitico, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſque idoneus æſtimetur, qui ſe à voluptate vxoria necdùm frænaſſe detegitur? Item Papa Silueſter: Nulli autem Subdiaconorum ad nuptias tranſire permittentes præcipimus, ne aliqua hoc præuaricatione præſumpſerit. Quod ſi contemnenda tot Apoſtolicorum virorum decreta duxeritis, ac per eorum ora tamquàm totidem organa loquentis Spiritus Sancti ſtatuta ſpreueritis; quam de vobis Beatus Papa Damaſus ſententiam profert, dignum eſt audiatis: Violatores, inquit, voluntarij Canonum grauiter à Sanctis *Patribus iudicantur, & à Sancto Spiritu, cuius inſtinctu, ac dono ditati ſunt, damnantur; quoniam blaſphemare* Spiritum Sanctum *non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſanctos Canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter, vt præfixum eſt, aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſpontè conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſtè vnum*

genus

Digitized by Google

genus eſt blaſphemantium Spiritum Sanctum, quoniam, vt iàm prælibatum eſt, contra eum agit, cuius iuſſu, & gratia ijdem ſancti editi ſunt Canones. Audiant ergò, qui nobis obſiſtunt, qui aduersùs nos ſuper hac quæſtione confligunt: quia dum nobis ſunt aduerſarij, in Spiritum Sanctum manifeſta ſunt rebellione blaſphemi: & illum blaſphemantes offendunt, cuius offenſio non remittitur neque hìc, neque in futuro. Sed iàm plures Sanctorum Pontificum ſubnectere ſanctiones omittimus, ne epiſtolaris compendij metam excedere iudicemur. Parit enim prolixitas lacinioſa faſtidium. Et certè cui Sanctorum teſtimonia non ſufficient, vndecumque congeſta fuerint, nec pluribus acquieſcet. Id præterea quod obijcitis cautum eſſe Canonibus, vt quicumque coniugati Sacerdotis officium ſpreuerint, debeant communione priuari; vt pace veſtra loquar, dùm litterarum ſuperficiem negligenter attenditis; ſobrietatem Eccleſiaſticæ intelligentiæ non tenetis. Ille nimirùm Sacerdos coniugatus dicitur, non qui nunc habet vxorem, ſed qui potiùs habuit ante perceptam Sacerdotalis officij dignitatem. Quem profectò ſi ſpernimus, conſequitur etiam, vt & Beatum Paulum Apoſtolum, quod dictu nefas eſt, contemnere debeamus. Nihilominùs & illud de Beati Pauli epiſtola ad Corinthios velut egregium, & inſignem Goliath gladium verſatis in manibus, eumque vibrantes Iſraeliticæ plebis aciem ventilare tentatis:

Digitized by Google

tis: Propter fornicationem, inquit, vnuſquiſque ſuam vxorem habeat: vxori vir debitum reddat, & vxor viro. In quo nimirùm verbo, quod dicitur, vnuſquiſque; cùm laicis ſimùl Altaris miniſtros comprehenſos eſſe conijcitis: & dum in Apoſtolica ſententia litterarum paleas quaſi iumentorum dente corroditis, medullas ſpiritualis intelligentiæ pietatis humanæ faucibus non guſtatis: immò prorsùs à granis quiſquilias non ſecernitis, & diſcretionis regulam poſtponentes ſimùl omnia permiſcetis. Illis nempè dicebat Apoſtolus: Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, quibus loquebatur; quia verò non Sacerdotibus, *vel Prædicatoribus, ſed populo potiùs in hac loqueretur epiſtola, in ipſo eiuſdem epiſtolæ principio luce clariùs manifeſtat:* Significatum *eſt, inquit, mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui ſunt* Cloes; *quia contentiones inter vos ſunt. Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo; ego verò Cephæ, ego autem Chriſti: Diuiſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Quibus vtique verbis liquidò claret; quia non Sacerdotes, ſed populum corripiebat Apoſtolus, qui ſectas faciebat ſchiſmatum, dùm diuerſorum ſe diſcipulos aſſererent eſſe doctorum. Cùm ergò diceret, vnuſquiſque ſuam vxorem habeat; illē quoque coniugium indulgebat, ad quos eloquium dirigebat. Hùc accedit, quia non ſemper vnuſquiſ-*

Digitized by Google

quiſque, vel omnis multitudinẽ vniuerſitatis amplectitur: ſed plerumque intra menſuram certæ quantitatis, proùt ratio dictauerit, cohibetur. Sicut eſt illud, quod Dominus ait: Ego cum exaltatus fuero à terra, vniuerſa traham ad me ipſum; non enim ad ſe Iudam proditorem traxit, non ſibi latronem impium ſociauit; ſed omnia, ideſt omnes dumtaxàt electos ad proprij contubernij culmen euexit. Et Apoſtolus perhibet; quia Deus vult omnes ſaluos fieri, & neminem vult perire. Sed cùm Propheta dicat: Quoniam quæcumque omnia voluit Dominus, fecit; cùr reprobos perire permittit? Scilicet cum & neminem perire velit, & omnia quæcumque vult, abſque dubio poſſit. Vnde cum dicitur, quòd Deus omnes fieri ſaluos velit, neceſsè eſt, vt de ſolis intelligatur electis. Iuxtà quam regulam & Apoſtolus cùm dicit; Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, non omnes homines amplectitur, ſed illos tantùm, quibus iuxtà legitimæ ſanctionis normam habere licet vxores. Alioquin quo pacto ſibi matrimonij fœdera copulabunt, qui cubilia paterna commaculant, qui germanas, (ah ſcelus!) vterinas inceſtant? Eant ergò iam Monachi, dotales tabulas publicè proferant, nuptias contrahant, & iuxtà ſanctionis veſtræ ſententiam vagientes pueros teneris delinire complexibus nullatenùs erubeſcant. Et reuerà cùm Monachos, & Leuitas vel in peccando, vel in pœnitendo Canonica frequenter

æquet

Digitized by Google

æquet auctoritas; quo pacto poteſtis coniugales copulas inhibere Monachis, quas vtique Diaconis indulgetis? Nàm quomodò in ſola mulierum permixtione ſunt diſpares, qui in cæteris exceſſibus reperiuntur æquales? Decernendum eſt ergò, vt aut Monachi, quod dici ſacrilegum eſt, nuptias ineant; aut Diaconi ſe penitùs ab huius ignominioſæ turpitudinis obſcœnitate compeſcant. Quod nihilominùs & de Subdiaconis *ſciendum eſt, ſicut diuerſa Sanctorum Patrum, vt ſuperiùs oſtenſum eſt, decreta confirmant. Quos nimirùm nonnulli Nathinæorum tenere opinantur officium: quod non procedit. Nathinæi ſiquidem, ſicut Hieronymus in Hebraicis quæſtionibus aſſerit, interpretantur donati. Sunt enim Gabaonitæ, eo quod ad ſeruiendum dati ſunt tabernaculo Domini ab Ioſue. Inter hos igitur, & illos hæc probatur eſſe diſtantia, quoniam illi tabernaculo, vel templo Domini famulabantur vt ſerui; iſti quarto funguntur Altaris officio, Diaconorum ſcilicet ſuppares, ac miniſtri; atque ideò, ſicut cum Sacerdotibus, ac Leuitis ſacris Miſſarum præcipiuntur intereſſe myſterijs, ſic eorum quoque participes eſſe neceſsè eſt, in cuſtodienda perpetuæ munditia caſtitatis.*

2. *Poſtremò, quod dicitis ad* Simoniacæ *hæreſeos nequaquam pertinere piaculum, ſi quiſpiam Eccleſiæ regimen non ſine venalitate ſuſcipiat, ſi tantummodò manus impoſitionem gratis acquirat,*

rat; quantum in Eccleſia ſcandalum generet, quantum certè ab Eccleſiaſticæ diſciplinę tramite procùl aberret, quoniam omnibus eſt perſpicuum, non indiget prolixitate verborum. Quiſquis enim Eccleſiam pretio redimit, ſimùl & comparationem comparare conuincitur, ad quam ſcilicet per acceptionem eiuſdem Eccleſiæ promouetur. In Eccleſiæ quippè commercio & conſecrationem procùl dubio comparat, ſine qua videlicet eidem Eccleſiæ præſidere ſe poſſe non ſperat. E contra contenditis, quoniam inueſtituram ille ſuſcipit Eccleſiaſticæ facultatis, non minùs percipit gratiæ ſpiritualis. Acquirit Eccleſiæ prædium, non Eccleſiaſtici Chariſmatis Sacramentum. Quiſquis planè per ſalſuginem huius tartareæ ſapientiæ, immò venenatæ verſutiæ Eccleſiam diuidit, cùm per venalitatem hæreticus ſit, per diuiſionem quoque ſchiſmatici crimen incurrit. Fuerunt ſanè nonnulli ſinceræ fidei, & Catholicæ confeſſionis ignari, qui ſic inter humanam, atque Diuinam diuiſere naturam, vt duas aſſererent in mediatore Dei, & hominum conſtare perſonas. Ii verò, quibus datum eſt perſpicaci mentis intuitu Incarnati Verbi penetrare Myſterium, veraciter aſtruxerunt in tàm inſeparabilem vnionem vtramque concurriſſe naturam, vt ne in morte quidem Chriſti Diuinitas à carne potuiſſet abiungi: alioquin non eſſet verus Deus, ſi vel in ipſo mortis articulo deſineret eſſe Deus. Hinc eſt, quod ait Beatus Ambroſius: Caro

quidem Chriſti guſtauit mortem, ſed impaſſibilis Dei virtus non exiuit de corpore. Magnus etiam Leo Papa non diſparem huius rei protulit in ſuo ſermone ſententiam: Niſi Verbum, inquit, Caro fieret, & tàm ſolida exiſteret vnitas in vtraque natura, vt à ſuſcipiente ſuſceptam, nec ipſum breue mortis tempus abiungeret, numquàm valeret ad æternitatem redire mortalitas. Idem quoque alibi: Deitas, quæ ab vtraque ſuſcepti hominis ſubſtantia non receſſit, quod poteſtate diuiſit, poteſtate coniunxit. Porrò autem vos Chriſtum non diuiditis, ſed Eccleſiam, quæ Corpus eius eſt, diuidere non timetis. Ait enim Apoſtolus: Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro Corpore eius, quod eſt Eccleſia. Enim verò milites veriti ſunt Domini ſcindere tunicam; vos diſcerpere non formidatis Eccleſiam: qui nimirùm non idcircò Eccleſiarum lucra conquiritis, vt ad conſecrationis gratiam conſcendatis; ſed neceſſitate compulſi, ideò patimini conſecrationem, vt Eccleſiaſticam vos non contingat amittere facultatem. Nec ad hoc anhelatis, vt efficiamini Eccleſiæ Sacerdotes; ſed ad hoc tantùm, vt velut hæreditario quodam iure ſitis Sanctuarij poſſeſſores. Illos videlicet imitantes, quia iuxtà Dauid vaticinantis oraculum dixerunt: Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei. De quibus & in eodem Pſalmo Deo dicitur: Quoniam cogitauerunt conſenſum in vnum, aduersùm te teſtamentum diſpo-

ſne-

fuerunt. Vos enim hæc ſententia percutit, qui conſenſum in vnum cogitatis, dùm in eo, quòd contra ſacros Canones dicitis, non diſpari ſtudio inter vos vnanimiter concordatis, atque aduersùs Deum teſtamentum diſponitis, dum nouam legem, atque cõtrariam Eccleſiaſticæ regulæ promulgatis. Qui verò ſint illi, qui hæc contra Dominum faciant, Propheta ſubſequenter enumerans, manifeſtat: Tabernacula Idumæorum, & Iſmaelitæ, Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech, & alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur ſimùl venit cum illis; facti ſunt in ſuſceptionem filijs Loth. Fac illis ſicut Madian, & Siſare, ſicut Iabin in Torrente Ciſon. Diſperierunt in Endor; & reliqua. Quorum ſcilicet nominum ſi interpretationes exponimus, veſtris hæc concordare moribus procùl dubio reperimus. Idumæi namque dicuntur ſanguinei, vel terreni. Quod vobis vtique congruit, qui dùm iſta contenditis, carnem, & ſanguinem vos eſſe, & omninò terrenos apertiſſimè demonſtratis. Eſtis etiam Iſmaelitæ, ideſt obedientes, non Deo, ſed mundo; non Diuinæ legi, ſed carni. Moab verò dicitur ex patre, per quod, quoniam paternus inceſtus intelligitur, veſtra quoque luxuria condemnatur. Agareni, ideſt proſelyti, vel aduenæ, quo deſignantur nomine, qui per exteriorem quidem ſocietatem Chriſtiano populo ſe conciues ſimulant, ſed legi Chriſti contrarij alieno, atque aduentitio

inter eos animo perſeuerant. Gebal dicitur vallis vana, per quod deſignantur ij, qui ſimulatè ſunt mites, & fallaciter humiles. Ammon interpretatur populus turbidus, vel populus mœroris, quibus ſcilicet illi debent intelligi, qui dùm noua doctrina populum ſcilicet turbant, Eccleſiæ Dei mœrorem, atque triſtitiam generant. Amalech dicitur populus lingens, per quos vtique Chriſti deſignantur inimici, de quibus in Pſalmo dictum eſt: Et inimici eius terram lingent. Alienigenæ quamuis & ipſo nomine Latino ſe indicent alienos, & ob hoc conſequenter inimicos, tamen in Hebræo dicuntur Philiſtijm, quod interpretatur, cadentes potatione. Per quos exprimuntur illi, quos luxuria carnis inebriat, & quaſi præ nimia potatione cadentes, in ima præcipitat. Tyrus etiam, quæ Hebraicè ſors dicitur, anguſtia, ſiue tribulatio interpretatur: quo illi videntur perſpicuè deſignari, qui per impietatis opera perpetuæ tribulationi, vel anguſtiæ probantur obnoxij. Madian interpretatur, declinans iudicium. Illi planè iudicium declinant, qui dogmatizando peruerſa, Diuinæ legis iuſtitiam violant. Siſara dicitur excluſio gaudij; & quicumque ſe laſciuijs, & carnalibus lenocinijs petulanter immergunt, gaudium à ſe ſupernæ felicitatis excludunt. Iabin dicitur ſapiens, quod per antiphraſim de illis intelligendum eſt, de quibus dicit Apoſtolus: Vbi ſapiens, vbi ſcriba, vbi conquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam

Digitized by Google

tam fecit Deus ſapientiam huius ſæculi? Oreb interpretatur ſiccitas; & qui æſtu concupiſcentiæ carnalis exuritur, imbre Sancti Spiritus madefieri non meretur. Zeb dicitur lupus; Zebee victima. Reprobi namque, qui ſunt rapaces in ſæculo, & lupi ſunt, & ipſi ſunt victima; quia dùm infirmiores quoſque deuorare contendunt, & ipſi ſpiritualis lupi, hoc eſt diaboli dentibus exponuntur. Sed vt huiuſmodi nominum expoſitio ab huius diſputationis ordine non diſſentiat, quaſi lupi ſunt ſyluæ peruerſi doctores Eccleſiæ. Qui nimirùm & lupi ſunt ſimùl, & victimæ: quia dùm innocentes quoſque velut oues cruentis prauæ prædicationis dentibus mactant, ipſi quoque rapina facti, & in diaboli deuorantis inteſtina traiecti, inſatiabilem eius ingluuiem recreant. De quibus & per Pſalmiſtam dicitur: Sicut oues in Inferno poſiti ſunt, & mors depaſcet eos. Diabolus enim mors dicitur; ſicut in Apocalypſi ſcriptum eſt: Quia erat equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors. Cauendum ergò vobis, ne dùm mortibus paruulororum veſtram ſatiatis eſuriem, & ipſi occulti raptoris efficiamini victimæ, quos ille vorax, & inſatiabilis homicida in ſua tranſferat alimenta. Salmana dicitur vmbra commotionis; & carnalis quiſquis dùm vmbraticam felicitatem ſequitnr, veritate contempta, per varias mundi concupiſcentias commouetur. Ciſon autem, in quo ſcilicet torrente omnes illi deuicti

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, duritia eorum interpretatur. In *duritia quippè ſua depereunt, qui praua docentes veritati pertinaciter, & obſtinatè reſiſtunt. Endor etiam, vbi perierunt, interpretatur fons generationis, ſed vtique carnalis; cui nimirùm delectabiliter dediti, funeſta meruerunt cæde proſterni: non quærentes illic germinare, vbi neque nubent, neque vxores ducent, nec incipient mori; ſed illic potiùs quicquid gignitur, in mortem neceſsè eſt reſoluatur. Vos igitùr in Endor intima Diuini gladij cæde corruitis, qui ſacri miniſtros Altaris inceſti coniugij conſciſcere copulas, & ſpurios gignere filios edocetis. Poſtremò qui Sanctuarium Dei non ſpirituali moderamine, & prouiſione gerendum, ſed velut hæreditario iure poſſidendum aſſeritis, omnibus his interpretationibus nominum, quæ ſuccinctè ſuperiùs ſunt expoſita, perſpicuè ſubiacetis. Sed cum reuincendis thematibus illis, quibus breuiter, celeriterque reſpondimus, adhùc argumenta perplurima ſuppetant; manum tamen iam à ſcribendi libertate compeſcimus, vt vberiùs dictandi vires, ſi tamen adhuc neceſsè fuerit, per reſpirantis ſpiritus otium reparemus. Parcite procacibus labijs, dilectiſſimi, & ſi quam aſperioris in vos verbi ſalſuginem ſcaturire conſpicitis, non me, ſed vos potiùs redarguite, qui ſcribere compuliſtis.*] Sic epiſtola.

Ibid. vt ſup. 3. Notandum verò cum Baronio, quod damnata hæreſis de Eccleſiaſticorum beneficiorum emptione,

ne, & venditione, quam PETRVS Noſter paruulam alliſit ad petram, rurſùm quorumdam prauorum ſuſurro, ante aliquos annos in aures Fidelium irrepere auſa eſt, procaciter aſſerentium, Cardinalatus Romanæ Eccleſiæ dignitatem licitè vendi, emique poſſe; dùm ſcilicet non Ordo ipſe ſacer venderetur, vel emeretur annexus, ſed inhærens ſibi munus, & commodum temporale. Verùm occluſa ſemèl à PETRO Noſtro iſta vulgantium ora, qui fauentes Simoni Mago, Simonem Petrum tanta afficere ignominia putauerunt, iterum à PETRO, quaſi nouo Daniele, parata offa in perpetuum obſtruantur.

CAP. VIII.

In Romano Concilio agit contra Canonicos Regulares proprietarios.

1. VErùm inueniebatur manus PETRI omnibus inimicis Domini, dextera eius inueniebat omnes, qui eum oderant, ponens eos vt clibanum ignis in tempore vultus ſui: dùm enim iuſtiſſima zeli animaduerſione conturbabat Monachos, & deuorabat Gotthefredi Ducis Capellanos; in ſupradicto Concilio Romano Canonicorum etiam, & Clericorum malum fructum de terra perdebat, & ſemen eius à filijs hominum. Hi enim, cum Eccleſiarum fructibus in commune alerent-

Digitized by Google

rentur, pecuniam præterea, & alia bona ſeorsim poſſidebant; idque ſibi per leges licitum eſſe facere pertinaciter aſſerebant. Quapropter PETRVS ſumpſit ſibi librum, & ſcripſit in eo ſtylo hominis Alexandro Pontifici: velociter ſpolia, detrahe, citò prædare. Pro eo enim quod Canonici, & Clerici abiecerant arma lucis, nempè communis regulam vitæ, & aſſumpſerant opera tenebrarum, nimirùm proprietatem, & auaritiam; timuit ne propter hoc adducerentur ſuper eos aquæ iniquitatis fortes, & multæ, & aſcenderent ſuper omnes riuos eorum, & fluerent ſuper vniuerſas ripas eorum, irent inundantes per Iudam, & tranſeuntes vſque ad collum eius, & extenſio alarum cupiditatis impleret latitudinem terræ Emanuel. Validiſſimis igitùr eos rationibus redarguit, manifeſtè probans Clericos ex genere eorum, qui Canonici appellantur, proprium, aut priuatum nihil poſſe habere; ſed debere eos, cùm primùm ſacris initiarentur, vniuerſa bona, aut pauperibus tradere, aut in commune conferre. Pontificem Maximum ideò deprecans, vt quod humana, & Diuina iura cogunt, id etiam Clericos facere ſua ipſe auctoritate, & iuriſdictione compellat; vt ſequitur.

Opuſc. 24. to. 3 2. [*Quantum*, inquit, *ad noſtræ intelligentiæ modulum*, *Venerabilis Pater*, *nullum in humano genere malum pernicioſioris eſt criminis*, *quàm defenſio prauitatis*. *Vnde Dauid ait*: *Non*
Pſal. 140. *declines cor meum in verba mala ad excuſandas*

excu-

Digitized by Google

excuſationes in peccatis. Offenſio quippè Dei meretur iram, excuſatio prouocat ad vindictam. Nàm cum peccat homo, quaſi in puteum labitur; cum verò peccata defendit, os putei ſuper eum, ne pateat egreſſus, vrgetur. Corruit in puteum homo, cum peccat, claudit verò ſibimet os putei, dùm excuſat. Ex hac porrò defenſione, vel excuſatione criminis hæreſis naſcitur. Hæreſis enim interpretatur electio, & dùm quod eligit, quis defendere nititur, relicto veritatis tramite, quia per abrupta peruerſi dogmatis rapitur, in hæreſim neceſſe eſt prolabatur. Hoc autèm inter peccatorem, & hæreticum diſtat; quia peccator eſt, qui delinquit, hæreticus autem, qui peccatum per prauum dogma defendit. Nos autem quia magiſtros habemus SS. Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, non debemus, quod nobis videtur, eligere; neque, quod ſemel electum eſt, obſtinatè, & peruicaciter defenſare; ſed his dumtaxat, quæ à probatis Eccleſiæ Doctoribus definita ſunt, fidem irretractabiliter adhibere.

3. *Hæc idcircò præmiſimus, quia dolemus nonnullos SS. fratres, Canonici videlicèt ordinis, in tam effrænis prorupiſſe libertatis audaciam, vt non mdò ſibi ius habendæ pecuniæ vindicent, ſed & hanc ſibimet ex regulari auctoritate competere pertinaciter aſſeuerent. Ad quos probabiliter reuincendos poſſemus quidem plurima Scripturarum & veteris, & noui teſtamenti exempla congerere;* Ibid. vt ſup. cap. 1.

Digitized by Google

ſi priores noſtri Patres, ac Doctores Eccleſiæ ſuper hoc themate funditùs ſiluiſſent. Sed ſuperfluum eſt nos vilibus ſarculis illic glebas effringere, vbi tàm ſtrenui cultores terræ viuentium acutiſſimo linguæ ſuo vomere reperiuntur arua ſulcaſſe.]

Ibid. vt ſup. cap. 2. 4. Deindè allatis ſuper hac re Auguſtini, Hieronymi, & Proſperi ſententijs: [*Sed cùm hæc illis* Ibid. cap. 3. *obijcimus* (ſubdit) *ipſi regulæ ſuæ librum nobis protinùs offerunt, ad regulæ ſuę auctoritatem redeunt: eaque ſibi proprietatis peculium concedente, pati ſe præiudicium conqueruntur. Quam nimirùm regulam nos nec funditùs improbamus, nec auctoritatem illi omninò tribuimus. Probamus enim, in quantum* S. *Eccleſiæ Doctoribus conſonat: abijcimus autem, atque conſpuimus, in quantùm authenticis eorum inſtitutionibus non concordat.*

5. *Sed iàm ipſa eorum regula deducatur ad medium, & vtrùm indifferenter tota, an cautè, atque ſuſpectè ex parte dumtaxàt ſuſcipi debeat, in vna ſaltèm paginula diſcernamus. Hoc planè in quadam eius periocha reperitur: Sanctorum, inquit, Patrum ſententia docet: Clericos non diuitiarum ſectatores eſſe, nec res Eccleſiarum inofficioſè accipere debere. Qui enim Eccleſiæ ſeruiunt, & ea, quibus opus eſt, non habent: aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter ſapiunt. Indignum quippè eſt, ſi fidelis, & operoſa deuotio Clericorum propter ſtipendium ſæculare præmia ſem-*

Digitized by Google

ſempiterna contemnat: vt quod accipiat, indè rationem reddat, & peccatis alienis ſua multiplicet peccata. Vnde neceſſe eſt, immò vtile Clericis, in Eccleſiaſticis accipiendis ſumptibus, ſuum vitare periculum. Proindè tàm de ſuis, quàm de Eccleſiæ facultatibus non plus accipiant, aut exigant, quàm oportet. Ideſt, accipiant cibum, & potum, & veſtimentum, & his contenti ſint, neplùs accipientes, pauperes grauare videantur non ſine grandi peccato: & non accipiant, vndè pauper victurus erat. Ecce in his verbis hæc regula, vbi ſcilicet Clericos cibo, & potu, ac veſte contentos eſſe debere promulgat, & nobiſcum, & cùm totius Eccleſiæ auctoritate concordat. Quod autèm illicò ſequitur, prorsùs abſurdum, ineptum videtur, ac friuolum: Ii verò, inquit, qui nec ſuis rebus abundant, nec Eccleſiæ habent poſſeſſiones, & magnam vtilitatem Eccleſiæ conferunt, accipiant in Canonica congregatione victum, & veſtitum, & eleemoſynarum partes; quia de talibus in libro Proſperi dicitur: Clerici, quos voluntas, aut natiuitas pauperes fecit, in congregatione viuentes neceſſaria vitæ accipiant. Priùs itaque dat victum, & veſtimentum, deindè diuiſores conſtituit eleemoſynarum. Illud ſcilicet ad neceſſarium vitæ ſubſidium, hoc ad interficiendam congeriem ſacculorum. Illud, vt corporaliter viuant, hoc, vt æternæ morti pabulum nutriant.

6. *Conſideranda ſunt etiam ipſa reptantium por-*

Digitized by Google

portenta verborum, & ignominioſæ, atque confuſæ locutionis opprobrium. Nàm cum præmiſiſſet, vt Clerici ſuſciperent cum victu, & veſtitu etiam partes eleemoſynarum; quaſi reddit cauſam quare hoc: quia de talibus, inquit, in libro Proſperi dicitur: Clerici, quos voluntas, aut natiuitas pauperes fecit, in congregatione viuentes neceſſaria vitæ accipient.

7. *Dic Tullianæ reformator eloquentiæ, dic noue Demoſthenes: quia dicit Proſper, vt Clerici neceſſaria vitæ percipiant, idcircò præcipit, vt præter victus, & veſtimenta, per ſingulas etiàm perſonas eleemoſynas diuidant? Vt iuxtà tuam interpretationem neceſſaria vitæ ſuſcipere, hoc ſit, victu, veſteque perceptis, eleemoſynas diſpertire? Quàm benè faciunt Clerici, qui te præconijs efferunt, qui tàm grauia, atque importabilia tuæ legis edicto, lætis viſceribus amplectuntur! Et reuera ſatis grauia ſunt, & importabilia, quæ promulgas, cum à maximo vſque ad minimum; ideſt etiamſi duorum, vel trium ſit annorum in Clero puerulus, quinque ſibi libras vini, & quatuor panis, vt non ad vomitum, ſed ad exenterationem repleatur, accumulas. Et vt plena diſcretionis tuæ virtus appareat, hoc præcipis; vt etiam ſi ſemèl in die reficitur, hæc panis, & vini menſura nullatenùs minuatur, vt ſi iuxtà ſobrietatis tuæ metam refectionis fræna laxentur, non iàm ructare, ſed crepare venter, & ilia compellantur. Plané*

Digitized by Google

nè præter nonnullas SS. Patrum ſententias, quæ in eodem libello reperiuntur appoſitæ, de cætero, ſicùt in litteris ſtylus horret incultus, ſic in pleriſque ſententijs deuius corrigendus eſt intellectus. Neſciuit enim inuenire quod ſcriberet, neſciuit ſcribere, ſi quas etiam ineptias inueniſſet. Iſtos amant flores eloquentiæ, qui ſpinoſis moribus aduerſantur Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

8. *Enimuerò cum SS. Patres in Clericalis peculij condemnatione non diſſonent, ſed in diſtrictè prohibenda, ac funditùs auferenda Clericis pecunia vno ſpiritu, vno ſimùl ore concordent; vndè tamen hæc hauſerint, accedamus ad fontem, & profluentis riui principalem repetamus originem. Conſtat igitùr, & perſpicuum eſt, quòd Canonicorum regula ab Apoſtolicæ vitæ norma prodierit; & dùm ſpiritualis quiſque Conuentus rectam ſui tenet ordinis diſciplinam, teneram quodammodò lactantis Eccleſiæ imitatur infantiam.* Ibid. vt ſup. cap. 4.

9. *Audiamus ergò quam conuerſationem, quem viuendi ordinem ſub Apoſtolis nouiter ad fidem veniens tenebat Eccleſia: Multitudinis (vt ait Lucas) credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. Ecce vbi non erat diuerſitas rerum, vigebat vnitas voluntatum. Nimirùm vbi non eſt diuiſio cenſus, in vnionem charitatis plurimarum mentium conflatur affectus. Illic enim mens à mente diui-*

Digitized by Google

Act. 4. *diuiditur, vbi facultatum communio non tenetur; & vbi poſſeſſionum diuerſa proprietas, ibi mens poſſidentium non eſt vna. At vbi circumſtantia quælibet communiter poſſidentur, diuerſorum mentes in vna voluntatate concurrunt: quia vndè inuicem litigare debeant, non inueniunt. Quiſquis ergò Clericus proprietatis conatur habere peculium, non valet Apoſtolorum tenere veſtigia: quia non erit illi cùm fratribus cor vnum, & anima vna. Cùm Iuda ſiquidem loculos, atque*
Io: 12. *pecuniam habere poteſt; vnitatem verò, puramque concordiam cum Apoſtolis habere non poteſt.*

10. Sed *Age iàm, Clerice, qui recondendæ tibi pecuniæ licentiam vindicas, qui ius habendæ proprietatis vſurpas; reſponde, quæſo, cuius ſunt facultates, ex quibus tibi licet habere peculium? Tuæ videlicet ſunt, an Eccleſiæ? Sed ſi tuas tibi licet vſurpare pecunias, quomodo poſuiſti eas ad pedes Apoſtolorum? Si Eccleſiæ bona ſunt, quæ recondis, cur propria contempſiſti? Porrò ſi quid tibi de proprijs reſeruaſti, audi Apoſtolum terribiliter obiurgantem: Cur (inquit) tentauit ſatanas cor tuũ mentiri te Spiritui Sancto, vt fraudares de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Quod ſi non propria poſſidere, ſed Eccleſiæ conaris bona diuidere, quæ ſcilicet communis eſt tibi cùm fratribus; dic ergò Ieſu:*

Ma-

Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.

11. *Et notandum, quòd Euangeliſta præmiſerat: Ait quidam ei de turba. Tu itaque non vt Leuita, vel Clericus, ſed vt de turba vulgaris, & laicus, roga Ieſum, vt tibi cum fratre tuo iubeat hæreditatem diuidi, cui protinùs ille reſpondeat: Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? Moxque ſubiungat: Videte, & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt, ex his quæ poſſidet. Vis ergò diuidere? Non habebis Ieſum iudicem, aut diuiſorem, ſed ſchiſmaticæ potiùs diuiſionis vltorem: Qui non eſt, inquit, mecum, aduersùm me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Porrò autem ſi tibi licet habere pecuniam, nullam meliùs quàm tuam. Quod ſi quæ tua fuerant, poſſides, quid ergò in Religionis ordinem veniens, reliquiſti? Immò reuerſus ad vomitum, & aratrum deſerens, dùm in terga reflectis intuitum, vltra non eris idoneus Regno Cœlorum. Sin autem Eccleſiaſtica tibi liceat bona recondere, videris auxiſſe diuitias, non ſpreuiſſe; vt magis pecuniæ quæſtum, quam Religionis ambias inſtitutum; & non tàm ſanctitatis culmen voluiſſe conſcendere, quàm aceruos pecuniæ cumulare.]*

12. [Et poſt multa.

[*Clericus ideò, qui captus eſt amore pecuniæ, nequaquam idoneus eſt ad miniſtranda verba do-* Ibid. vt ſup. cap. 6.

ctri-

Digitized by Google

ctrinæ. Quod etiam in eo, quod ſuperiùs propoſuimus, Apoſtolico declaratur exemplo. Nàm cum Scriptura præmittat: Multitudo credentium erat cor vnum, & anima vna; moxque ſubiungit: Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia; protinùs addidit: Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini Noſtri, & gratia magna erat in omnibus illis. Deindè ſubinfert: Nec enim quiſquàm egens erat inter illos.

Act. 4.

13. *Quid autem ſibi vult, quod huius ſacræ ſcriptor hiſtoriæ, dùm de continentia loquitur Apoſtolica, & communi vita, repentè quaſi materiam interrumpit, & ad enarrandam prædicationis conſtantiam, tamquàm mutato ſtylo proſilit, dicens: Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis. Cur vni materiæ aliam interpellat, qui cœptam proſequi, & continuare debuerat; niſi vt patenter oſtendat, quia illi dumtaxàt idonei ſunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis poſſident lucrum; & dùm aliquid ſingulare non habent, communiter omnia poſſident? Nihil ſcilicet habentes, & omnia poſſidentes. Ii nimirùm dùm nullis terrenarum rerum præpediuntur obſtaculis, expediti ſtant pro Dominicis caſtris in campo certaminis: & quia rebus exuti ſolis virtutum armis accincti, gladio ſpiritus, aduersùs vitiorum dimicant acies, idonei*

bel-

Digitized by Google

bellatores ſunt obluctantium hoſtium obtruncare ceruices. Cui nimirùm bello impares ſunt, & eneruiter cedunt, qui communibus non contenti, peculij ſingularis ambiunt proprietate grauari. Hinc eſt, quòd in Deuteronomio gradientibus ad prælium, dicitur: Quiſquis eſt homo, qui plantauit vineam, & nec dum fecit eam eſſe communem, & de qua veſci omnibus liceat; vadat, & reuertatur in domum ſuam ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Deuter. 20.

14. *Sed iàm, venerabilis Pater, incultæ diſputationis protraxiſſe ſermonem, hucuſque ſufficiat: verumtamen, vt hæc apud inobedientiam Clericorum, immò Nummicolarum rebellionem efficaciter valeant, ſanctus Apoſtolatus veſtri vigor impellat.*]

C A P. IX.

Decretum Alexandri Papæ contra Clericos, & Canonicos Regulares proprietarios monente PETRO DAMIANI. Eiuſdem epiſtola ad Canonicos Fanenſes. Clericalis Ordinis per ipſum reformatio. Apologeticus Monachorum aduersùs Canonicos ipſi falsò tribuitur.

1. IN auditu auris, quæ PETRVS poſtulauerat, Alexander in præfata Romana Synodo contra Clericos, & Canonicos Regulares proprietarios; hæc decreuit.

Digitized by Google

Apud Baron. ann. 1061. „ 2. [Et præcipientes ſtatuimus, vt hi prædi-
„ ctorum Ordinum, qui iiſdem Prædeceſſoribus
„ noſtris obedientes, caſtitatem ſeruauerint, iuxta
„ Eccleſiam, quibus ordinati ſunt, ſicut oportet
„ Religioſos Clericos, ſimul manducent, & dor-
„ miant, & quicquid eis ab Eccleſia competit,
„ communiter habeant. Et rogantes monemus, vt
„ ad Apoſtolicam communem vitam ſummoperè
„ peruenire ſtudeant, quatenùs perfectionem cum
„ ijs conſecuti, qui centeſimo fructu ditantur, in
„ Cœleſti Patria mereantur adſcribi.] Hic Canon ab Alexandro, & Synodo editus eſt.

Opuſc. 18. 3. Videre eſt etiam qualem charitatem dedit illi Deus in Canonicos, vt Filij Dei nominarentur, & eſſent, tùm ex epiſtola ad Petrum Archipresbyterum Lateranenſem, de qua nos infrà alibi, tùm ex illa ad Clericos Fanenſis Eccleſiæ. Opuſc. 27. to. 3. Orta enim diſſenſione inter Fanenſes Eccleſiæ Canonicos, alijs in commune bonis Eccleſiæ collatis, alijs ſeorsìm ſibi viuere volentibus, ſcripſit ad eos, deprecans, vt depoſita omni contentione, Apoſtolorum, & primitiuæ Eccleſiæ morem ſequerentur, ſi Canonici non tàm nomine, quàm re eſſe vellent; multiſque rationibus eis perſuadere conatus eſt, vt quæ quidem retrò ſunt, obliuiſcentes, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendentes ſeipſos, ad deſtinatum proſequerentur, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Christo Ieſu. Et fortè ex bellis, & litibus, quæ erant

in

in illis, & quæ ſibi optimè ob vicinitatem loci innotuerant, illa agere in Synodo pro communi Canonicorum Regularium Ordine impulſus fuit; ſicut hæc Fanenſibus ipſis Clericis, vt concupiſcentias, quæ militabant in membris eorum, penitùs euellere ſtuderent, mittere optimum duxit.

4. [*Diù eſt, dilectiſſimi, quòd in his partibus fama vulgauit, non paruæ ſimultatis inter vos emerſiſſe diſcordiam, ob id videlicet, quia nonnulli veſtrum aggrederentur in Canonica regularitate viuere, plerique autem non acquieſcerent, volentes tantùm apud ſe in ſuis proprietatibus habitare, quod quidem non miramur, quia ratum non eſt; ſed dolemus potiùs, quia inhoneſtum eſt. Satis enim videtur abſurdum, vt Clerici quis prætendat in ordine ſpeciem, & ſæcularium teneat viuendo conuerſationem, & quem à laicorum turbis profeſſionis conditio ſeparat, turpe eſt, ſi vel domeſtica conuerſatio, vel peculij abominanda proprietas laicum eſſe conuincat. Quid enim illius poterit concupiſcentiam ſatiare, cui non poteſt ipſe Deus in poſſeſſione ſufficere? Clericus quippè, ſi iuxta ſui etymologiam vocabuli ipſe ſors Dei eſt, ita nihilominùs, & Deus Omnipotens eſſe eius portio perhibetur; vndè & Ieremias: Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo illum. Si igitùr Clericus Dei eſt portio, & Deus portio eius, non leuem Creatori ſuo contumeliam videtur in-*

Opuſc. 27. to. 3

Serm. 3

ferre, qui ſuper hoc ſingulare talentum terrenam æſtuat pecuniam cumulare. Nàm & in libro
Num. 3. *Numeri de Leuitis Deus Moyſi præcepit, dicens: Tolles Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Iſrael; ego ſum Dominus: & pecora eorum pro vniuerſis primogenitis pecorum filiorum Iſrael. Et iterum: Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Iſrael, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum, eruntque Leuitæ mei; ego ſum Dominus: in præceptis meis ambulent; ac ſi manifeſtiùs dicat: Sicut eos mihi in proprium ius ſpecialiter vindico, ſic mihi iugiter deſeruire abſque omni terrenæ conuerſationis ſubiectione decerno: nec eos velut ſeruos iugo negotiorum ſecularium patior ignobiliter ſubijci, qui meis obſequijs dediti, libertatis ingenuæ ſunt titulo decorati.*

5. *Et notandum, quòd non ſolùm Leuitas,*
Ibid. vt ſup. cap. 1. *ſed Leuitarum etiam pecora Dominus ſua eſſe teſtatur; vt perſpicuè doceat, quòd ij, qui Eccleſiaſticis mancipantur obſequijs, Deo debent non modò ſuæ ſedulitatis, & laboris impendium, ſed etiam proprietatem quoque earum, quas poſſident, facultatum: ſciantque ſe ſimul, & ſua iuris eſſe non proprij, ſed Diuini. Hoc autem tempore Clericis, quod de quibuſdam loquor, parum videtur ſi ſua Deo viuendo carnaliter ſubtrahant; niſi etiam ab Eccleſiaſticæ procurationis excubijs per angiportus, & nundinarum ſtationes habitando ſecedant. Nimirùm ſuauiùs iudicantes, ſi cauponum taber-*

tabernas olfaciant, quàm ſi Diuini Sacrarij quotidiè limen terant: magiſque delectat eos textricum gynæcea conſpicere, quàm cœleſtis eloquij paginis incubare.

Quis enim illud præſertim libri Paralipomenon perſpicuè non aduertat; quia conſtituit Salomon iuxta diſpoſitionem patris ſui Dauid officia Sacerdotum in miniſterijs ſuis, & Leuitas in ordine ſuo, vt laudarent, & miniſtrarent coram Sacerdotibus iuxta ritum vniuſcuiuſque diei, & ianitores in diuiſionibus ſuis per portam, & portam? Si igitur illi, qui ex mandato legis coniugalibus erant copulis obligati, tantæ ſedulitatis excubias ſuis Sanctuarijs exhibebant: quid nunc faciendum eſt Clericis, qui videlicet caſtitatis munditia præditi, à cunctis ſunt carnalis commercij vinculis abſoluti? Planè quo pacto quis valeat dici Canonicus, niſi ſit Regularis? Quomodo Monachus, niſi iuxta vim ſui nominis ſit etiam ſingularis? Volunt ſiquidem Canonicum, hoc eſt Regulare nomen habere, ſed non regulariter viuere. Ambiunt communia bona Eccleſiæ diuidere; aſpernantur autem apud Eccleſiam communiter habere. Enimverò non eſt hæc primitiuæ Eccleſiæ forma: ſatis exorbitat ab inſtitutionis Apoſtolicæ diſciplina; quibus nimirùm erat cor vnum, & anima vna, & vendebant agros, ponebantque pretia ad pedes Apoſtolorum, & diuidebant ſingulis, prout cuique opus erat: nec quiſquam eorum, quæ poſſide-

2. Paralip. 8.

Ibid. vt ſup. cap. 2.

ſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia.

Ibid. vt ſup. cap. 3. 6. *In Monachico ſanè Ordine, quos in Clauſtris ſub Abbatis imperio ſingulariter manere conſpicimus, conſequenter vtique Monachos appellamus; quos autem proprium poſſidere indifferenter huc, illucque diſcurrere ſolutos legibus iuxta propriæ voluntatis arbitrium diffluere cernimus, non Monachorum, ſed Gyrouagorum potiùs, vel Sarabaitarum dignos vocabulo iudicamus. Sunt itaque Sarabaitæ Monachorum, ſunt etiam Clericorum. Dicit autem Dominus:* Matt. 12. *Qui non eſt mecum, aduersùm me eſt; & qui non colligit mecum,* Luc. 11. *ſpargit. Iſti nempè, qui cum Deo in fraterna charitate non colligunt, dùm marſupium mentium per diſcordiam ſcindunt, virtutum fruges, ſiquæ ſunt, quaſi per foramen ſpargentes amit-* Agg. 1. *tunt. Vnde & Propheta de ſtulto viro dicit: Quia congregauit diuitias, & miſit eas in ſacculum pertuſum.*

7. *Quapropter obſecro ſanctitatem veſtram, chariſſimi, expulſo Phariſæorum fermento, natiuitatis veſtræ domos cum Abraham Patriarcha relinquite, in vno vos Cœnaculo cum Apoſtolis apud Eccleſiam congregate. Propria quæque cum Barnaba, & Stephano, veris ſcilicet abrenunciatoribus in commune conferte, vt in fraterna vos vna-* Ibid. cap. 5. *nimitate viuentes, Spiritus Sanctus meritò dignetur inuiſere. Non inter vos diuiſio ſit domorum,*

non

Digitized by Google

non ſciſſura mentium, non diuerſitas facultatum: Nolite, inquit Dominus, theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Quis quæſo huius mandati ſententiam teneat, ſi hanc Clericus non obſeruat? Numquid coniugati, qui filios nutriunt, qui Deo decimas ex ipſius auctoritate perſoluunt? Qui enim offert (vt Paulus ait) neceſſè eſt, eum aliquid habere, quod offerat. Deindè quomodo poterit in Choro quis pſallentium conſtitutus, cor fixum in oratione tenere, qui de loculis, & lapſidilibus, ne audax aduolet manus, excogitat? De apothecis, & borreis, ne furibus famulentur, addubitat? Ne non feræ minus fideles obſiſtant, atque de furum ſemper obrepentium irruptione formidat? Ego autem forſitan mentiar, ſed numquid veritas poterit mentiri, quæ dicit: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum? Et fortè tolerabiliùs cenſeretur, ſi in ſuis penetralibus officia Diuina peragerent, ac non longiùs laborantes, ibi Deum quærerent, vbi peculia cuſtodirent, vt cum illis diceretur: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum; non incongruè ſubderetur: vbi eſt etiam Deus tuus?

Matth. 6. Heb. 8. Matt. 6. Luc. 12.

8. *Sed quoniam res hæc non eſt ridenda, ſed dolenda, obſecro vos, dilectiſſimi mihi fratres, & domini, nolite, quæ ſuggerimus, paruipendere, ſed in ſchola vos Chriſti ſub diſciplina Sancti Spiritus congregate, quatenus ipſe nobiſcum nunc, &*

vſque

Digitized by Google

vſque ad conſummationem ſæculi, ſicut eſt pollicitus, maneat, & ad Patris ſui gloriam felici poſtmodùm vos remuneratione perducat. Quibuſdam fortè diſpliceam, quia dùm alios intrà Regularis vitæ limitem compeſcere geſtio, ipſe modum compendij epiſtolaris excedo. Sed optimè compenſatur, ſi arguitur imperitiæ ſcriptor, dummodò proficiat ſapienter auditor.]

9. His ſtuduit PETRVS reformare corpus humilitatis Canonicorum Regularium in Eremitica diſciplina, configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundùm operationem, qua etiam omnia ſibi ſubijcere, & ad priſtini feruoris apicem, quæ in Eccleſia erant, reuocare ſummoperè con-
„ cupiuit. [Suam quippè ſollicitudinem (inquit
Io. diſcip. Vit. cap. 7. „ Ioannes eius diſcipulus) non ſolùm proprijs, quos
„ ipſe fundauerat, ſed & pluribus locis alijs tàm
„ Cœnobiorum, quàm Canonicarum, tamquàm
„ communis parens cunctorum non deſinebat
„ impartire, prout quiſque videbatur expetere;
Idem cap. 15. „ vndè conſtat, quòd Matricum Eccleſiarum
„ Clerum per Romanam Prouinciam eius potiſ-
„ ſimùm ope vndique ſibi contiguam congrega-
„ tum inſpicimus; eoſque nonnulla Canonici
„ ritus veſtigia, Deo fauente, imitari applaudi-
„ mus: qui relictis olim cunctis Canonicis Inſti-
„ tutis, & à communis vitæ ordine prorſus receſ-
„ ſerant, & in ſingulis laribus, vnà cum mu-
„ lierculis ſæculariter degebant.] Iuremeritò igi-

tur

Digitized by Google

tur extollens vocem quidam de turba ipſorum Canonicorum Regularium dixit: [Reformationi
„ Clericorum Regularium Beatus PETRVS
„ DAMIANI ſummo animi feruore, & conatu incubuit; cui certè Ordo Canonicus tantum debet, quantum illorum temporum nulli
„ magis.] Gabr. Pennot. Hiſt. Tripart. lib. 2. cap. 47.

10. Verùm quoad epiſtolam, vel ſermonem, cuius titulus: *Apologeticus Monachorum aduersùs Canonicos*, qui PETRI nomine circumfertur, & inter eius opera ponitur; apocryphum, & falſum illum arbitramur, vel quia à ſtylo ipſius abhorret, vel quia vana, & ſtulta, & tanto non digna Doctore continet; vel aliquibus ex rationibus, quas Canonici ad id comprobandum aſtruunt, quibus pro modulo noſtro addere audemus, quòd eiuſdem titulus à cæteris, qui PETRI DAMIANI operibus præponuntur, quammaximè differt. Inter Oper. S. Petri Damian. Opuſc. 28. to. Idem Gabr. lib. 1. cap. 34.

CAP. X.

In eodem Concilio Romano PETRVS DAMIANI acriter in Nicolaitas inuehitur.

1. IN hoc eodem Romano Concilio vox de Apoſtolico Throno exiuit contra Nicolaitas turpes Eccleſiæ Clericos; qui auferentes membra Chriſti, membra fecerant meretricum, eò vſque obliti ſe obtuliſſe corpus ſuum non fornicationi, ſed Domino; cum tantum abſit, quod errorem corrigerent, vt potiùs obſtinatè defenderent: nam iſta contra illos ab Alexandro, & Synodo prolata ſunt.

„ 2. [Præter hæc autem præcipiendo mandamus, vt nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, vel ſubintroductam mulierem. Vndè ſancta Synodus hæc à capite ſub excommunicatione ſtatuit, dicens: Quicumque Sacerdos, vel Diaconus poſt Conſtitutum beat. mem. Prędeceſſoris noſtri Sanctiſſimi Papæ Leonis, aut Nicolai de caſtitate Clericorum concubinam duxerit palàm, vel ductam non reliquerit; ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus, & omninò contradicimus, vt non cantet Miſſam, neque Euangelium, neque Epiſtolam

„ ſtolam ad Miſſam legat, neque in Presbyte rio „ ad Diuina officia cum his, qui præfatæ Conſti- „ tutioni obedientes fuerint, maneat, neque par- „ tem ab Eccleſia ſuſcipiat.]

3. Sic Canon abſque dubio editus PETRO DAMIANI ſuadente: nefandi ſiquidem ſceleris impunitatem detexerat ipſe anno præcedenti 1062., dum Gallicana Legatione fungebatur, in quampluribus, ſed præcipuè in Laudenſis, & Taurinenſis Eccleſiæ Clericis (vt ex infra recitanda epiſtola patebit,) & exclamans voce magna propter iniquitatem corripuerat homines, datis ad Cunibertum Epiſcopum Taurinenſem, & ad Adelaidem Subalpinorum Comitiſſam epiſtolis. Quibus, poſtquam, ipſo ſuggerente, anno 1063. ſancta Synodus præfata decreuit; aliam etiam addidiſſe epiſtolam ad Petrum Canonicæ Lateranenſis Card. Archipresb. reperimus: experimento enim cognouerat eum contra inferentes plagam Clericali caſtitati ſtrenuum bellatorem; vndè vt decretis à ſacroſancto Concilio debita obedientia haberetur, inſignis Eccleſiæ Agoniſta ad omnes impendendas vires eum hortatus eſt: [*Tanto quippè zelo* (vt meliùs alibi) *vidi te ſemper aduerſus eorũ perditos mores medullitùs inardeſcere, vt Phinees, vel Eliæ iudiceris incendio non egere; adeout plus inſuggillationis tuæ* * *vereantur obloquium, quàm ipſum quoq; timeant Papale Decretum. Nam velut egregius canis Aulæ Regiæ cuſtos nocturnos fures claris baubatibus impetis,* Opuſcul. 18. in princip.

* Clerici impudici.

eoſque, ne libidinis ſuæ faucibus Palatium Regale comburant, mordicùs apprebendis &c.]

4. At ſicut ex his conſtat epiſtolam hanc ad Petrum Archipresbyterum Lateranenſem poſteriorem fuiſſe, & Papali decreto in Synodo hac promulgato, & epiſtolis ad Cunibertum, & ad Adelaidem Comitiſſam datis; nam ad Petrum Archipresbyterum: [*Sed quoniam* (dicit) *ſuper hoc themate prolixiùs iam alibi diſputauimus, & primò quidem piæ mem. Nicolao Papæ, deindè Taurinenſi Epiſcopo, poſtremò etiam Comitiſſæ Adelaidi viritim ſcribentes diuerſa Scripturarum exempla congeſſimus: ad illa te, frater venerande, tranſmitto &c.*] ita apertè colligitur ad Cunibertum ſcripſiſſe non poſt damnationem Cadaloi factam in Mantuano Concilio (vt aliquis cenſuit) de qua inferiùs, ſed poſt eiuſdem depoſitionem factam in Osborienſi, iuxta ipſiuſmet vaticinium, de quo ſignanter loquitur in epiſtola eadem: dicit enim, vt ſuo loco retulimus: [*Super quo nimirùm* (de Cadaloo loquitur) *etiam mihi ijdem eius fautores inſultant, eumque non eſſe mortuum iuxta cuiuſdam à me facti verſiculi prophetiam exprobrantes obtrectant; dixeram enim inter cætera: NON EGO TE FALLO, COEPTO MORIERIS IN ANNO. Sed vt me comprobem non fuiſſe mentitum, audiant admirabilem Diuinæ diſpoſitionis euentum. Cadalous ſiquidem ipſo feſtiuitatis die Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ quaſi*

Ibid. cap. 1.

Ibid. cap. 8. diſſ. 1.

in

in Papam, Deo reprobante, ac repellente, fuit electus: eodemque vertente anno in prædictorum Apoſtolorum vigilijs ab omnibus Teutonicis, & Italicis Epiſcopis, ac Metropolitanis, qui cum Rege tunc aderant, damnatus eſt, & depoſitus. Quamobrem, iuxta Ezechielem Prophetam: Fimum bouum pro ſtercoribus humanis Deus ſibi quodammodò contulit, dum carnis interitum honoris ruina mutauit. Tunc quippè mortuus eſt in honore, cum honoris Synodali iudicio perdidit dignitatem. Nunc autem, non dicam diſthanatus, ſed potius millemortuus toto terrarum Orbe deridetur, comploditur, maledicitur, anathematizatur. Audiant igitur hoc inſultores mei, & dum Diuinæ diſpenſationis perſpexerint ordinem, me mendacij non accuſent &c.] Quæ omnia clarè oſtenduntur non ad Mantuanum, ſed ad Osborienſe Concilium anno, vt diximus, 1062. congregatum, pertinere.

5. Euidenter etiam probatur ſtatim poſt reditum à Gallica Legatione, cuius occaſione Laudenſem, Taurinenſem, atque præcipuas Longobardiæ, & Subalpinorum Eccleſias inuiſerat, epiſtolam ad Cunibertum ſcriptam fuiſſe, ex ipſius tenore: (vt fuſiùs infrà) [*Inter nonnullos virtutum flores, venerabilis Pater, quibus tuæ ſanctitatis vernat ingenium, vnum mihi, fateor, valdè diſplicuit: quod nimirum, & tunc me in te vehementer inuexit, & nunc ſtyli huius articulum exarare compellit. Permittis enim vt Eccleſiæ tuæ Clerici, cuiuſ-* Ibid. diſſert. 2. cap. 1.

iuſcumque ſint ordinis, velut iure matrimonij confœderentur vxoribus. Quod ſanè quàm Eccleſiaſticæ munditiæ videatur obſcœnum, quàm Canonicæ ſit auctoritati contrarium, quàm certè cunctis Sanctorum Patrum ſanctionibus odioſum, abſit, vt tanta, quæ in te eſt, poſſit ignorare prudentia; præſertim cum & ipſi Clerici tui aliàs quidem ſatis honeſti, & litterarum ſtudijs ſint decenter inſtructi; qui dum ad me confluerent, tamquam Chorus Angelicus, & velut conſpicuus Eccleſiæ videbantur enitere Senatus.]

6. Et in eadem epiſtola referens, quæ ſibi cum Laudenſis Eccleſiæ Clericis contigerant, dicit:

Ibid. cap. 3. [*Aliquando cum me Laudenſis Eccleſiæ tauri pingues armata conſpiratione vallarent, ac furioſo ſtrepitu vituli multi tumultuantes infrenderent, tamquam ructum fellis in os meum euomerent, dicentes: Habemus auctoritatem Triburienſis (ſi tamen ego nomen teneo) Concilij, quod promotis ad Eccleſiaſticum Ordinem ineundi coniugij tribuat facultatem. Quibus ego reſpondi: Concilium, inquam, veſtrum quodcumque vultis nomen obtineat, ſed à me non recipitur, ſi decretis Romanorum Pontificum non concordat. Aucupantur enim quædam quaſi Canonum adulterina ſarmenta, eiſque præbent auctoritatem, vt authenticam Canonum valeant vacuare virtutem.*]

7. Sic ad Cunibertum in epiſtola ad ipſum, vt

Digitized by Google

vt diximus, ſcripta non poſt Mantuanum, ſed poſt Osborienſe Concilium, cuius nimirùm tempore, vel dum in Gallias pergeret, vel indè rediret, in præfatis Eccleſijs Nicolaitarum hæreſim detexit, & redarguit præſens, atque vehementiùs deindè ſtatim ac ad propria peruenit, allatis ad Cunibertum, & Adelaidem epiſtolis, abſens increpuit. Quapropter iuremeritò ſtatuimus, in hoc Romano Concilio ipſius operâ, quod propoſuimus, decretum contra Nicolaitas emanaſſe: collegiſſe enim credendum eſt in iſta Synodo ſpolia eorum, quæ diripuerat in itinere, ſicut colligitur brucus, vt igne ſuccenſa comburerentur: & deindè, vt ignis ardens in furore zeli ſui, arderet vſque ad Inferni nouiſſima, deuoraretque terram Nicolaitarum cum germine ſuo, & montium hæreſeos fundamenta combureret; poſt Concilium litteris ad Petrum Archipresbyterum datis, congregaſſe ſuper eam mala, & ſagittas ſuas compleuiſſe in ea, abſque dubio cenſendum eſt.

8. Et fortè impudicus tunc Longobardiæ Clerus à PETRO obiurgatus parauit illi laqueum in via illa, qua ambulauit, vt dictum eſt; fauebat enim Pſeudopontifici, quia ſperabat Cadaloum incontinentiæ eorum fræna laxaturum: [*Sed quia nonnulli eorum* (PETRVS ipſe rem refert) *ſunt, qui dum mala committunt, etiam viperini dogmatis hæc aſſertione defendunt, non ignorent, quoniam damnabilis hereſeos laqueis innectuntur. Qui nimi-* Ibid. diſſert. 2. cap. 8.

mirùm dum corruunt, impudici, dum defendere nituntur, meritò iudicantur hæretici. Vndè & Clerici vxorati Nicolaitæ vocantur, quoniam à quodam Nicolao, qui hanc dogmatizauit hæreſim, huiuſmodi vocabulum ſortiuntur. Sed nunc accedit, vt hoc inſigne vocabulum nouum, ſi præualent, accipiat incrementum: vt qui hactenus dicti ſunt Nicolaitæ, amodò vocentur & Cadaloitæ. Sperant enim, quia ſi Cadalous, qui ad hoc gehennaliter æſtuat, vniuerſali Eccleſiæ Antichriſti vice præſederit, ad eorum votum luxuriæ fræna laxabit.]

9. Iure igitur inſidiæ, quæ illi paratæ fuerunt à Cadaloitis in itinere, tribui poſſunt impudiciſſimis Longobardiæ Clericis à caſtiſſimo Legato obiurgatis; nàm Cadaloitarum nomen ipſis tribuit, & quia Cadaloo adhærebant, & quia hæreſim ſuam ipſius adiutorio ſtabilire moliebantur.

10. Tulit ergò Vir Dei tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon, nempè flagitioſæ huius hæreſeos, quam toto corde vniuerſus ferè Iſrael ſequi videbatur, admirabiles præfatas epiſtolas ſcribens, quarum aliquid ad legentium ædificationem ponere, ex more, incongruum non duximus. In epiſtola igitur ad Petrum Archipresbyterum Cardinalem.

Opuſcul. 18. tom. 3. Ibid. diſſert. 1.

11. [*Tantum valet* (ſcripſit) *iaculum, quanta virtus eſt bellatoris. Nàm quantalibet limetur, & exacuatur induſtria, ſi bracbium vibran-*

vibrantis elangueat, inſignis victoriæ manubias non reportat. At vbi bellator eſt ſtrenuus, per obtuſum quoque gladium cæſis hoſtibus aliquando fit triumphus. Nàm & Goliath inſigni munitus gladio, non modò perdidit, ſed & percuſſus occubuit. Et Samſon cum vili mandibula Aſini mille de Philiſtijm viros occidit. Hinc eſt, quod cum Iether primogenitus Gedeonis, gladium timuiſſet educere, Zebee, & Salmana Reges Madian, dixerunt Gedeoni: Tu ſurge, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur eſt hominis. Itaque qui contra Clericorum luxuriam, tamquam Tudites iaculum fabrico, in nullius eum melius, quàm in tuis manibus pono; tanto quippe zelo vidi te ſemper aduersùs eorum perditos mores medullitùs inardeſcere, vt Phinees vel Eliæ iudiceris incendio non egere: adeoùt plus inſuggillationis tuæ vereantur obloquium, quàm ipſum quoque timeant Papale Decretum. Nàm velut egregius canis Aulæ Regiæ cuſtos, nocturnos fures claris baubatis impetis, eoſque ne libidinis ſuæ facibus Palatiū Regale comburant, mordicùs apprehendis &c.]

1. Reg. 17. Iud. 15.

Iudic. 8.

12. Cuniberto autem ſcripſit: [*Hæc eſt veræ charitatis, & amicitiæ regula* (inquiens) *vt ita ſe fratres mutuæ dulcedinis amore confoueant, quatenùs ſi quid in vtrouis reprehenſibile eſt, alteri non abſcondat. Illa quippe neceſſitudo probatur vtilis, & honeſta, quæ dùm cuncta producit in medium, & quod corrigendum eſt,* Eod. Opuſc. diſſert. 2.

corrigit, & quod ſanum eſt, mutuo puritatis, ac ſinceritatis amore cuſtodit. Sicque fit, vt dùm delinquentis culpa corrigitur, corripienti copioſior gratia cumuletur. Inter nonnullos virtutum flores, venerabilis Pater, quibus tuæ ſanctitatis vernat ingenium, vnum mihi fateor, valdè diſplicuit, quod nimirùm & tunc me in te vehementer inuexit, & nunc ſtyli huius articulum exarare compellit. Permittis enim vt Eccleſiæ tuæ Clerici cuiuſcumque ſint Ordinis, velut iure matrimonij confœderentur vxoribus. Quod ſanè quàm Eccleſiaſticæ munditiæ videatur obſcœnum, quàm Canonicæ ſit auctoritati contrarium, quàm certè cunctis SS. Patrum Sanctionibus odioſum, abſit vt tanta, quæ in te eſt poſſit ignorare prudentia. Præſertim cum & ipſi Clerici tui, aliàs quidem ſatis honeſti, & litterarum ſtudijs ſint decenter inſtructi. Qui dùm ad me confluerent, tamquàm Chorus Angelicus, & velùt conſpicuus Eccleſiæ videbantur enitere Senatus. *Poſtquam autem latentem peſtis huius eluuiem didici, protinùs lux in caliginem, & lætitia mihi vertitur in mœrorem &c.*]

Opuſ. eodem diſſert. 3.

13. Et demùm Adelaidi: [*Quidquid de caſtitatis iniuria* (ſubdidit) *quam eadem Regina virtutum à Clericis patitur, venerabili Taurinenſi Epiſcopo ſcripſi, tibi ſcribendum ante decreueram, niſi eorumdem Clericorum inſuggillantium calumniam formidaſſem. Expoſtularent enim, ac dicerent:*

Digitized by Google

rent: Ecce quàm impiè, quàm inhumanè parat nos iſte confundere, qui non cum Epiſcopis, non cum Eccleſiaſticis viris ſuper noſtro negotio cautè vult, ac modeſtè diſſerere, ſed quod in ſacrario tractandum erat, non veretur fœminis publicare. Hoc itaque metuens; perſonam mutaui, & quod tibi conceperam, illi potiùs deſtinaui. Ille tamen vnius Eccleſiæ Cathedram tenet; in Ditione verò tua, quæ in duorum Regnorum Italiæ ſcilicet, & Burgundiæ porrigitur non breue confinium, plures epiſcopantur Antiſtites: ideoque non indignum videbatur, vt tibi potiſſimùm de Clericorum incontinentia ſcriberem, cui videlicet ad corrigendum idoneam ſentio non deeſſe virtutem. Præſertim (quod ad laudem Dei dixerim) cum virile robur fœmineo regnet in pectore; & ditior ſis bona voluntate, quàm terrena poteſtate. Vnde quia Poetæ Gentilis eloquium: Opus eſt huic tutore, quem defenſorem paro; hortor, & peto, vt tu Domino iungaris Epiſcopo; quatenùs mutuæ virtutis fulti munimine, furentis in Chriſtum luxuriæ valeatis aciem debellare &c.]

14. In his autèm ſingulis luculentiſſimis diſſertationibus, docet: [Cur Clericis tàm diſtricta, tàm rigida regula caſtitatis iudicatur, vt à contrahendis nuptijs funditùs abſcindantur; quia nimirùm Dominicum Corpus, quod in virginalis vteri templo coaluit, nunc etiàm à Miniſtris ſuis continentis pudicitiæ munditiam quærit; nàm ſicùt con- Diſſ. 1. cap. 1. vt ſup.

cipienti Deificæ Virgini, non virile ſemen influxit, ſed virtus Sancti Spiritus obumbrauit; ita nunc in Altari poſitum Sacramentum eadem Sancti Spiritus virtus eſt, quæ viuificat, & neceſſe eſt, vt hoc pudica manus, & impolluta contingat: nàm ſiqui in antiquo teſtamento Panem ſanctum cogebantur edere, mundi à mulieribus maximè eſſe debebant; hoc profectò docetur nullum culpæ contagium, nullum omninò reatum Diuinis Myſterijs tàm eſſe contrarium, quàm illicita commixtio fœminarum. Quod ſi aliud tunc à Leuitis Sinagogæ, aliud nùnc à Clericis exigitur Eccleſiæ; vt nempè à carnalis affectus amplexibus penitùs ſint remoti, qui primis permittebantur; hoc neceſſitas ab illis repetebat, quia ſola Leuitica Tribus ad Sacerdotale Miniſterium tunc erat electa, & ideò neceſſaria tunc erat propagatio generis ad conſeruandum Sacerdotalis officium dignitatis. Nùnc autem quia ex omni populo Chriſtiano paſſim fit Sacerdotalis electio, & in promotione Clericorum non diſtinctio generis, ſed prærogatiua dumtaxat exquiritur ſanctitatis; ceſſant iura coniugij, dùm præcedentis aboletur cenſura mandati. Immò conſtat, quòd illius etiam temporis Sacerdotes protinùs à reddendo coniugali debito ſeruabantur immunes, donèc vicis ſuæ tempus explerent; & iugiter morabantur in templo, donèc ſortis indictæ fungebatur officio; & ideo cum nunc Scriptura præcipiat, vt ſemper oremus, & Miniſtri Altaris non habent delegatas vi-

Ibid. cap. 2. diſſert. 2.

Ibid. vt ſup. cap. 4.

vices, dum ſine vlla temporis intermiſſione Miniſterij ſui continuam exhibent ſeruitutem; non mirùm quòd non debeāt vacare coniugio, qui numquā ab Eccleſiaſticæ ſedulitatis feriantur obſequio.

15. Euertit deindè erroris fundamenta, quorum primū dicto Apoſtoli innitebatur: Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat; ex qua videlicet generali ſententia, qua vnicuique nubendi licentia tribuitur, ſe non excipi, Clerici contendebant. Oſtendit enim quàm indignum, quàm incongruum eſſet per hæc verba incontinentiæ paſſim fræna laxare; nàm ex hoc conijci inſuper poſſet, & Epiſcopis, & Monachis, & Abbatibus, libertatem eamdem non negari, immò & ſacras Virgines ad ineunda coniugalis copulę fœdera prouocari, quo nihil datur abſurdius. Et quia nonnulli ſuper hac quæſtione conuenti ad paupertatis illicò patrocinium conuolabant, muliebris dicentes ſedulitatis auxilio carere non poſſe, quia rei familiaris inopiam ſuſtinebant; è contrario reſpondit: quòd vbi anguſtiora erant alimenta, ibi minor erat alenda familia: & mensa, quæ non grauabatur edulijs, non erat pluribus obeunda conuiuis. Vndè potiùs neceſſe erat vt paupertas indiga ſolitudinis fœminarum doceret abdicare conſortium, & greges inhiantes edentium prohiberet gignere paruulorum.

1. Corinth. 2.

Diſt. 5. cap. 4.

16. Quia verò ad ſtatuendum ſcelus nonnulli (vt innuimus) ſacrorum Canonum ſibi auctoritatem vſur-

Diſcret. 2. ca. 3.

vſurpabant, hos etiam refellit; & poſt innumera ſacræ Scripturæ, & Patrum teſtimonia, tandem hortatur vt, vibrato ſpiritus gladio, in Eccleſia lethale vulnus curetur, vt manubiæ, ac ſpolia de manu cruenti prædonis eripi poſſint, & Iſraelitica plebs Pharaone demerſo, & pudicitiæ præcedente vexillo, cum triumphalibus hymnis ad terram repromiſſionis aſcendat.] Quæ ferè omnia iàm pridem ad Nicolaum Secundum Pontificem, inſignem Clericalis continentiæ propugnatorem, & defenſorem ſcripſiſſe, ſupra iàm vidimus.

Opuſc. 17. de cælib. Sacerd. vitæ lib. 1.

17. Ita PETRVS (inquit Baronius) modò ab Eremo vt alter Ioannes Baptiſta vox clamantis in deſerto, modò alter Stephanus in Concilijs, vt tuba Dei vbique clangore perſonans, vbique perſtrepens, intonans, atque reſonans, pios excitauit ad pugnam, reprobos timore concutiens, pauore deijciens; vel manus dare, & colla ſubijcere Eccleſiaſticæ diſciplinæ coegit, vel in fugam adegit, atque in abditiſſima quæque loca impudicitiæ thoros fecit abſcondere, vt iàm non eſſet, qui auderet conſcia luce peccare, neque vltra, vt anteà, peccata defendere, & vt Sodoma prædicare. Sic igitur in ſuas domos eiuſmodi ſtercora ſuo putore Eccleſiam corrumpentia, & turpitudine conſpurcantia immiſſa ſunt verbi Dei verriculo, vbi ampliùs non viſenda maneant in perpetuum igni inextinguibili conſumenda.]

Baron. ann. 1065.

Bar. ann. 1065.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XI.

Ad Eremum reuertitur, & Agnetem Auguſtam litteris ſolatur.

1. EXpleto autem Romano Concilio PETRVS Noſter DAMIANI reuerſus eſt in Eremum, vt aliquantula requie in Redemptoris ſui amplexibus reſpiraret. Remanſit verò Romæ ſola Agnes, & nullus ſecum, nàm & ab Vrbe receſſit Rainaldus Comanus Epiſcopus, ſimulque chariſſima Hermiſinda cognata eius; vndè ſedens ſola Domina gentium, Princeps Prouinciarum, cum reſpiceret ad dexteram, & videret non eſſe, qui cognoſceret eam; conturbatum eſt cor eius, quia non erat, qui requireret animam eius; & neceſſarij quoque eius receſſerant ab ea, & præterierant eam deſolatam, ſicut torrens, qui raptìm tranſit in conuallibus. Bar. ann. 1063.

2. Audiens igitùr PETRVS plorantem in nocte, & lacrymas eius in maxillis eius, nec eſſe, qui conſolaretur eam ex omnibus charis eius, conuerſus viuificauit eam, & conſolatus eſt eam in verbis iſtis.

3. [*Arbitror, venerabilis Domina, quoniam ex quo Dominus Rainaldus Comanæ Sedis Epiſcopus, & ſancta mulier Hermiſinda, relicta quondam germani tui, ego quoque ſeruus tuus, ad* Epiſtol. lib. 7. epiſt. 6. to. 1.

pro-

propria quique receſſimus; mens tua nunc fluctuat, & velùt omnium deſtituta ſolatio, ſolam ſe remanſiſſe deplorat. Grauat fortè longioris cenſura ſilentij, & tædium eſt colloquentium nunc deeſſe præſentiam; quos ſæpè refugiens, dùm adeſſent, remotioris anguli latibulum expetebas. Toleramus enim ſæpè quod gratis offertur; perfruimur, quod difficiliùs obtinemus: paruipendimus, quod abundat, & quod deeſſe conſpicimus, inbiantèr optamus. Verùm pia mens tua, quæ Diuini Amoris igne ſuccendi votis omnibus æſtuat; nequaquam ex humanæ ſocietatis abſentia contabeſcat: immò quantò ſibi terrena ſolatia deeſſe conſiderat, tantò magis de propinqua Sancti Spiritus Paracleti præſentia confidat; vndè Saluator cum iturum ſe ad Patrem poſt Reſurrectionis gloriam declararet, & ex hoc Diſcipulorum animos non mediocriter perturbandos eſſe coſpiceret, præſtò ſubiunxit: Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implebit cor veſtrum; ſed ego veritatem dico Ioann. 16. *vobis: Expedit, vt ego vadam; ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Si ergò illuminator mentium Spiritus Apoſtolicis illabi pectoribus plena diffuſione non poterat, niſi Veritas ipſa, quæ eis illum miſſurus erat, corporalem ſui præſentiam ab eorum ſubtraxiſſet obtutibus; quantò magis, neceſsè eſt, vt purus homo ab hominum ſe frequentia ſubtrahat, quatenùs ſuperni muneris capax fiat?*

Digitized by Google

fiat? Sicque mens humana, dùm vacat ab aſpectibus hominum, Sancti Spiritus mereatur ingreſſum. Eorum ergò, qui tecum conuerſabantur, abſentiam, noli deputare iacturam, immò ſalutis occaſio, perfectionis lucrum, & propenſio noſtri meriti deputetur argumentum: quia dùm ſtrepitus humani ceſſat alloquij, conſtruitur in te per ſilentium templum Spiritus Sancti. Hinc eſt, quòd de Iſraelitici templi conſtructione ſacra teſtatur hiſtoria, quia malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo Domini, cum ædificaretur. Templum quippè Dei per ſilentium creſcit: quia cum mens humana per exteriora ſe 3.Reg.6. *verba non fundit, in ſublime faſtigium ſpiritualis ædificij ſtructura conſurgit: tantòque ſubcreſcens in altiora ſuſtollitur, quantò per ſilentij cuſtodiam circumcluſa, ſeſe extrinſecùs fundere prohibetur. Cuſtos enim iuſtitiæ ſilentium; & per Ieremiam dicitur: Bonum eſt præſtolari cum ſilentio* Ier. 3. *ſalutare Dei. Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua; ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Solitarius planè dùm tacet, ſe eleuat ſuper ſe; quia mens humana dum intra ſilentij clauſtra vndique circumcluditur, in ſuperiora ſublimis erigitur, ad Deum per Cęleſte deſiderium rapitur, & in amore eius per ardorem ſpiritus inflammatur; & tamquàm fons viuus, dùm per verborum circulos fluere hinc indè non ſinitur, vndis excreſcentibus in*

Digitized by Google

altiora cumulatur. Templum ergò tui temporis nunc per ſilentium creſcat, virtutum ſpiritualium tamquàm Cœleſtium lapidum in te ſtructura conſurgat, vbi ſupernus ille Sponſus, quem totis viſceribus diligis, velut in thalamo ſuo delectabiliter requieſcat.

Ibid. inferius. 4. *Conſolare igitur, venerabilis Domina, & à corde tuo omne tædium noxij mœroris expelle; Chriſtus ſit confabulator tuus, Chriſtus tibi contubernalis ſit, & conuiua: immò Chriſtus ipſe tuæ ſint deliciæ, ipſe quotidianæ refectionis epulum, ipſe tibi ſit intimæ dulcedinis alimentum. Cùm illo ſimùl lege, cum illo iugiter pſalle, cum illo denique te in pauimento oratura proſterne, cum illo te erige, cum illo te dormituram lectulus capiat, cum eodem ſopor inueniat. Eius te pudicus, atque virginalis amplexus aſtringat, vt in te quoque veraciter impleatur, quod per Iſaiam dicitur:*
Isai. 62. *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus; & tu ſpecialis dicere valeas, quod generalis Sponſa dicit in Canticis: Dilectus*
Cant. 1. *meus inter vbera mea commorabitur. Conſtat enim, quòd inter vbera pectoris cor hominis ſitum*
Ibid. v. 15. *eſt. Dilectus ergò inter vbera ſponſæ commoratur, cum à fideli qualibet anima Chriſtus toto corde diligitur. Huic ergò Sponſo dicit anima ſancta tua: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus; lectulus noſter floridus: ipſe enim ſpecioſus forma præ filijs hominum. Et quia propter eius amorem*

Rega-

Digitized by Google

Regales infulas contempſiſti, Imperiale faſtigium deſpexiſti; ipſe corona, ipſe tibi ſit purpura, ipſe totius gloriæ tibi præparet beata ornamenta, vt meritò debeas cum Propheta cantare: Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me; quaſi ſponſus decoratus corona, & quaſi ſponſa ornata monilibus ſuis. Hic in te ſocietatis humanæ conſoletur abſentiam; hic tibi vel pro omnium iuſſione, & allocutione ſufficiat; hic velut alter, ſed longè præſtantior, Helcana veraciter dicat: Non iam Anna, ſed Agnes, cur fles, & quare non comedis, & quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior ſum, quàm decem filij? Et quoniam Helcana Dei zelus dicitur; zelus Dei, dilectio Redemptoris animum tuum in omni mœroris, & anguſtiæ tædio conſoletur, vt in eum te in omni, quam pateris, aduerſitate proijcias; ſub eius vmbraculum ab humanæ perſecutionis ardore confugias, & in eius amplexibus ſecura ſuauiter requieſcas: quatenùs ipſe vel ſemetipſum quietis intimæ præbeat portum, qui pro te dignatus eſt in mundanis fluctibus inundantium procellarum perferre naufragium.]

Pſalm. 44. Iſai. 61. 1. Reg. 1.

5. Sic dilectiſſimam filiam confortauit amantiſſimus pater; nec tamen vt eam conſolaretur in omnibus anguſtijs eius illi indiſſolubiliter adhærere bonum putauit, ſicut aliqui faciunt, pædagogi potiùs, quàm patres, qui quotidiè penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas one-

Digitized by Google

ratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs, ſemper diſcentes, & numquàm ad ſcientiam veritatis peruenientes: vel alij, qui idoneos ſe putantes miniſtros noui Teſtamenti, ne aliquis intendat ex filijs Iſrael in faciem ipſarum propter gloriam, quam iactant vultus earum, (quæ certè poſtea euacuatur,) prohibent furore potiùs, quàm zelo. Sed ipſe magis præſenti alligatus Auguſtæ, quæſiuit ſolutionem;& ab illa in Eremo ſolutus, non quęſiuit Auguſtam; ſed ſemper ſpiritu innupto cogitauit, quæ tantùm Domini erant, vt & ipſa ſecum eſſet ſancta corpore, & ſpiritu. Et tamen illam tanta eſt charitate proſequutus, vt, ſicut obliuiſci non poteſt mulier infantis ſui, ne miſereatur filio vteri ſui etſi illa oblita fuiſſet, ipſe tamen non obliuiſceretur Agnetis. In manibus enim ſuis deſcripſerat eam,& muri eius coram oculis ipſius ſemper. Quapropter cum venerunt ſtructores eius deſtruentes illam, & diſſipantes illam, & multiplicari videret ærumnas eius ſuper terram, eo quòd cenſu ſubtracto, reddita pauperior eſſet, & quòd vilis habita iam nullius æſtimationis penè inter ſuos eſſe cognoſceret; his illam conſolatus eſt in humilitate ſua, vt gratulatio ſua abundaret in Chriſto Ieſu in ſe ipſo, per ſuum aduentum iterùm ad illam.

Epiſtol. lib. 7. epiſt. 7. to. 1. 6. [*Quoniam*, inquit, *à ſancta præſentia veſtra remotus ſum, & hoc tempore vobiſcum eſſe non poſſum, ſatis doleo, & quotidiana lamentatione*

tione ſuſpiro: interim tamen, antequàm ad vos redeam, hortor ſanctam patientiam veſtram, vt non ei graue ſit aſpera quælibet, ac dura perferre, & pro amore Cœleſtis Sponſi ſollicitudinem, vel etiam neceſſarij ſumptus inopiam ſuſtinere. Cùm enim Chriſtus pro te pertulerit Crucem, quid mirum, ſi tu ſuſtineas pro illius amore pauperiem? Si ille, cui Virtutes, & Dominationes famulabantur in Cœlo, ſputa, flagella, opprobria, colaphos, & alapas patiebatur in mundo, quid magnum, ſi tu, quæ terra es, Imperialis gloriæ vanam proijcias pompam, & non mundi Reginam, ſed quod longè glorioſius eſt, te præbeas æterni Regis ancillam? Recordare, quod dicit Apoſtolus: Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes; non enim habemus hìc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Felix nimirùm tale commercium, vbi datur lutum, tollitur aurum; pro tenebris lucem, pro terrenis honoribus Cœleſtis gloriæ comparamus dignitatem. Sicut enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: ruit fœnum, & flos eius decidit: qui autem ſeruat verbum Domini, manet in æternum. Iſai. 40.

7. *Porrò autem, qui hodie induitur purpura, cras includitur ſepultura. Hodie qui hominibus dominatur, cras autem à vermibus factus putredo corroditur. Hodie Regalibus inſulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadauer obuoluitur.*

tur. Hodie ſplendet coronatus in Regalis excellentiæ ſolio, cras fœtet marcidus in ſepulchro. Hæc igitur, & huiuſmodi, Domina mi, ſubtiliter penſa, & huius vitæ labores cum Ieſu nunc æquanimiter tolera; vt cum ipſe, qui iudicatus eſt, iudicaturus aduenerit, tu velut vna de ſapientibus virginibus ornatis lampadibus, ei decenter occurras, & pro temporali purpura ſtolam immortalitatis accipias; ac pro corona, quæ de terreno fuerat fabricata metallo, illud diadema ſuſcipias, quod in Cœlo factum eſt de lapide pretioſo.] Hæc PETRVS Auguſtæ.

C A P. XII.

In Alexandrum denuò inſurgit Cadalous, eique fauet Gotthefredus Hetruriæ Dux, qui demùm epiſtola PETRI DAMIANI ad Alexandri partes reuocatur.

1. ACcidit quoque eodem anno ſexageſimo tertio ſupra milleſimum, vt Cadalous, ſerpens ille callidior cunctis animantibus, quæ reptabant ſuper terram, rurſum inſidiaretur calcaneo Eccleſiæ Dei. Cum enim legatur quòd Pſeudopontifex, collecta iteratò pecunia (poſt primam, quam ſupra retulimus Romæ aggreſſionem) vix elapſo vnius anni ſpatio, ad Vrbem occultè remanere nihilominus intentauerit, & prima eadem aggreſſio euenerit

Ex Bibliothec. Canon. Lucen. Felini Epiſc. in quo inſerta eſt cumulatio F. N. Card. de Aragonia.

nerit 14. die Aprilis anni 1062., profectò poſteriorem hanc, de qua loquimur, anno 1063. eueniſſe dicendum erit. Quid verò in ipſa acciderit his verbis referunt M. SS. Codices Eccleſiæ Lucanæ in fine vitæ Comitiſſæ Mathildis editi à Franciſco
„ Maria Florentinio. [Capitaneorum fauore, & Franciſ. Maria Florentin. poſt lib. 3. vit. Mehild. Comit. Ibid. vt ſup.
„ aliorum malignantium auxilio (Cadalous) au-
„ daciam ſumpſit, & pecuniam perfidis Romano-
„ rum militibus erogauit, de nocte Leonicam ci-
„ uitatem intrauit, & Beati Petri Eccleſiam in
„ opprobrium, & confuſionem ſuam occupare
„ præſumpſit. Manè autem facto, cum in Vrbe
„ Roma rumores huiuſmodi perſonarent, & po-
„ pulus Romanus cum armis ad Eccleſiam B. Pe-
„ tri conflueret, milites, qui cum Cadulo vene-
„ rant tantus timor, & tremor inuaſit, quòd eo
„ penitùs derelicto vniuerſi fugerunt, & in cryptis,
„ & abditis locis ſe occultarunt. Tunc Cencius
„ Præfecti filius vir nequam, & peſſimus eidem
„ Cadulo aſtitit, eum in Caſtello S. Angeli reci-
„ piens, iuramentum ſibi, & defenſionem præſti-
„ tit. In quo loco per duos annos à fidelibus Pa-
„ pæ Alexandri obſeſſus, & calamitatibus multis
„ afflictus exinde egredi nullatenus potuit, donec
„ ſe ab eodem Cencio trecentis libris argenti re-
„ demit. Sic itaque vno ronzino, & vno cliente
„ contentus, inops, & æger inter oratores occultè
„ diſcedens, ad Montem Bardonis, & tandem ad
„ Burgum Berceſi non ſine multa confuſione per-
„ uenit.]

Quod

2. Quod verò mouere potuit Cadaloum ad tãtum nefas peragendum in noua Vrbis aggreſſione illud proculdubio fuit, quia inimici Alexandri, cum damnatum vidiſſent à Concilio Osborienſi Pſeudopontificem, & ideo verum Pontificem cum lætitia Romam reuerſum; in ipſum cogitauerunt ſermonem nequam, nempe eum collata pecunia, Thronum Apoſtolicum conſcendiſſe; quo vulgato agebant illud, vt alios abriperent ab Alexandro, alios mutuò inter ſed digladiantes, dùm alij defenderent, impugnarent alij, conſtituerent; hac arte operantes, vt magis magiſque ſuas partes Schiſmatici roborarent, nondùm priori conflata in Alexandrum inuidia, ob electionem ſuam abſque Regis participatione, reſtincta.

3. Romani etiàm, quorum ſuperba colla calcauerant Nicolaus, & ipſe Alexander (vt narrat Noſter PETRVS) [*Nolunt Alexandrum, ſed ærarium; hunc ſcilicet, quem Apoſtolus reprobat; non eum, qui per Apoſtolorum, Apoſtolicorumque Pontificum tramitem currat. Nolunt, inquam, Alexandrum Euangelicam Eccleſiaſticæ menſæ pecuniam proponentem, ſed ſordentis auaritiæ potiùs æra librantem: Petri reſpuunt Succeſſorem, & alumnum Simonis amplectuntur pro venalitate ſpiritus pecuniam offerentem.*]

Epiſtol. lib. 2. epiſt. 6. tom. 1.

4. Nec tantùm Romani, ſed ipſe Gotthefredus Tuſciæ Dux, qui ſtetit pro animabus iuſtis, & pro verò Pontifice, eumque ab illo priori

incur-

incurſu Cadaloi in Vrbem facto conſeruauit, ne caderet in manu hoſtili, mox Alexandri partes deſeruit, & ſe Cadaloo adiunxit; vndè iuremeritò timor inualuit, ne mundus totus poſt illum abiret.

5. Quoniã verò non credimus omni verbo; ideo hoc fermè tempore receſſiſſe ab Alexandro Gotthefredum potius, quàm in prima Vrbis agreſſione, vt cenſet Florentinius, exiſtimamus: nequaquam enim ſcribere potuit Beatiſſimus PETRVS ad Gotthefredum ipſum illicò poſt illam; vt ipſe dicit: [*Et quidem aduerſus Antichriſtum hunc viriliter dimicaſti, eiuſque conatibus ſacrilegis, atque peruerſis cum sereniſſima, atque clariſſima vxore tua frequentiùs obſtitiſti; nunc autem neſcio quis ſanctæ religionis veſtræ conſtantiam ab hac intentione compeſcuit*] & quia aliquid aliud nondum comiſſum fuerat prælium Gotthefredum inter, & Cadaloum, in quo huius ſacrilegis, atque peruerſis conatibus obſtitiſſet; & quia, ſi ex induſtria in primo certamine fugere Pſeudopontificem permiſiſſet, aliter PETRVS DAMIANI abſque dubio locutus fuiſſet. Vt enim conuerteretur à via mala, quam elegerat in primo cum Cadaloo conflictu hortatus fuiſſet, abſque eo quod illum de benè ante peracto contra ipſum prælio commendare poſſet; quia cum vnum, & idem fuerit prælium, in quo & expulſus fuit ab Vrbe Cadalous, & fugere permiſſus eſt (vt ſupponitur,) in hoc facinore Gotthefredi

Ibid. Epiſtol. lib. 6. epiſt. 10.

abſorpta proculdubio fuiſſet omnis gloria victoriæ ipſius in expulſione Pſeudoontificis adeptæ.

6. Sed præter quod ex ipſa epiſtola PETRI mox apponenda, in qua nihil prorſus de fuga Cadaloi ex induſtria Gotthefredi dicitur, ſed tantum quod illius communionem receperat, conijci poſſe cognoſcitur inſuper mutatum fuiſſe in diuerſa ab Alexandro os Gotthefredi poſt primam Vrbis agreſſionem, ex illo, quòd Pontifici vires contra Pſeudopontificē rurſus Romam aggredientem nequaquam præbuit; nec obſtat quod in contrarium recentiores adſtruere conantur ex verbis Lamberti qui ſcripſit: [Anſel- „ mus, qui & Alexander, virtute militum, & „ fauore Principum Sedem obtinuit;] nam cum hæc ſint verba generalia, & complectantur non tantùm quæ hoc potiſſimùm tempore Alexandro acciderunt, verum quidem docent, quia fauore Principum Sedem Alexander obtinuit, & præcipuè Gotthefredi; ſed ex hoc tamen non conſequitur in iſta ſecunda Vrbis inuaſione Gotthefredum Alexandro opitulatum fuiſſe.

7. In hac verò impletum eſt certè in primis de Beatiſſimo PETRO, quod ab ipſo iàm ſcriptum fuerat, & de ſeipſo, & de Hildebrando, & Stephano, pariter S.R.E. Cardinalibus: [*Cadalous* (ſcilicet) *planè tenebrarum incitauit anguſtias, quas iuxta ſui nominis etymologiam, Alexander Papa leuauit; quia dùm ille ſulphureo, vt ita loquar, Æthnææ cupidinis fumo lumen Apoſtolicæ Sedis eſt* ag-

Epiſtol. lib. 1. epiſt. 6.

aggreſſus extinguere, omnes nos tenebrarum anguſtias compulit tolerare. Quamobrem non modo Dominus noſter Papa, ſed omnes nos in conſpectu Cadaloi dici poſſumus Alexandri; quia dùm ille tenebrarum nobis imponit anguſtias, cuius ſumus participes in labore, meritò cenſemur & nomine. &c.] Et reuera PETRVS Noſter, vt Alexander alius Philippi Macedo, percuſſit Cadaloum, vt ille Darium Regem Perſarum, & Medorum, & conſtituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ gladio verbi ſancti ſui, & accepit ſpolia multitudinis gentium, & ſiluit terra in conſpectu eius.

8. Vt enim audiuit Gotthefredum Ducem cum Cadaloo Pſeudopontifice communicaſſe; arguit ipſum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio, ſcribens contra illum amaritudines pro peccato quod patrauerat; hoc pacto.

9. [*Noua nuper, & inaudita de vobis apud nos fama percrebuit, quæ nobis non parui mœroris triſtitiam intulit, viſcera tremefacta concuſſit, os noſtrum à ſolita gloriæ veſtræ laude compeſcuit, & tabefactum cor, velut acutiſſimo doloris intimi pugione confodit. Vos ſcilicet communicaſſe cum Cadaloo, quem, vt liquidò noſtis, iàm dudùm vniuerſalis Eccleſia tamquàm lethale virus euomuit; & vt reuera putridum membrum de proprijs viſceribus amputauit; in gebennalis barathri profunda demerſit, & quaſi ſtercus hominum intra la-* Epiſtol. lib. 7. epiſt. 10. to. 1.

Digitized by Google

trinæ cuniculos obtutum, ne naribus hominum de cætero fœteat, ſpiramen obſtruxit. Huic itaque tali viro veſtram communicaſſe prudentiam, foſſores in agro, mercatores in foro, milites vociferantur in publico. Heù proh dolor! vir eminentiſſime, vbi tùnc erant vberes illi lacrymarum riui, quos velùt torrentem de feruentiſſima pÿ pectoris conſueueras charitate profundere, & Sancti Spiritus amore ſuccenſus, non ceſſabas madefacta fletibus ora rigare? Huccine redacti ſunt eleemoſynarum fructus, quibus vtique per continuum Quadrageſimalis ieiunÿ curſum liberalis pÿſſimæ clementiæ tuæ largitas, non modò indigentium recreauit inopiam; ſed etiam ad noſtri Redemptoris exemplnm, & pedes lauit, & oſcula defigere non erubuit? Vndè timendum vobis eſt, quod per Aggæum de illo viro dicitur: Qui habuit pecuniam, & miſit eam in ſacculum pertuſum. In pertuſum quippè ſacculum quidquid per oris aditum mittitur, per irruptionis exitum neceſſe eſt elabatur. Et quid prodeſt, ſi primò per conſtipationem pecuniæ crumena turgeſcat, & per iacturam incuriæ vacuefacta mox folleat? Et quidem aduersùs Antichriſtum hunc, viriliter dimicaſti, eiuſque conatibus ſacrilegis, atque peruerſis cum ſereniſſima atque clariſſima vxore tua frequentiùs obſtitiſti; nunc autē neſcio quis ſanctæ Religionis veſtræ conſtantiam ab hac intentione compeſcuit, tantumque virtutis, & ſeueritntis honeſtæ rigorem, peſtifera ſug-

Agg. 1.

ſuggerendo, molliuit, & quaſi cœptum opus obruere peruaſit. Vndè & Salomon ait: Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Quia videlicèt qui cœpta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentiæ manum 4. Reg. 3. *deſtruentis imitatur.*

10. *Dic mihi, vir magnifice, ſi quis honeſtis, ac pudiciſſimis thalamis tuis inferre moliretur iniuriam, quis neceſſarius tuus, quis domeſticus auderet illi familiaritate coniungi? Quis illorum præſumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergò homo cum aduerſario Domini ſui concordiæ fœdus inire non audet, quo pacto ſublimitas tua illi communicare non timuit, qui ſponſam Christi, Sanctam ſcilicet Eccleſiam, quaſi per obſcœni lenociniȷ̃ ſtuprum violare præſumpſit? Dei quippè hoſtis eſſe conuincitur, qui eius inimico in amicitia ſociatur. Hinc eſt, quod cum Ioram Rex Iſrael vir vtique funeſtus, & impius Eliſæum conſuleret,* Prouerb. 18. *dicens: Quare congregauit Dominus tres Reges hos, vt traderet eos in manu Moab? Reſpondit Eliſæus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conſpectu ſto, quod ſi non vultum Ioſaphat Regis Iuda erubeſcerem, nec attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. Hinc eſt, quod eidem Ioſaphat, qui auxiliabatur Acab, Iehu filius Humani, Propheta dixiſſe legitur: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, idcircò iram Domini mereberis; ſed bona opera inuenta ſunt in*

te;

Digitized by Google

te; eo quòd abſtuleris lucos de terra Iuda, & præ-
2. Paralip. 19. *paraueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrum tuorum. Hinc eſt, quod Acab, quia Benadab Regem Syriæ, quem bello contriuerat abire permiſit illæſum, ex ore Prophetæ, quod di-*
3. Regum 20. *gnum erat audiuit: Quia dimiſiſti, inquit, virum dignum morte de manu tua; erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo ſuo. Hinc eſt, quod Saul Regnum perdidit, quoniam impiè pius in Agag Regem Amalech, ſicut dignum*
1. Regum 15. *fuerat, non vindicauit. Quod ſi ſuam nùnc in te Deus Omnipotens expoſtularet iniuriam, & hanc tibi dignam proponeret retributione querelam: ego te, inquiens, præ cunctis Regni tui Principibus extuli: ego per cunctos Romani fines Imperij inſignem, atque conſpicuum conſtitui: ego tibi in peregrinæ terræ partibus multò plures, quàm de paterno iure ſucceſſiuas diuitias contuli; nullumque te, præter Regalis Imperij Principatum, non dicam præcedere, ſed ne vel æquiparare permiſi. Quod ſi hæc pauca ſunt, adde quod & acuti cordis ingenium, & facundiam ad loquendum, & vires ad bellandum tradidi, ac rigida multorum hoſtium pedibus tuis colla ſubſtraui. Ego tibi hæc omnia cum multis aliarum virtutum dotibus contuli; & tu aduerſarium meum à me proiectum, à membris meis prorſus abſciſſum, communi Sacerdotum meorum ſententia condemnatum, in communionem ſuſcipere decreuiſti? Si hæc, inquam,*
tibi

Digitized by Google

tibi Deus per ſe metipſum, vir inſignis, opponeret, quid excuſationis obtenderet, quod tergiuerſationis aufugium prudentiæ tuæ ſubtilitas inueniret? Hæc, & his ſimilia, quæ tibi poſſent obijci, vir inſignis, atque ſublimis, attende; reatus admiſſi piaculum dignæ pœnitentiæ fletibus ablue, lethalis amicitiæ fœdus abrumpe, te deliquiſſe palam omnibus confitere, & in gratiam Sedis Apoſtolicæ cuius nobilis, & præclarus es filius, ſub celeritate reuertere; quatenùs qui, quod à membris diaboli laudabatur, explodis, & ipſe per lamenta pœnitentiæ ſpontè corrigeris, ſimul cum Rege Dauid non modò veniam à Deo, ſed & gratiam conſequaris. Parcat ori meo ſublimitas tua, vir magnifice, necnon aduerſum te, ſed pro ſe locutum eſſe conijciat; & quod à me dictum eſt, non liuoris, vel odij fomitem, ſed medicinalis curæ potiùs deputet vſtionem.] Hæc PETRVS ad Gotthefredum; [nec quidem fruſtrà (ait Baronius) nàm „ totis iſte niſibus procurauit, vt fieret Synodus Ge- „ neralis, cui & ſuam Ciuitatem Mantuam præpa- „ rauit.] vt infra.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Alia PETRI DAMIANI ad Henricum Regem epiſtola, & quæ in ea diuinitùs prædixit.

1. DVm igitur vaſtarent filios Ammon, nempè Schiſmaticos, Alexandri fideles, & per biennium, ſcilicet ab anno 1063. obſiderent Rabba, videlicet in Arce Sancti Angeli ipſum impium Cadaloum; oculi Pontificis ſemper ad Dominum fuerunt, vt euelleret de laqueo pedes eius. Erat enim cor ipſius confidens in Domino, quòd tandem hominem facientem iniuſtitias hoc pacto ad nihilum deducere in conſpectu ſuo decreuiſſet. Sperabat vigilaſſe iugum iniquitatum eius: in manu eius conuolutas fuiſſe, & impoſitas collo ipſius: infirmatam eſſe virtutem illius, & dediſſe eum Dominum in manu, de qua ſurgere non poſſet, vt colligitur ex datis ab eodem Alexandro ad Geruaſium Archiepiſcopum Rhemenſem epiſtolis, in quibus hæc profert.

Epiſtol. Alex. PP ad Geruaſ. Archiep. Rhemen. Epiſt. 6.

„ 2. Viſis fraternitatis tuæ litteris, euidenter
„ intelleximus eam Matri ſuæ S. R. E. ſinceram
„ compaſſionem exhibere, ipſamque ſi facultas
„ daretur, præſentia corporis velle viſitare. Et
„ quia ſollicitudinem tuam eiuſdem proſperitate
„ lætari, quemadmodum de infortunio contri-
ſtari

Digitized by Google

„ ſtari non dubitamus; annunciamus tibi, Diui-
„ na ſuffragante clementia, Cadaloi præſumptio-
„ nem extollentem ſe aduersùs Apoſtolicam Se-
„ dem, tantò amplius ad maiorem ſui ignomi-
„ niam deueniſſe, quantò ipſe ſperauerat altioris
„ ſuperbiæ culmen aſcendiſſe. Siquidem proprij
„ nominis etymologiam euidenter intelligens, ad
„ reparandam pecuniam in periculum capitis ſui
„ à fautoribus ſuis diſtributam, cuiuſdam turris
„ præſidio gemebundus ſeruatur. Vnde per mi-
„ ſericordiam Dei ſperamus nullo modo poſſe
„ euadere, donec quidquid contra Sanctum Pe-
„ trum nequitia ſua præſumpſit, ſatisfecerit digna
„ emendatione &c.]

3. Nihilominus, vt diximus, licet Alexander ædificaſſet in gyro eius, & per biennium circumdediſſet illum felle, & labore circumædificaſſet aduersùs eum, vt non egrederetur, aggrauaret compedem eius: data pecunia redemit ſe à perſequentibus ſe, & fuit quaſi damula fugiens, & quaſi ouis. At quod deterius eſt, nec tanta, quam pertulerat vexatio, poſtmodum intellectum dedit ſceleſti Pſeudopontificis auditui, ſed rurſus poſuit tentoria iniquitatis, vt ibi requieſcerent beſtiæ, & repleta eſt domus eius draconibus, & habitauerunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltauerunt ibi, & reſponderunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes malorum, & incontinentiſſimorum Longobardiæ Epiſcoporum, & Clericorum in delubris voluptatis.

Digitized by Google

4. Vt hæc igitur audiuit PETRVS, qui eodem tempore, quo ſolutus eſt Satan Cadaloi de carcere ſuo, forſitan Romæ erat, vt intereſſet Concilijs ipſo anno 1065. (ſicut erit ſuo loco dicendum) congregatis: maledixit terræ Meroz, quaſi Angelus Domini: maledixit habitatoribus eius, quia non venerunt in auxilium Domini, in adiutorium fortiſſimorum eius, vt tandem tantam iniquitatem delerent à facie terræ: & ſurrexit, ſurrexit, & locutus eſt canticum; ſurrexit Barac, & vt apprehenderet captiuos ſuos fideles Eccleſiæ nouus filius Abinoem, ad Regem Henricum hi fuerunt ſermones eius: vt diſceret ſapientiam, & non excideret: & ne vlteriùs tunica inconſutilis Eccleſiæ Dei deſuper contexta per totum à Schiſmaticis ſcinderetur, ſed in generali Concilio diſcuteretur tandem de illa cuius eſſet: vt ſumeret arma, & ſcutum, & exurgeret in adiutorium illi, & à Conſiliarijs ſeruaret animam ſuam: vt auertente ab impijs faciem ſuam, turbarentur, & in puluerem ſuam reuerterentur, & renouaretur facies terræ. Intonuit autem libertate Sacerdotali, & verborum ſuorum miſit ſagittas in cor Regis, & conturbauit eum, & gauiſus eſt, non quia contriſtauit, ſed quia contriſtauit eum ad pœnitentiam. Hæc igitur Henrico ſcripſit.

5. [*Subditi quique timent Regem, Rex neceſſe eſt timeat Conditorem, ſed cum Scriptura dicat: Cui plus committitur, plus requiritur: etiam*

Epiſtol. lib. 7. epiſt. 3 to. 1.

Luc. 12.

in

in hoc expedit Regem propenſiùs formidare, quod illi, quem cordis occulta non fallunt, cogitur de pluribus rationem reddere. Cum igitur Rex in iudicio diſcutiat hominem, Deus Regem; dignum ne eſt vt puluis timeat puluerem, & idem puluis in Rege Diuinam deſpiciat Maieſtatem? In diebus tuis, ò Rex, obortum eſt tale periculum, quod omnium penè tranſcendit nequitias ſæculorum: Apoſtolica nimirum Sedes per hæreſiarcham Parmenſis Eccleſiæ ſcinditur, Religio Chriſtiana confunditur, Apoſtolorum labor euertitur, & vniuerſalis ſplendor Eccleſiæ per tenebroſam vnius ſchiſmatici hominis concupiſcentiam obſcuratur. Quid ad hæc dices, qui Eccleſiaſticæ defenſionis officio fungeris? Qui in paterni, vel auiti ſceptri iura ſuccedis? An plenæ fortè robur ætatis adhùc tibi deeſſe 4. Reg. 12. *conquereris? Sed ecce Ioas Rex Iuda tener adhùc de ſartis rectis templi celeritèr inſtaurandis cum Sacerdotibus diſputat: eos quoque collatam à populo vetat retinere pecuniam; totamque artificibus operum iudicat exhibendam. Dauid vix dùm adoleſcentiæ limen ingrediens, aduersùs Goliath non cum gladio, ſed cum lapillis, quaſi pueriliter dimicat, ſed ei caput tamquam vir fortis ictu pugionis obtruncat.* 1. Reg. 17. *Adoleſcentulus adhùc Ioſias* 4. Reg. 23. *omnia vaſa Baal de templo Domini cum Sacerdotibus proijcit, & in conualle Cedron, flamma vorante, ſuccendit. Illi igitur honorabant templum, in quo ſanguis brutorum animalium fundebatur; tu*

tu non ſuccurris Eccleſiæ, in qua pro ſalute mundi Chriſti Corpus offertur? Nam vt ad Gentilium quoque recurramus hiſtoriam, Hannibal ille, qui Carthaginenſium Dux factus eſt, cum adhuc nouē eſſet annorum Amilcari patri iurauit ad Aras, quia cum primitus poſſet, aduersùs Romanos accerrimè dimicaret. Imbelles pueri bella iam ſpirant pro terrenæ vnius Ciuitatis honore, & tu te non excitas ad procinctum pro tuenda vniuerſalis Eccleſiæ libertate?

6. *Quidam præterea Conſiliarij tui, videlicet aulici miniſterij diſpenſatores, vt fœda per populum vulgatur infamia, de perſecutione Romanæ gratulantur Eccleſiæ, vtrique ſcilicet parti fauentes, blandeque canentes; vt modò ſe venerabilis Papæ fautores per aſſentationis lenocinium aſſerant, modò primogenito Satanæ falſi ſucceſſus læta promittant. Quod tamen de quibuſdam ſanctis viris, qui tuis conſueuere intereſſe conſilijs, nefas eſt credi. Planè quiſquis Sanctam diuidere molitur Eccleſiam, timendum ſibi eſt, ne ſecundùm Euangelicam ſententiam & ipſe diuidatur:* Luc. 12. *Veniet (inquit) Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Geneſ. 10. *Porrò de Phaleg filio Heber ſcriptum eſt, quia in diebus eius diuiſa eſt terra; de te quoque cauendum eſt, ne dicatur, quia in diebus tuis diuiſa eſt Eccleſia. Scribantur annales, texatur hiſtoria, quæ dicat, quia*

Ner-

Digitized by Google

Nerua clementiſſimus Imperator pacificauit Eccleſiam, Conſtantinus confirmauit, Theodoſius exaltauit, & cum peruentum fuerit ad te, glorioſum ne tibi eſt ſi dicatur, Henricus diuiſit? Abſit hoc à te, vt hanc legat hiſtoriam poſteritas ventura de te. Noli eſſe ergo Phaleg, qui coniuncta diuidas, ſed eſto Chriſti diſcipulus, qui diuiſa coniungas. Ii verò, qui ad diuiſionem Apoſtolicæ Sedis Num. 16.
diabolico ſuccenduntur inſtinctu, Dathan, & Abiron, atque Chore ad memoriam reuocent, & ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam ſe, qui non diſſimilia ſectantur, expectat. Illi ſanè ſchiſma fecerant Synagogæ, iſti diuiſionem machinantur Eccleſiæ. Quamobrem ſicut illos vtique viuentes terra deglutijt; ſic iſti per ſchiſmaticæ nequitiæ meritum prudentes, & ſcientes merguntur in tartarum. Ne glorientur qui manifeſtè Romanę Eccleſiæ ſchiſma non faciunt, ſed tamen annuendo, & negligendo ſcindentibus non reſiſtunt: quia Ioann. 14.
ſicut non ſolùm ille, qui dixit: In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Cœli exaltabo ſolium meum; ſed & omnes fautores eius repentè ſunt è Cœlo proiecti; ita non modò Chore, ſed & complices eius, ducenti videlicet quinquaginta viri Cœleſtis ignis incendio ſunt deuorati. Vndè cauendum eſt, ne malitia ſubditorum redundet in Regem, etſi non delinquentem, non tamen pro viribus prohibentem. Nàm Gregoriana ſententia eſt: Facti culpam habet qui quod poteſt, negligit emendare. Cauendum

Digitized by Google

dum eſt, inquam, ò Rex, ne dùm tu pateris diuidi
4. Reg. 15. *Sacerdotium, tuum quoque (quod abſit) diuidatur Imperium. Nam ſicut ſacra teſtatur hiſtoria, mox vt Saul apprehendit ſummitatem pallij Samuelis, & ſcidit, protinùs illi Samuel: Sic, inquit, ſcidit Dominus Regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porrò autem ſicut pallium illud veſtis erat Samuelis, ſic & Sancta Eccleſia veſtis eſt vtique Redemptoris. Cui per Prophetam dicitur: Confeſſionem, & decorem induiſti. Confeſſionem quippè Dominus induit, cum ſibi peccatores aſſociat pœnitendo ſanatos: decorem verò, cum ſibimet clementer agglutinat in-*
Pſalm. 103. *nocentes nitore iuſtitiæ ſpecioſos. Pallium igitur Samuelis Saul abrupit, & Regnum perdidit; Chriſti ſcinditur veſtimentum, & licet non ſcindentis, tamen ſcindere permittentis ſtabit Imperium? Inconſutilem veſtem Ieſu miles Gentilis metuit ſcindere; & Chriſtiani non verentur Eccleſiam per errorem ſchiſmaticum ſeparare? Cum ergo veſtis Chriſti Sancta dicatur Eccleſia, ſciſſio veſtis diuiſionem minatur Regiæ poteſtatis. Hinc eſt fortè, quod vrbes, oppida, ſiue Prouinciæ huius Regni ab exteris quotidiè cernimus nationibus vſurpari.*

Daniel, 5. 7. *Balthaſſar nempè, quia vaſa Domini fœdanda labijs Gentilium protulit; mox ex ore Danielis audiuit: Diuiſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis. Heli Sacerdotij dignitate*

Digitized by Google

tate detruditur, dum non intentat filijs verbera, ſed blanditur; vtcumque tamen corripuit illos, ſed lenitate patris, non auſteritate Pontificis, atque idcircò ceruicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer indulſit. Achias Propheta pallium ſuum in duodecim partes ſcidit, & dixit ad Ieroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras; hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus. 3. Reg. 18. *Diuiſio ergò veſtis ſciſſuram Regalis ſignificat ditionis. Quod quia nequaquam Dominus in diebus Salomonis impleuit, ſed in poſteris eius hæc ſententia viguit; de te quoque pium eſt credere, quod tibi, qui innocens es, Regnum integrum permanebit: poſt te verò ſubiectorum tuorum meritis, niſi fortè ſe corrigant, transferretur, & concedet in exteros. Sicut enim per Danielem dicitur: Dominatur excelſus ſuper Regnum hominum, & cuicumque voluerit dat illud.* Daniel. 4. *Nàm & Aſſyriorum Regnum, & Lacedæmonum, aliarumque gentium per definita temporum ſpatia ſe tenuerunt, nec diutiùs præfixit diuturnitatis terminum, ſicut eorum teſtantur annales, excedere potuerunt. Huic etiam Italico Regno aliquandò dominati ſunt Græci, aliquando Galli, plerumque Latini.*

8. *Tu quæsò, glorioſe Rex, à prauis Conſiliarijs, tamquam à venenatis ſerpentium ſibilis aures obtura, in virile te robur per ardorem ſpiritus exci-*

Digitized by Google

excita, collapſæ matri tuæ Romanæ Eccleſiæ manum porrige, & tamquam Archangelus Raphael à Sara filia Raguel dæmonium, à quo viduatur, expelle; vt ſicut Octauianus Auguſtus in hoc gloriatur elogio: Vrbem (inquiens) lateritiam reperi, relinquo marmoream; ſic & tu multò gloriosiùs, multoque nobiliùs dicere valeas: Romanam Eccleſiam iacentem quidem puer inueni, ſed antequàm plenè pubeſcerem, auctore Deo, in ſtatum priſtinum reuocaui. Vt de te quoque, ſicùt de illo, celebri quandoque per populum deuotione dicatur: Vtinam aut non naſceretur, aut non moreretur; immò vt de ſacris paginis adhibeamus exemplum, illud impleatur in te, quod Dauid ſibi Deum Iſrael dixiſſe commemorat: Sicut lux auroræ, oriente Sole, mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuijs germinat herba de terra; ſic cum eodem Dauid non immeritò valeas & ipſe cantare: Cuncta ſalus mea, & omnis voluntas, nec eſt quidquam ex eo, quod non germinet.

Tob. 8.

2. Reg. 23.

9. *Vtraque prætereà dignitas, & Regalis ſcilicet, & Sacerdotalis, ſicùt principaliter in Chriſto ſibimet inuicem ſingularis Sacramenti veritate connectitur, ſic in Chriſtiano populo mutuo quodam ſibi fœdere copulatur. Vtraque videlicet alternæ inuicem vtilitatis eſt indigna, dùm & Sacerdotium Regni tuitione protegitur, & Regnum Sacerdotalis officij ſanctitate fulcitur. Rex enim præcingitur gladio, vt hoſtibus Eccleſiæ munitus*

occur-

Digitized by Google

occurrat: Sacerdos orationum vacat excubijs, vt Regi cum populo Deum placabilem reddat. Ille ſub lance iuſtitiæ negotia debet terrena dirimere; iſte fluenta Cœleſtis eloquij debet ſitientibus propinare. Ille conſtitutus eſt, vt nocentes, atque ſceleſtos legalium ſanctionum cenſura coerceat; iſte ad hoc ordinatus eſt, vt per claues Eccleſiæ, quas accepit, alios zelo Canonici vigoris aſtringat, alios per manſuetudinem Eccleſiaſticæ pietatis abſoluat. Sed audi Paulum de Regibus diſputantem, & rectam Regalis officij lineam iacientem; nàm poſt multa ſic ait: Dei enim Miniſter eſt tibi in bono: ſi autèm malum feceris, time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. Si ergò tu es Miniſter Dei, quare non defendis Eccleſiam Dei? Cur armaris, ſi non prœliaris, cur accingeris, ſi congredientibus non reſiſtis? Qui ſub æſtiuo meridiatur vmbraculo ſecurus poterit diſputare de bello? Porrò veraciter ſine cauſa gladium portas, niſi reſiſtentium Deo colla transfodias, nec vindex es in iram ei, qui malum agit, dùm in adulterantes Eccleſiam non conſurgis; & cum Simeone, & Leui violatæ ſororis opprobrium à domo Iſrael non repellis. Vertatur ergò docta manus ad capulum, & cùm Dauid in Amalechitas impetu fulgoris irrue: & ſicùt ille latrunculos ſubegit; ſic & tu hoſtes Eccleſiæ, vibrato iuſtitiæ mucrone, transfige. Sentiat, ſentiat veterrimus ille draco,

Rom. 13. Gen. 34. 1. Reg. 30.

Cadalous videlicet perturbator Eccleſiæ, euerſor Apoſtolicæ diſciplinæ, inimicus ſalutis humanæ: ſentiat, inquam, radix peccati, præco diaboli, Apoſtolus Antichriſti; & quid plura dicam? Sagitta producta de pharetra Satanæ, virga Aſſur, filius Belial, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: vorago libidinis, naufragium caſtitatis, Chriſtianitatis opprobrium, ignominia Sacerdotum, genimen viperarum, fœtor orbis, ſpurcitia ſæculi, dedecus vniuerſitatis; (attexantur adhuc epitheta Cadaloi, catalogus videlicet nominis tenebroſi) ſerpens lubricus, coluber tortuoſus, ſtercus hominum, latrina criminum, ſentina virtutum, abominatio Cœli, proiectio Paradiſi, pabulum Tartari, ſtipula ignis æterni: ſentiat ille motum Regiæ Maieſtatis, & terrenum metuat Principem, qui audacter prouocat in bella Cœleſtem; & quia dicit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus; experiatur ineſſe Regio pectori Chriſtianæ fidei pietatem pro Diuinæ militiæ caſtris non eneruiter confligentem. Regnum ergò tuum arma corripiat, vt cum Melchiſedech ſtet Sacerdotium: Sacerdotium oret, vt auitum Dauid exaltetur imperium. Nàm ad hoc pro te vniuerſalis orat Eccleſia, vt & labor tuus ei quietem pariat, & orationibus illius gloria tibi triumphalis accreſcat; ſicùt & Moyſes orabat; eoque ſimul orante, vincebat: ſi verò remitteret manus Moyſes, ſuperabat

Digitized by Google

bat protinùs Amalec. Hinc & Apoſtolus ait: Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti. Quare hoc? Audi quod ſequitur: Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.

10. *Porrò quia ſplendidæ memoriæ pater eius, magnificus Imperator ſublimiter exaltauit Eccleſiam; tu quoque ſicut eius hæres Imperij, ſic etiam in Eccleſiaſticæ cautionis iura ſuccede. Igitur in Eccleſiaſtici ſtatus incolumitate ſeruanda, clariſſima ſoboles paternis reſpondeat inſtitutis: & ab arbore ſua non degerminet ramus in fructu, quam per traducem virtutis, & gratiæ decus exornat. Sed ſicut olim per illum, non amodo per te & collapſa reſurgat Eccleſia, & Eccleſiaſtica, quæ confuſa eſt, refloreat diſciplina. Duriùs fortè locutus ſum Regi, præſertim cum Salomon dicat: In cogitatione tuà Regi ne detrabas, & in ſecreto cubilis tui ne maledixeris diuiti, quia auis Cœli portabit vocem tuam: & qui habet pennas annunciabit ſententiam.* Eccleſ. 10. *Et reuerà qui peculatus crimen incurrit, in diacopoſin cogitur infercire quod tulit; ſed tùnc deferendum eſt Regi, cum Rex obtemperat Conditori: alioquin cum Rex Diuinis reſultat imperijs, ipſe quoque iure contemnitur à ſubiectis. Si quis enim proprius, non Dei Rex eſſe conuincitur, qui in die pugnæ non ſtat pro caſtris*

Digitized by Google

Eccleſiæ, & ſic proprijs vtilitatibus ſpecialiter metuit, vt ruinæ periclitantis Eccleſiæ non ſuccurrat.

II. *Sed & cùm per Iſaiam Dominus dicat:* Iſai. *Venite, & arguite me; cùr homo ab homine deſpiciat argui, quem conſtat eadem mortalitatis lege conſtringi? Et cum lege forenſi cautum ſit, vt qui in peremptores parentum non vlciſcitur, in ius hereditariæ ſucceſſionis nullatenùs admittatur; ego qui in homicidam matris meæ, Romanæ ſcilicet Eccleſiæ, vlciſci nequeo, vltores ſaltem impellere non tentabo? Deputa ergò me, ò Rex, fideliter conſulentem non procaciter obloquentem, vel ſi placet æſtimato me præ dolore peremptæ matris inſanum, non aduersùs excellentiam Regiæ Maieſtatis inſolenter elatum. Sed ò vtinam ego antè tribunal tuum adiudicer reus perduellionis, dùm tamèn in aduerſarios Apoſtolicæ Sedis vindices arbiter æquitatis. In ceruicis meæ iugulum ſecuris vibrata deſæuiat, tantummodò Romana Eccleſia propriæ dignitatis apicem per te ſeparata conſcendat. Porrò ſi Cadaloum citò velùt alter Conſtantinus Arrium deſtruis, & Eccleſiæ pro qua Chriſtus mortuus eſt, pacem reformare contendis; faciat te Deus in proximo de Regno Imperiale faſtigium ſcandere, & à cunctis hoſtibus tuis inſignis gloriæ titulos reportare: alioquin ſi adhùc diſſimulas, ſi mundi periclitantis errorem cum poſſis abolere, detractas, & reliqua; cobibeo ſpiritum, & conſequentia relinquo lectoribus intellectum.*]

Hac

12. Hac PETRVS Sacerdotali conſtantia teſtimonium perhibuit Eccleſiæ Dei, & quæcumque vidit locutus eſt, & corripuit pro ea Regem; parauerat enim Dominus brachium ſanctum illius in conſpectu omnium gentium, vt in vero Pontifice viderent omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri; ideò præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes iniquitatis & facti ſunt velùt mortui.

13. Nec ſilentio prætereundum eſt, quod non cecidit ex omnibus verbis eius in terram: comminatio enim illa, qua Henricum perterruit, dicens: [*Cauendum eſt, ò Rex, ne dùm tu pateris diuidi Sacerdotium, tuum quoque, quod abſit, diuidatur Imperium &c.*] abundè impleta eſt in ipſo deindè perſequente, & diuidente Eccleſiam Dei, vt Eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ; nàm licèt tunc hominis Dei conſilijs acquieuerit, & abſtulerit de medio Eccleſiæ catenam; tamen poſt hæc non eſt reuerſus de via ſua peſſima, ſed è contrario fecit de nouiſſimis populi Sacerdotes Excelſi: Nàm quicumque volebat, implebat manum eius, & fiebat Sacerdos Excelſi; & propter hanc cauſam peccauit Domus Henrici, & alliſa eſt in manu iniquitatis ſuę & Regnum eius, adhùc eo viuente, diſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum: ſiquidem ipſe filius Henrici Conradus à patre rebellauit, & Vvelphoni Duci, reliquiſque fidelibus S. Petri contra patrem cum ſuis adhæſit; & à Mediolanenſi Archiepiſcopo, & reliquis fidelibus Romanæ Ecc- Baron. ann. 1093.

cle-

cleſiæ in Regem coronatus fuit. Impius verò Henricus in quamdam munitionem ſe conferens, ibique diù abſque Regia dignitate moratus, nimioque dolore affectus, ſeipſum (vt aiunt) morti tradere voluit, ſed à ſuis præuentus ad effectum venire non potuit. Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan, vſque Berſabee, quod fidelis PETRVS Propheta fuit Domini.

CAP. XIV.

Epiſtola PETRI DAMIANI ad Annonem Archiepiſcopum Colonienſem, & quo tempore conſcripta.

Baron. ann. 1063. 1. VEnit inſuper hoc eodem tempore, vel paulò poſt Vir Dei in ſermone Domini ad Annonem Archiepiſcopum Colonienſem, nàm licèt ad ipſum epiſtola ab illo conſcripta credatur, dum anno 1602. ad Pontificiam in Gallias Legationem ſe pararet, ob ea, quæ dixit: Epiſtol. lib. 3. epiſt. 6. [*In expeditionis exercitio conſtituti, dignè non poſſumus iiſdem manibus, & ſtyli currentis articulum texere, & frænis equorum fluitantibus, vt dignum eſt, deſeruire:*] tamen, cum non exprimatur quænam fuerit expeditio iſta, hoc loquendi modo, vel proprium egreſſum è ſolitudine ad vnum è duobus Concilijs Romanis anno 1065. (vt dictum eſt, & ſuo loco infra monſtrabitur) congre-

gregatis; vel ſuum ad illam regreſſum, potius innuiſſe cenſemus, & conijci poſſe videtur ab ipſo epiſtolari contextu; nàm raptum Regis ab Annone, non vt recenter, ſed vt longè ante factum commemorat, dicens: [*Seruaſti, venerabilis Pater, relictum tuis manibus puerum, ſeruaſti Regnum, reſtituiſti pupillo paterni iuris Imperium*:] Quæ certè tùnc omnia impleta non fuerant cum PETRVS Galliam adiuit; dùm potiùs nouitate rei ab Annone factæ Henricus Rex turbatus eſſet, & omne Imperium cum eo. Et ab illis, quæ ſubijcit: [*Ad Sacerdotium quoque* (inquiens) *manus tuæ prudentiæ protinùs extendiſti, dùm & Parmenſis beſtiæ ſquamea colla Euangelici mucronis vigore præcidere, & Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem in ſuæ dignitatis elaboraſti ſolium reformare: ſed cœpto operi niſi poſtrema manus accedat, niſi adhibeantur adhùc illa, quæ reſtant, ſanctum veſtri operis ædificium minatur, vt corruat*:] rectè deſumitur non ante, ſed poſt Osborienſe Concilium iſtam conſcriptam fuiſſe epiſtolam, nam antè prædictum Concilium nil penitùs, vel Annonem, vel Henricum in Cadaloum feciſſe reperitur: ſed tantùm poſtquam Rex, & quæ ad Regnum ſpectabant, collocata fuerunt in tuto; ex Epiſcopis Germaniæ, & Italiæ illis, quos tùnc apud Regem reperiri contigit tempore Autumnali, vt prædictum Concilium (vbi vigeſima octaua Octobris depoſitus fuit Cadalous) cogeretur, Anno operam

Ibid. vt ſup.

Ibid. vt ſup.

ram dedit. Quo nimirùm tempore iam PETRVS è Gallica Legatione reuerſus fuerat.

2. Ad quod confirmandum additur, quod in ipſa epiſtola legitur, videlicet: [*Neceſſe eſt, vt veſtra prudentia totis niſibus elaboret, quatenùs generale Concilium quantocyus fiat, & pernicioſi huius erroris ſpinas, in quo miſer mundus verſatur, euellat:*] quod ad Mantuanum potius, de quo infra, quàm ad Osborienſe Concilium pertinere perſpicuum eſt, vt nimirùm, quæ in iſto cœperat Anno contra Cadaloum, conſummaret in illo; vndè operoſitatem talis epiſtolę PETRI, potius ad generale Mantuanum, quàm ad paucorum Epiſcoporum in Aula Regia exiſtentium Osborienſe Concilium, referendam eſſe liquidò patet. Epiſtola igitur hæc fuit.

Ibid. vt ſup.

3. [*In expeditionis exercitio conſtituti dignè non poſſumus eiſdem manibus, & ſtyli currentis articulum texere, & frænis equorum fluitantibus, vt dignum eſt, deſeruire: ſed licet melius ſit luculenter eloqui, quàm mutire, verumtamen cum neceſſitas imminet, melius eſt vtcumque mutire, quàm penitùs obmuteſcere. Cum nobis ad memoriam, venerabilis Pater, labor tuus, & ſtudium venit, nobilis illa fides, atque prudentia Ioiadæ Sacerdotis menti noſtræ ſubſequenter occurrit. Sicut enim ſacra, vt optimè noſti, teſtatur hiſtoria, Athalia vxor Ioram, cum Ochoziam filium ſuum, Regem videlicet Iſrael videret extin-*

Epiſtol. lib. 1. epiſt. 6. tom. 1.

2. Paralip. 22.

Digitized by Google

tinctum, cœpit in omne ſemen Regium immaniter fremere, poſteritatemque Dauid crudelis Bellona tentauit funditùs abolere. Sed inſignis ille Sacerdos Ioas filium Ochoziæ, pia, & multis laudibus efferenda fraude ſubripuit, & occultè vſque ſeptennium intrà templi ſepta ſeruauit, cui poſtmodum Regalis ſceptri iura contradidit; eumque ad præſidendum Iſraelitico populo, iuxtà proauorum ſuorum conſuetudinem, roborauit: mox verò tamquàm hoc egregio non ſufficeret Sacerdoti, confirmato Regis Imperio, ad vtilitatem Sacerdotij, ſiuè templi ſuam porrexit induſtriam, & cum præfato Rege ad ordinandam, & diſponendam Conſacerdotum ſuorum ſe contulit diſciplinam. Nam & ſacra tecta templi, vt inſtaurentur, inſtitutit, & nonnulla, quæ Sacerdotibus competebant edicta, deprompſit. Sciebat enim quoniam vtraque dignitas alternæ inuicem vtilitatis eſt indiga, dum & Sacerdotium Regni fruitione protegitur, & Regnum Sacerdotalis officij ſanctitate fulcitur. Sed quid mihi per ſacræ lectionis ſeriem currere, niſi quia in te video eiuſdem operis ſimilitudinem noſtro tempore conuenire? Seruaſti, venerabilis Pater, relictum tuis manibus puerum, firmaſti Regnum, reſtituiſti pupillo paterni iuris Imperium: ad Sacerdotium quoque manum tuæ prudentiæ protinùs extendiſti, dùm & Parmenſis beſtiæ ſquamea colla Euangelici mucronis vigore præcidere, & Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem in ſuæ

 digni-

dignitatis elaboraſti ſolium reformare; ſed cœpto operi niſi poſtrema manus accedat, niſi adhibeantur adbuc illa, quæ reſtant; ſanctum veſtri operis ædificium minatur, vt corruat. Cadalous enim ille Sancta perturbator Eccleſiæ, euerſor Apoſtolicæ diſciplinæ, inimicus ſalutis humanæ; ille, inquàm, radix peccati, præco diaboli, Apoſtolus Antichriſti, ſagitta nimirùm producta de pharetra Satanæ, virga Aſſur, filius Belial, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, velut draco teterrimus adbuc ſufflat, adbuc fœtore venenatæ pecuniæ nares hominum fœdat, fidemque multorum vento perfidiæ vacillantem nouus hæreſiarcha perturbat. Sicut enim Iouem in Dianæ gremium per aureum imbrem deſcendiſſe fabularum commenta confingunt, ſic iſte per aurum de ſuæ Ecelefiæ ſacrilega deiectione quæſitum adulterum Sedis Apoſtolicæ concubitum quærit, & tamquàm petulcus adulter ſuam explere libidinem in Romanæ Eccleſiæ violatione medullitùs inardeſcit.

Si hæc eadem Annoni, quæ ad Henricum de Cadaloo; igitùr & eodem tempore ſcripta cenſeri poſſunt.

4. *Quamobrem, venerabilis Pater, vt ſanctus ſtudij tui labor ad effectum omninò perueniat, & per caudam titionis huius, immò per vnum putridum diaboli membrum apud opinionem hominum Romana Eccleſia non vileſcat, & hac occaſione, quod abſit, Chriſtianus populus in errore permaneat, neceſſe eſt, vt veſtra pruden-*

tia

Digitized by Google

tia totis viribus elaboret, quatenùs generale Concilium quantocyus fiat, & pernicioſi huius erroris ſpinas, in quo miſer mundus verſatur, euellat. Præterea libenter ad veſtræ ſanctitatis alloquium, ſi occaſio daretur, attingerem, vt communicandum conſilium, quod abſentia prohibet, viua conſerti ſermonis verba conferrent. Sed quoniam id fortaſsè non mereor, peto, quæſo, & humiliter ſuggero, vt ſancta veſtra prudentia Cadaloicam rabiem, quæ latrare non deſinit, omninò conetur extinguere; quatenùs Chriſtiana Religio pacifica per vos valeat tranquillitate gaudere: vt dùm Regnum, ac Sacerdotium optata per vos pace perfruitur, is, qui vtriuſque dignitatis auctor eſt, pacis æternæ digna vobis præmia largiatur.] Hæc Petrus Annoni, dùm poſt fugam ab arce S. Angeli, vt dictum eſt, denuò mare Cadaloici Schiſmatis ibat, & intumeſcebat.

CAP. XV.

Ab Henrico Rege Legatus mittitur ad Alexandrum Anno Archiepiſcopus Colonienſis. Propter epiſtolam ad ipſum ſcriptam calumniam patitur PETRVS DAMIANI, & illā propulſat. Ad Mantuanum Concilium vocatur.

1. NEC fruſtra PETRVS aperuit os ſuum qui abſque ſcientia verba non „ multiplicauit: nàm emeriti Senis (inquit Ba- „ ronius) toto orbe nota ſanctitas, laudata ab „ omnibus dicendi libertas, non ad indignationem „ mouit animum Regis (vel Annonis,) ſed con- „ ciliauit ſibi potiùs reuerentiam, atque elicuit „ obedientiam; adeout Regem ipſum cum Conſi- „ liarijs ſuis excitauerit ad conſulendum quam- „ citiſſimè Eccleſiæ Romanæ, iam factione Schiſ- „ maticorum periclitanti.

Baron. ann. 1064.

„ 2. Quid igitur? Decernitur Legatio Ro- „ mam ad Alexandrum Pontificem; deligitur ad „ tantum opus, qui ſapientia cæteris, atque au- „ ctoritate præſtaret, ipſe Anno Archiepiſcopus „ Colonienſis, cuius illud in primis opera agere- „ tur, vt iura Regis in eligendo Romano Ponti- „ fice integra ſeruarentur; ſic demùm congregato

ex

Digitized by Google

„ ex Germaniæ, atque Italiæ Epiſcopis generali
„ Concilio, cauſa Schiſmatis cognoſci deberet, &
„ condemnato eo, qui eſſet tantorum malorum
„ auctor, atque defenſor, optata diù pax Eccle-
„ ſiæ redderetur; dùm quis eſſet ab omnibus co-
„ lendus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, perſpicuus
„ ab omnibus noſceretur.] Hæc Baronius.

3. Sed priuſquam videamus Annonem feſtinantem ingredi Romam, ne in hoc ipſo aliquid abſonum à veritate credatur, animaduertendum eſt, quod ex dictis cognoſcitur, non alium quàm PETRVM DAMIANI primum omnium cogitaſſe conſilium, vt ad explodendum Schiſma tandem generale Concilium cogeretur; vnde ex hoc error conuincitur eorum, qui hoc tribuunt, vel Annoni, vel alijs: nam hoc congregandæ Synodi conſilium, & Henrico, & Annoni alium non dediſſe, quàm PETRVM ex allatis ipſius epiſtolis patet; quapropter coactio Mantuani Concilij, & quæ ex illo proceſſit horrendi Schiſmatis omnimoda ſubuerſio, non alij, quàm PETRO tribuenda eſt. Franciſc. Mar. Florentin. vir. Com. Methil lib. 1.

4. Aduentum verò Annonis Romam, iuxta antiquiorem vitam ipſius apud Surium, non anno 1062., ſed tantùm circa annum 1065., vel 1066. contigiſſe aſſerimus: quod vtique concordat cum eis, quæ ſupra ſtatuimus, cum de epiſtola ageremus ad ipſum Annonem à PETRO ſcripta in expeditionis articulo, cum videlicet vel ex Eremo Apud Surium tom. 6. die 4. Decembris. Sup. cap. 13.

Ro-

Digitized by Google

Apologet. de contemp. ſæcul. ca. 29. Opuſ. 12, ca. 3.

Romam, vel Roma ad Eremum reuerſurus eſſet, poſtquam in Vrbe interfuerat vni ex duobus Concilijs, quæ contra Inceſtuoſos Alexander tenuit anno 1065., quibus ſe interfuiſſe idem PETRVS fatetur. Ex quibus conijcitur, quòd ſicut ipſe confirmauit in cogitatione Henrici, & Annonis conſilium ſuum, vt Synodalis Mantuæ Conuentus haberetur, vt diximus; ita etiam nos Regiæ Legationis Annonis ad Alexandrum potiſſimam cauſam fuiſſe Beatiſſimum Virum non immeritò firmauimus.

Bar. ann. 1064.

5. Verùm anno 1064. nequaquam præfatum Mantuanum Concilium congregatum fuiſſe conſequenter infertur. Sapientiſſimus Annalium Scriptor auctoritati Lamberti, atque Hermanni Contracti, vel potius Continuatoris illius innixus, anno 1064. Concilium idem congregatum fuiſſe aſſerit. Sed preterquamquod primus de Concilio Mantuano ſignanter non loquitur, & cuncta, quæ acciderunt Cadaloum inter, & Alexandrum, omni poſtpoſita temporum diſtinctione, ſub anno 1064. congerit; Hermanni Continuator tam ſuccinctè de Concilio ipſo loquitur, vt referens eodem anno Henricum & Goslariæ, & Coloniæ ſimul ſolemnitatem Natalis Domini celebraſſe (quæ abſque dubio, vt omnibus patet, claudicat narratio) inter iſta fabuloſa, non aliud, quàm hæc verba inſerit. [Synodus Mantuæ;] quapropter cum Scriptores hi poſthabuiſſe temporum diſtinctiones

nes

Digitized by Google

nes cognoſcantur, probabilius remanet, quod Sigebertus habet ſub anno 1067. Dicit enim: [Romæ „ duobus de Papatu contendentibus, Mantuæ „ Synodus colligitur, & mediante Annone Colo„ nienſi Archiepiſcopo, Alexander ſe iureiurando „ de Simonia expurgans in Sede Apoſtolica ſub„ rogatur; Cadelo vt Simoniacus repudiatur.] Quod vtique concordat non tantùm antiquis Actis S. Annonis apud Surium, in quibus, vt diximus, ipſius in Italiam aduentus circa annum 1066. refertur; ſed conuenit etiam cum epiſtola Alexandri ad Geruaſium Archiepiſcopum Rhemenſem, in qua dicitur, quòd quinque annorum ſpatio Cadalous vexauit Schiſmate Eccleſiam Dei. [Roma„ nam (inquit) Eccleſiam per quinquenium nunc „ callida tergiuerſatione, nunc hoſtili inuaſione „ oppreſſit.] videlicet ab anno 1062., quo primò Vrbem aggreſſus eſt, vſque ad annum 1067., quo in Mantuano generali Concilio à cunctis Patribus anathemate percuſſus fuit. Quod certè melius aſtruitur, ſi Acta ſequamur Cardinalis Aragoniæ, quæ auctoritate ſua credibilia reddidit eruditiſſimus ipſe Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Pater; nam ex his etiam colligitur, quòd Concilium Mantuanum ante annum præfatum 1067. congregatum eſſe non potuit: quia ſi poſt primam Romæ aggreſſio„ nem Cadalous, [collecta iteratò pecunia, ad Vr„ bem occultè remanere nihilominus attempta„ uit, vix elapſo vnius anni ſpatio,] cum prima aggreſ-

Sigebert. in Chron. hoc an.

Vt ſup.

Alexan. 2. in epiſt. ad Geruaſ. Concil. gene. Labbe.

aggreſſio fuerit anno 1062., ſecundam anno 1063. eueniſſe (vt alibi diximus) fatendum erit. Et ſi poſt hanc à Catholicis fautoribus Alexandri in
„ Caſtello S. Angeli [per duos annos obſeſſus eſt,
„ & calamitatibus multis afflictus exinde egredi
„ nullatenus potuit, donec ſe à Cencio trecentis li-
„ bris argenti redemit,] ergo ibi remanere coactus fuit vſque ad annum 1065. At ſi anno 1064. tribueretur Concilium Mantuanum, quo nimirum anno Cadalous hac, quam prædiximus, carcerali obſidione tenebatur; falsò ſine dubio ſcripſiſſet de illo præfatus Cardinalis Aragonius differens de conuenientibus ad idem Concilium : [Ibi enim
„ omnes Epiſcopi Lombardiæ cum ſuis Eccleſia-
„ rum Prælatis præter Cadalum, & Parmenſem
„ (ſcilicet Gibertum,) quem idem Colonienſis
„ (videlicet Anno Archiepiſcopus) adeſſe præce-
„ perat, &, remordente conſcientia, ſe abſentaue-
„ rat, pariter conuenerunt:] nam quo pacto contumaciam Cadaloi pręceptis Annonis interueniendi Concilio accuſare potuiſſet; (vel dicendum melius) quomodò Anno vocare poterat ad Concilium Cadaloum, quem tam dura obſidione ſciebat obſtrictum, & ſui iuris non eſſe? præſertim, quòd (ſi dum carcerali cuſtodiæ mancipatus tenebatur, damnatus fuiſſet) ſe iniuriam paſſum, atque iniuſtam ſuper ſe ſententiam prolatam fuiſſe ſemper aſtruere potuiſſet. Cui addas, quæ in prædictis Actis ſubſequuntur, nempe quòd poſt Mantuanum Concilium,

idem

Digitized by Google

„ [idem quoque Cadalus ex Diuino iudicio
„ poſt paucos dies peſſimam mortem incurrit ;]
nam ſi anno 1064. Mantuanum Concilium congregatum fuiſſet, & eodem tempore obſeſſus fuiſſet Cadalous in Caſtello Sancti Angeli, profectò ita obſeſſus obijſſet ; at quomodò ibidem aſtrueretur deindè, quod [ſe trecentis argenti libris redemit ?]

6. His poſitis Regiam ſancti Colonienſis Archiepiſcopi proſequamur Legationem. Adijt igitur Romam Anno, & intrauit Curiam, & cum lapſum eſſet verbum ex ore eius de epiſtola ad ſe à PETRO miſſa, nec vlterius quis auderet eum interrogare, diffamatum eſt nomen peſſimum de PETRO, quaſi ipſe diſſipaſſet melius ſuper diuitias multas nomen bonum Alexandri: quare Hildebrandus ad eum dedit litteras, quibus expoſtulauit, quænam ad Colonienſem Archiepiſcopum ab ipſo ſcripta fuiſſet epiſtola, qua aliqualiter idem Romanus Pontifex perſtringebatur. Hiſce PETRVS acceptis, licet nihil ſibi conſcius eſſet, tamen in hoc ſe iuſtificatum non eſſe cognoſcens; prouidens bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, ſequentem Hildebrando, & Alexandro reſcripſit epiſtolam; & quia rogatus fuerat ab iiſdem, vt Romam, & indè Mantuam, vbi conuentus Epiſcoporum habendus erat, ſecum proficiſceretur, à Romano quidem itinere tamquàm minùs neceſſario, & ſuæ ſenectuti nimis

Digitized by Google

incommodo ſe excuſat; Mantuanæ verò Legationis laborem, qui de re Chriſtianæ Reipublicæ eſſe videretur, omninò non recuſat; ſed vſque ad aduentum vtriuſque, qui Mantuam pergentes illàc tranſituri erant, tantæ rei deliberationem reijcit. Sic enim ſe habet.

Epiſtol. lib. 1. epiſt. 16. to. 1. 7. [*Epiſtolam, de qua me inſuggillaſtis, ad vos mitto, vt videatis, & quid in ea aduersùm vos egerim, liquidò comprobetis. Quod ſi aliam in illas partes epiſtolam miſi, vel in hac ipſa aliquid vſque ad vnam litteram, me ſciente, auctum eſt, vel imminutum, aut aliquo modo tranſmutatum, & non ad vos eſt ſimpliciter miſſa, ſicut tunc Domino Colonienſi Pontifici eſt directa; Naaman Syri me lepra perfundat, vel Barieu cæcitas oculos meę frontis obducat. Ieſum teſtor, & ſanctos* 4. Reg. 5. *Angelos eius, quia in hac ego ſatisfactione non mentior.* Act. 13. *Si pro hac itaque epiſtola mori debeo, tendo ceruicem, imprimite pugionem. De cætero ſanctum Satanam meum humiliter obſecro, vt non aduersùm me tantoperè ſæuiat, nec eius veneranda ſuperbia tam longis me verberibus atterat; ſed iam iam circa ſeruum ſuum vel ſatiata miteſcat. Liuentes quippè ſcapulæ iam deficiunt, & ſulcata tot plagis, totque terga vibicibus tumeſcentia non* Eccleſ. 28. *ſubſiſtunt: vnde vir ſapiens: Flagelli, inquit, plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuit oſſa. Age igitur, tempus eſt enim, vt ego iam...; ſed adhuc ſpiritum reprimo, labijs digitum ſuperpono,*

Digitized by Google

pono, & licèt ſeram, tamen adhuc miſericordiam quæro.

8. *Quod autem me ad vos Romam venire, deinde vobiſcum ire Mantuam præcepiſtis, vtriuſque mihi labor itineris valdè difficilis viſus eſt, & meæ ſenectuti nimiùm grauis. Vndè Romam venire, quod minus vobis prodeſſet, omiſi: expeditionem verò Mantuani itineris magis vobis neceſſariam iudicaui. Sed in deſtinando mihi ſanctæ veſtræ Legationis oraculo, ſatis vterq; inter vos inæqualiter diuiſiſtis. Nimirùm, vt vnus mihi videatur paterni fauoris affabilitate blanditus, alter hoſtilibus iurgijs terribiliter comminatus. Vnus veſtrum me tamquam Sol coruſco feruidi ſplendoris irradiat; alter velut furens Aquilo violentis impetus ſui flabris exſufflat; vnde illud ad mentem redit, quod refertur in fabulis. Dicitur enim, quia dum quidam indutus clamyde viator incederet, Sol, & Eurus eum quaſi materiam ſibi propoſuere certaminis, quis videlicet è duobus ei clamydem potuiſſet auferre. Hoc itaque inter eos fœdere conſtituto, vt eum, qui victor exiſteret, virens laurea coronaret, cœpit Eurus violenter infremere, nubium volumina commouere; è contra viator clamydem ſtringere, ſeſeque, ne veſtem perderet, vndique conſtipare. Cumque diſcipulus Æoli caſſo labore deficeret, ſe ſeque cœptum poſſe perficere funditùs deſperaret; illicò Sol aurea cœpit ora detegere, micantibus terram feruoribus illuſtra-*

Digitized by Google

luſtrare. Mox viator cum iam æſtibus nimij feruoris areſceret, vberque ſudor humefactis viſceribus ebulliret, proiecit clamydem, vt nimij caumatis temperaret ardorem. Ille ergo condicti certaminis promeruit palmam, qui leniter egit, non qui vincere furendo, & violentiam irrogando tentauit.

9. *Sed, vt è Scripturis ſacris honeſtiùs proferatur exemplum; ſi Roboam ſenum conſilijs acquieſcens, populo mitia reſpondiſſet, totum Iſrael ſui iuris imperio ſubdidiſſet; ſed quia coæuorum ſuorum ſuperbiæ credidit, diuiſis à ſe decem Tribubus, ſublimem Regni potentiam humilem fecit. Rhinoceros etiam, qui rabida perſequentium canum ora celerrima pernicitate contemnit, capi ſe gremio blandæ virginis non paueſcit. Sed qui cuncta, quæ veſtra ſunt, reddidi, cur adhuc perſecutionem patior? Naturarum certè perhibent rimatores, neſcio, vtrum adſtipulentur etiam venatores; quia Caſtor dùm natiuo perpendat ingenio, ſe non ob aliud inſectari, niſi pro teſticulis, vt medicinali ſeruentur induſtriæ, præcidendis, ad ſtipitis truncum repentè percurrit, ſeſeque violenter impingens teſticulos proijcit. Mox itaque longiùs prouolans, verſus ad venatorem in duobus ſe pedibus erigit, nec ſe iam habere, pro quo quæratur, oſtendit. Numquid ergo durior ſatisfactio quæritur ab homine, quàm exigatur ab animalibus brutis? Sed ne modum excedat epiſtolare compendium, ad*

hæc

Digitized by Google

hæc expoſtulanda veſtrum in noſtras partes præſtolemur aduentum.]

10. Ex hac epiſtola PETRI error conuincitur Florentinij, qui exiſtimat coniecturis nonnullis innixus, non Roma, ſed Luca diſceſſiſſe Alexandrum Mantuam petiturum; nam ſi PETRVM Romam vocauit ad ſe, vt deinde ſecum ipſum Mantuam perduceret; non eſt certè vndè probetur Alexandrum tunc temporis Lucæ fuiſſe, & ab ea ciuitate ad Mantuanum Concilium migraſſe: immò ſi ad obtinendum quod cupiebat, ne ſcilicet ex ſolitudine egredi cogeretur, vt obtinuit, in ſuas partes Pontificis præſtolatus eſt aduetum; cum Alexander Luca diſceſſiſſet, nimis duri, ac longi itineris nihil ad iter Mantuanum ab eo intentum pertinentis labore ſe oneraſſet, vt veniret ad PETRVM; quod veriſimile omninò non eſt; vbi è contra Roma petiturus Mantuam recto tramite, alloqui Sanctiſſimum Virum facillimè potuit abſque eo quod declinare cogeretur à via, quæ Mantuam ducebat. In Vita Com. Mathild. lib. 2.

Digitized by Google

CAP. XVI.

PETRVS DAMIANI ad Mantuanum Concilium pergere recuſat. Acta eiuſdem Concilij. Cadalous iterum conturbat Eccleſiam. Pro Aurelianenſi Archiepiſcopo PETRVS DAMIANI ſcribit.

1. EGreſſo igitur Roma Alexandro cum Cardinalibus, & Mantuam proficiſcenti, occurrit PETRVS, paratus quidem, vt vidimus, cum illo & in carcerem, & in mortem ire; nihilominùs rogans eum, ne ſibi iuberetur egredi de finibus ſuis. Rem verò difficilem ſe poſtulaturum agnouerat, attamen omnia poſſibilia arbitratus eſt futura ſibi viua voce Alexandrum deprecanti. Et reuerà iuſſio Pontificis vrgebat, vt ſumeret arma, & ſcutum, & exurgeret in adiutorium ſibi, & Hildebrandus increpans non ſinebat eum loqui. Sed tamdiù opportunè, importunè obſecrauit PETRVS, donec dictum eſt à Pontifice illi: Reuertere in terram tuam.

2. Et hoc certè mirabile in oculis omnium eſt, vt ille, qui toties ſibi Dauidicum illud vſurpauerat: Quis conſurget mihi aduersùs malignantes, aut quis ſtabit mecum aduersùs operantes iniquitatem? Eo poſtmodum tempore, quo commilito-

Pſalm. 91.

lito-

Digitized by Google

litones eius ad bella procedebant, & quo ille, Ioab, & confratres ſuos, nempè Alexandrum, & cæteros Romanæ Eccleſiæ Cardinales cum eo, & vniuerſum Iſrael, vt vaſtarent filios Ammon, & obſiderent Rabba, nempè Cadaloum, quodammodò mittebat; ipſum deindè remanſiſſe in Ieruſalem. Certè (vt arbitramur) putabat vniuerſalis corpus Eccleſiæ, quod ad Mantuanum egrederetur Concilium, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locũ lepræ & curaret illam; dùm toties ad hoc exierat in vicos, & plateas Ciuitatis, & compulerat intrare debiles, & cæcos, & claudos. Tamen fidelis ſeruus, & prudens non ſic ſe geſſit; ſed qui plus omnibus laborauit quoad vſque iuſtitia conuerteretur in iudicium, & iuxtà illam omnes qui recto erant corde, functus Sacerdotio in ordine vicis ſuæ ante Deum; eleuans oculos ſuos, & videns regiones, quia albæ iàm erant ad meſſem; abſcondit ſe, vt & qui metebat, mercedem acciperet, & congregaret fructum in vitam æternam: vt & qui ſeminauerat, ſimùl gauderet, & qui metebat. In hoc enim ſciebat eſſe verbum verum, quia alius eſt, qui ſeminat, alius eſt, qui metit; vndè gaudebat illos metere, quod ipſe laborauerat, & ſe laboraſſe gratulabatur, vt alij in labores ſuos introirent; non quærens, quæ ſua erant, ſed quæ Ieſu Chriſti: & tamquàm verus Cœleſtis thrius Sponſi amicus in Auellanenſi Eremo ſtetit, & audiuit eum, gaudio gaudens propter vocem

Spon-

Sponſi, Eccleſiam eius creſcere concupiſcens, ſe verò minui.

3. Hoc igitur gaudium eius impletum eſt; nàm vniuerſæ Tribus Iſrael venerunt ad Dauid in Hebron, nempè cuncti venerabiles Patres, & Epiſcopi Mantuam ad Alexandrum dicentes: Ecce

Bar. ann. 1064. „ nos os tuum, & caro tua ſumus. [Cùm enim
„ in Synodo cum Epiſcopis Alexander ipſe reſi-
„ deret, cauſam electionis ſuæ ita disertè rationi-
„ bus manifeſtis comprobauit, atque ſe de omni-
„ bus, quæ ſibi ab æmulis malitiosè obiecta fue-
„ rant, excuſauit ſufficienter, vt Epiſcopos Lom-
„ bardiæ, qui ſibi fuerant aduerſati, beneuolos
„ reddiderit, & ſubiectos; quapropter ſedato per
„ Dei gratiam Imperij, & Eccleſiæ ſcandalo, poſt
„ ſolutionem Synodi Alexander Papa Romam,
„ ac cæteri ad propria hilares redierunt.]

4. Cæterùm facta eſt pauca concertatio poſtmodum inter Cadaloum, & Alexandrum, Alexandro proficiſcente, & ſemper ſeipſo robuſtiore; Cadaloo autem decreſcente quotidie: non enim (vt ſupra diximus) Mantuano Concilio cum Guiberto Parmenſi intereſſe, remordente conſcientia, præſumpſit, vt ipſi Anno Colonienſis præceperat; ſed illo peracto, ex Diuino iudicio, poſt paucos dies ab eadem Synodo peſſimam mortem incurrit, vt aſſerunt Scriptores; licet alij reſipuiſſe dicant.

5. Notandum verò quod Conciliorum generalium compilatores poſt relatum hoc Mantuanum

„ num Concilium de Cadaloo ſcripſere: [Tra-
„ dunt enim (inquiunt) omnes Scriptores eius
„ temporis, quòd his duobus Concilijs condem-
„ natus, militem armauerit;] quia nimirùm in his manifeſtus eorum conuincitur error, qui poſt idem Concilium, impiũ illum, vt iniquitatem ſuam tueretur, ad arma confugiſſe arbitrantur; cum tamen euidenter conſtet ex ſupradictis, ante hoc tempus Pſeudopontificem poſuiſſe carnem brachium ſuum, & à Domino etiam tali pacto receſſiſſe. Cauſa autem, quæ huic opinioni fomitem miniſtrauit; ea procùl dubio fuit, quòd præfati compilatores meſſuerunt vbi non ſeminauerunt, & congregare voluerunt vbi non ſparſerunt; non enim, vt debebant, inter Concilia, quæ conflauerunt in vnum, collegerunt etiam Concilium illud Romanum ab Alexandro, primo Pontificatus ſui anno tempore Quadrageſimali coactum, in quo, vt diximus, Cadalous anathematizatus fuit. Cui ſi addas Osboriense, vbi eodem anno 1062. Pſeudopontifex ipſe depoſitus eſt; reperies iure meritò Cadaloum armaſſe militem, poſtquàm duobus Concilijs fuerat condemnatus, vt illius temporis Scriptores monumentis mandarunt; non verò poſt Mantuanum Concilium, à quo, vel iniquitatem ſuam odio habuit, & abominatus eſt, vel potius paucos poſt dies, vt diximus, in peccatis ſuis vita deceſſit.

6. Maiori tamen errore deceptus eſt Didacus de Franchis adſtruens anno 1063. ab Alexandro

Digitized by Google

Florentiæ congregato Concilio, in eodem damnatum fuiſſe Cadaloum, & hoc PETRI N. auctoritate fulcitus, qui nimirùm ad eumdem Pſeudopontificem ſcripſit: [*Aſſerunt, qui ſe interfuiſſe fatentur, quod in tribus iam Concilijs Synodalibus Papienſi ſcilicet, Mantuano, & Florentino, perſpicua damnationis in te ſententia claruit.*] Nam cum hæc epiſtola ſcripta fuerit ad Cadaloum, vt vidimus, ſtatim poſtquam Apoſtolicæ Sedis inuaſor proclamatus eſt à duobus concubinarijs Epiſcopis; liquet, quòd ob alia ſcelera, non ob intruſionem Sedis in præfatis Concilijs damnatus fuerat, & forſitan à Nicolao Secundo in Concilio, vt diximus, Florentiæ coacto: nam Alexandrum Florentiæ Synodum habuiſſe nullo pacto reperitur.

Epiſtol. lib. 1. epiſt. 20. to. 1.

7. Fauiſſe tamen eidem Cadaloo animo obſtinato Henricum Rauennatem Archiepiſcopum, eiuſdem Alexandri Papæ ſcripta ſignificant, eumdemque ab eodem Pontifice ea ex cauſa vna cum ipſo Cadaloo excommunicatum fuiſſe. Qui tantùm abeſt, quòd reſipuerit, vt potius animo peruerſo, ac pertinaci excommunicationem contemnens, excommunicaret ipſe alios: in quem idem Pontifex ad Valerianum ita reſcripſit: [Audiuimus, quòd Henricus Rauennas dictus Archiepiſcopus viſus ſit te excommunicare: verùm quia excommunicatus excommunicare non potuit, Apoſtolica auctoritate te, tuoſque abſoluendo man-

Apud Baron. ann. 1064.

„ mandamus numquam curare &c.] hæc apud Grat. & alios collectores; & nos à Cæſare Cardinali Baronio ipſiuſmet vſi verbis, accepimus.

8. Nec omittendum cenſemus, quod inſuper apud ipſum reperimus de epiſtola Alexandri Pontificis ad Rhemenſem Archiepiſcopum ſuper Aurelianenſem Archiepiſcopum, & Reginaldum inuaſorem Cœnobij Sancti Medardi, de quibus nos ſupra aliquid innuimus; in epiſtola igitur ſic loquitur „ Alexander: [Super Aurelianenſem denique, „ qui ſimoniacè Epiſcopatum obtinuiſſe, & indè „ periurium tribus alijs ſibi adhibitis incurriſſe „ probatur, ſententiam dare Archiepiſcopum Se- „ nonenſem litteris noſtris admonuimus, quem „ nimirùm, vt cum ipſo conuenias, & negotium il- „ lud pariter agas, Apoſtolica auctoritate horta- „ mur &c. Abbatem quoque Sancti Medardi iam „ pridem excommunicationis vinculo innodatum „ omnibus modis operam dare ſtudeas, vt de Ab- „ batia, quam iniuſtè retinet, eijciatur, & alter „ dignè, & canonicè ſubſtituatur.] Nàm ipſum Aurelianenſem Archiepiſcopum, poſt fortè prolatam in ſe ſententiam, ad Pontificis Maximi tribunal appellaſſe, Romam veniendo, & ſub vmbra alarum PETRI à conturbatione hominum, quam patiebatur, confugiſſe, colligitur ex ſcriptis pro eo ad Alexandrum à Beatiſſimo Viro. Ibid. vt ſup.

[*Nouerit* (dicit) *Beatitudo veſtra, venerabilis Pater, quoniam Epiſcopus hic Aurelianenſis*

Eccleſiæ per me venit, meque decumbentem in grabato reperiens, quia ſperabat me aliquid poſſe, meæ interceſſionis auxilium poſtulauit. Ex multis quippè calamitatibus, atque preſſuris, quæ non modò ſibi, ſed & Eccleſiæ ſuæ à prauis, atque peruerſis hominibus inferuntur, ſe tandem non ſine magna tribulatione præripiens, optimum duxit, vt, ſpreto mundi fallacis auxilio, ſolum Sedis Apoſtolicæ remedium peteret, ad ſancta veſtigia veſtra corrveret; & tamquam ad tutiſſimi portus ſinum de multis procellis fluctiuagi maris ſcopulis, atque turbinibus ſub S.R.E. vmbraculum conuolaret. Scilicet, vt quæ per Diuini muneris priuilegium omnibus in tribulatione ſuccurrit, ſe quoque materna pietate ſuſcipiat, & eius Eccleſiam à violentorum, iniquorumque hominum peruaſione defendat. Quapropter ſanctam clementiam veſtram humiliter obſecro, hoſtilis etiam amici mei Domini Archidiaconi, cæterorumque ſanctorum Collateralium veſtrorum fraternitatem humiliter peto, vt fratri iſti, qui meum depoſuit auxilium, pro noſtro amore dignemini ſubuenire, rigoremque iuſtitiæ circa illum ſtudeatis, in quantum tamen Deo non diſplicet, temperare &c.] Ita PETRVS.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XVII.

Alexandro reuertenti è Mantuano Concilio occurrit PETRVS DAMIANI, eique Librum de Breuitate vitæ Romanorum Pontificum offert.

1. ALexandro igitur, qui Mantuam quaſi in regionem longinquam abierat accipere ſibi Regnum, & reuerti, factum eſt cum rediret, vt occurreret lætanti, & facienti iuſtitiam PETRVS N. laudans, & glorificans Deum, quoniam oſtenderat Maieſtatem ſuam in gentem peccatricem; ſumptiſque de optimis terræ ſuæ fructibus in vaſis ſuis detulit ei munera, obtulitque patri ſuo pulmentum, ſicut velle eum nouerat, vt comederet, & benediceret ſibi; inſigne videlicet ei Opuſculum ſcribens, & offerens, cui titulus: [*De Breuitate vitæ Pontificum Romanorum, & Diuina prouidentia.*] Ex quo nimirùm nimis euidenter contra nonnullos colligitur, PETRVM Mantuano non interfuiſſe Concilio, dùm ſe Chuſai, & Moyſi æquiparat; vt ſequitur. Bar. 2an. 1064 & 1065.

2. [*Quia redeuntem te, venerabilis Pater, à Mantuano Concilio finitimis iam audio partibus propinquare; congruum iudicaui exenio litterarum tibi, quo videlicet dono potiſſimùm delectaris, occurrere. Sed & mox, vt ad vos impiger* Opuſc. 13. c. 3

iter

iter arriperem, dulcis fama perciuit; Iacob ſiquidem, de quo Scriptura dicit; quia ſimple x habitabat in tabernaculis, idcirco terrenis placandum eſſe fratrem muneribus duxit, quia ſola dumtaxat eum diligere terrena cognouit. Gene**ſ**.25. *Ego quoque, qui cum Iacob domi ſimpliciter habitaui, quia tibi plus ſpiritualia, quàm carnalia quæque placere non ambigo, ſpirituali faciem tuam munere placare contendo. Quamquam cum Dauid fugeret à facie* 2. Reg. 15. *Abſalon, magis ſibi profuerit Chuſai, Arachites, qui in Ieruſalem rediјt, quam Ethai, qui videlicet à fugiente Dauid indiuiduus aſſecla non receſſit.* 1. Reg. 30. *Idem quoque Dauid legem conſtituit in Iſrael, vt æqua ſit pars deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & potentiùs iuuit Iſraeliticum populum Moyſes in Rhaphidim, dùm velut otioſus oraret, quàm Ioſue, licet irruentibus Amalechitis, terribiliter armatus occurreret. Quod perſpicuè perhibet Scriptura cum dicit: Quia cùm leuaret manus Moyſes, vincebat Iſrael: ſin autem* Exod. 17. *paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Sed nullum munus cuiquam congruentius datur, quàm id quod ab eo ipſo, cui datur, exigitur.*

3. *Aliquando certè, ſi ritè teneo, à me ſollicitè requiſiſtis, quæ mihi cauſa videretur, quod Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, numquàm diutiùs viuat, ſed intra breue temporis ſpatium diem claudat extremum, adeòut poſt Beatum Petrum Apoſtolum, qui per quinque circiter annorum luſtra præſedit,* Ibid. vt ſup. cap. 1. *nemo*

Digitized by Google

nemo poſtmodum Romanorum Pontificum hoc ſpatium Præſulatus æquauerit: modernis immò temporibus vix quiſquam in prædictæ Sedis culmen euebitur, qui metam quatuor vel, vt multum, quinque tranſcendat annorum; quod conſiderantibus prodigialis, vt ita loquar, ſtupor oboritur, quoniam hæc breuiter viuendi neceſſitas, quantum ad noſtram notitiam, in nulla alia totius orbis Eccleſia reperitur. Sed in quantum mortalibus Diuinæ diſpenſationis reuelatur arcanum; videtur nobis quia idcircò hoc iudicij Cœleſtis ordo diſpoſuit, vt humano generi metum mortis incutiat, & quam deſpicienda ſit temporalis vitæ gloria in ipſo gloriæ Principatu euidenter oſtendat; quatenùs dùm præcipuus hominum tam anguſti temporis compendio moritur, tremefactus quiſque ad præſtolandi ſui obitus cuſtodiam prouocetur, & arbor humani generis, dùm cacumen, ac verticem ſuum tàm facilè corruiſſe conſiderat, flatu concuſſa formidinis, in ſuis vndique ramuſculis contremiſcat.

4. *Sed quiſpiam fortaſſis obijciat, cur & Regibus hæc eadem viuendi breuitas non occurrat, nàm & Octauianus Auguſtus, quo imperante Saluator mundi de Virgine naſci, & Dauid Rex de cuius ſtirpe dignatus eſt propagari, alter quinquaginta ſex, alter quadraginta annorum curricula in Regali faſtigio floruerunt: poſt quos & alij videlicet vtriuſque Regni Principes, etſi minuſ-*

nuſ-

nuſculè, non tamen ad inſtar Romanorum Pontificum breuiſſima regnauerunt temporum quantitate. Ad quod facilè reſpondetur: quia cum vnus omni mundo Papa præſideat, Reges autem plurimos in orbe terrarum ſua cuiuſque Regni meta concludat, quia quilibet Imperator ad Papæ veſtigia corruit, tamquàm Rex Regum, & Princeps Imperatorum, cunctos in carne viuentes honore, ac dignitate pręcellit. Vndè quolibet Rege defuncto, adminiſtratione eius Regnum tantummodò, cui præerat, deſtituitur; cum verò Sedis Apoſtolicæ Pontifex moritur, vniuerſus, tamquàm communi patre, mundus orbatur. Quid enim Africa de Regibus Aſiæ, aut quid Æthiopia de Principibus ſentit Heſperiæ? Nàm ſiue moriantur, ſiue viuant, quia procùl à ſe remoti ſunt, vtrumque indifferenter ignorant.

5. *Eſt & aliud, cum mors cuiuslibet Regis non magnoperè ſit terrori, quoniam ſæculares Principes, qui turbis popularibus præſunt, ſæpè gladijs perimuntur. Nàm, vt de multis paucos adhibeam, Caius Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, omnes iſti Imperatores per continuam ſunt ſeriem vnus poſt alterum principati, & excepto Claudio, cuncti ſunt, vel ſuis, vel hoſtilibus gladijs interempti. Poſtmodùm quoque, ſicut Romana tradit hiſtoria, Macrinus, Antoninus, Alexander, Maximus, Gordianus, Decius, Gallus, Voluſianus: omnes ij ſeriatim ſibimet per continuum*

Digitized by Google

nuum ordinem ſuccedentes, gladio trucidante, proſtrati ſunt. Sæculares ergò Principes, quia diuerſæ mortis caſibus exponuntur; cor audientium exitu non atteritur; Papæ verò vita, quia ſola naturali obitus lege concluditur, eius ex hac vita tranſitus ſine graui formidine non auditur. Porrò quia terreni Principes Regni ſui quiſque, vt dictum eſt, limitibus includuntur, cauſa non eſt cur per alienas mundi Prouincias eorum obitus diffundatur; Papa verò quia ſolus eſt omnium Eccleſiarum vniuerſalis Epiſcopus, cum luce priuatur, mors eius per ampla terrarum Regna diffunditur, & ſicut Sol, quia ſolus lucet, ſi eclypſim fortè ſubſtineat, præſtò neceſſè eſt, vt tenebras totus vbique mundus incurrat; ſic Papa cum ex hac vita recedit, illicò, quia vnus in mundo eſt, longinqua Regnorum ſpatia mortis eius fama percurrit: & conſequens eſt, vt quos tàm ſublimis, ſingulariſque perſonæ caſus obturbat, propriæ quoque vocationis exitum tremefactis viſceribus expaueſcant. Vbi notandum, quàm velit Omnipotens Deus Romani Pontificis vitam hominibus in ædificatione prodeſſe, cuius etiam mortem decreuit ſaluti gentium miniſtrare. Quanto ſtudio debet lucris animarum, dùm aduiuit, inſiſtere, cuius etiam mors peruidetur ad Creatorem ſuum animas hominum reuocare; vt dùm ſe patrem orbis eſſe conſiderat, ab inculcanda tot filijs hæreditate deſidia non torpeſcat.]

6. Hæc PETRVS, qui deindè in extollendis Diuinæ prouidentiæ magnalibus totus effunditur; vt videre eſt apud ipſum.

C A P. XVIII.

PETRVS DAMIANI Inceſtuoſorum hæreſim detegit, & euertit in Synodis ab Alexandro Romæ coactis.

1. IN Mantuano igitur Concilio cognitus eſt Dominus iudicia faciens, & in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator, & nouus Moyſes PETRVS DAMIANI nouum Amalec Cadaloum confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit. Et ſic fuerunt vniuerſi hoſtes Iſrael; in his enim omnibus, quæ fecerat contra Pſeudopontificem, non fuerat auerſus zelus Sanctiſſimi Viri, ſed adhuc manus eius extenſa. Nam qui concupiuit (vt ſupra vidimus) omnes eſſe ſicut ſe ipſum, & neſcire Clericos thorum in delicto, vt fructum haberent in reſpectione animarum ſanctarum; Bar. ann. 1065. plus omnibus inſuper laborauit anno 1065., vt honorabile eſſet connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Cum enim eodem tempore Rauennam petijſſet, hæreſim Inceſtuoſorum erum-

pen-

pentem reperit à quibuſdam Iuriſconſultis excitatam, atque defenſam, qui auctoritate Iuſtiniani Imperatoris, eadem ratione, qua in ſucceſſionibus, numerandos eſſe dicebant gradus conſanguinitatis, quos Canonica, & Diuina lex in quarta generatione conſtituit. Et hac praua imbuti opinione, aſſerere non dubitabant inter pronepotes matrimonium licitè contrahi poſſe. Accepit igitur ſcientiæ ſuæ armaturam zelus Beatiſſimi Viri, & ad perdendam taliter ſapientium ſapientiam, & mundi prudentum prudentiam reprobandam hæc ſcripſit Ioanni Cæſenatenſi Epiſcopo, & DD. Archidiacono Rauennati.

2. [*Rauennam, vt noſtis, nuper adij, quam mox periculoſi erroris ſcrupulo turbatam vacillare cognoui. Erat autem de conſanguinitatis gradibus plurima diſceptatio, atque iam res eò vſque proceſſerat; vt ſapientes Ciuitatis in vnum conuenientes, ſciſcitantibus Florentinorum veredarijs, in commune reſcripſerint ſeptimam generationem Canonica auctoritate præfixam, ita debere intelligi, vt numeratis ex vno generis latere quatuor gradibus, atque ex alio tribus, iure iam matrimonium poſſe contrahi videretur. Ad aſtruendam quoque præpoſteræ huius allegationis ineptiam, illud etiam in teſtimonium deducebant, quod Iuſtinianus ſuis interſerit Inſtitutis: Sed nec neptem, inquit, fratris, vel ſororis ducere quis poteſt, quamuis in quarto gradu ſit. Ex quibus nimirùm verbis indu-* Opuſ. 8. tom. 3. Iuſtin. lib. 1 tit. de nupt. §. intereas.

ctoria quædam colligebant argumenta dicentes: Si neptis fratris mei quarto iàm à me gradu diuiditur, conſequenter etiam filius meus quinto, nepos item ſexto, pronepos autem meus ſeptem ab ea procùl elongatus gradibus inuenitur. Et quidem ego nudis verbis iſta dogmatizantibus reſtiti, ac proùt in expeditione licuerat, emergentem, vt ita fatear, hæreſim Canonicæ teſtimonijs auctoritatis attriui: quo tamen vos minimè contenti, dignum eſſe decreuiſtis, vt quod ore protuleram, apicibus traderem; atque ita non paucis, ſed omnibus hoc errore nutantibus facili compendio reſponderem. Ego autem vobis, vt in omnibus, etiam in hac parte libenter obtempero: ſed huic diſputationi nil prorsùs adijciendum video, niſi quod à maioribus traditum eſſe perpendo.

Ibid. cap. I.

3. *Interrogentur igitur qui in Tribunalibus iudicant, qui cauſarum negotia dirimunt, qui ſcrutandis legum decretis inſiſtunt; numquid ſi propinquiores deſint, vſque ad ſeptimum gradum agnati, ſiue in hæreditatem, ſiue in tutelam non admittuntur? In cuius autem hæreditatem ex iure conſanguinitatis admitteris, quo pacto velut extraneus eius coniugium ſortiaris? Vt quid etiam tàm operoſa inter ſacros Canones figura depingitur, vt non modò ſuprà, vel infrà, ſed ex vtroque etiam latere ſex gradibus terminetur, ſi ſeptima generatio, vt aſſerunt, tribus hinc enumeratis perſonis, atque illinc quatuor expleatur? Neque enim condito-*

Digitized by Google

ditoribus Canonum cauendum fuit, ne tritauus auiæ, quæ nimirùm ſibi trineptis eſt, vel filius trinepti, cui & ipſe tritauus eſt, in matrimonio iungeretur. Ipſa namque rerum natura non patitur, vt ſuprema perſona infimæ, etiam ſi non eſſet inhibitum, copuletur.

4. *Sed quod ſancti Doctores humanæ conſanguinitatis lineam tot gradibus numerant, ad hoc nituntur, ne perſonæ ex latere venientes vſque ad præfixum terminum ſe inuicem iungant; alioquin poſtquam ad abnepotem, quæ videlicet hinc quarta perſona eſt à filio, & pronepotem, quæ illinc tertia ex ordine peruenitur, cur ad enumerandas adhuc alias fruſtrà deſcendit, ſi nulla eas propinquitate inter ſe alterutrum pertinere nouerunt? Porrò ſatis oneroſum eſſet, atque ſuperfluum in genealogiæ gradibus deſcribendis, illas extrinſecus adhibere perſonas, quæ nullas inter ſe affinitatis obtinent conſequentias. Sed cùm inferiores gradus ab eodem videamus æquè denominari, à quo & ſuperiores relationum ſuarum vocabula ſortiuntur; nimirùm vt cuius ſint iſti, filius, nepos, pronepos, abnepos, idem quoque nihilominùs, & illi ſint abnepos, trinepos, ſicut poſſumus genitos à progenitore diuidere, ſic enim nefas ducimus ab vno vtrimque deſcendentes congenitos ſeparare. V. G. ſicut trinepos à patre, qui ſibi videlicet tritauus eſt, dici nequit extraneus: ſic etiam à trinepte, quæ ab eodem ſimùl è regione deſcendit, non inuenitur alienus.*]

Et

5. Et poſt multa: [*Poſt illam autem vix enarrabilem Iuſtiniani ſententiam, qua videlicet neptis fratris quarto dicitur eſſe gradu, quidam promptulus, cerebroſus, ac dicax, ſcilicet acer ingenio, mordax eloquio, vehemens argumento Florentinus, puto, verbis me Beati Gregorij inſolenter vrgebat: quibus nimirùm præcepit Anglos iàm quarta, vel quinta debere generatione coniungi; licet* (inquiens) *Sanctus ille Vir hoc Neophytæ genti diſpenſatiuè conceſſerit; tamen ſi conſanguinitas tantoperè eſſet in matrimoniali copulatione cauenda, nequaquam inter tàm propinquos conueniendi licentia fuiſſet indulta. Conſtat vtique quia ſuper hoc coniunctionis articulo temperantiùs ſenſit, qui licet rudibus quartæ generationis coniugium non negauit. Nos autem vtramque ſententiam Iuſtiniani ſcilicet, & Gregorij conferamus, & tamquàm duos lapides, qui in nos ex hoſtili acie iaculati ſunt, inuicem collidamus, quatenùs ex eorum repercuſſione igniculus exeat, qui eiſdem noſtris aduerſarijs non dicam cæcutientibus, vtpotè reuerentia ſeruata, Iudicibus, tamen lippientibus, & caligantibus lumen oſtendit.*

Ibid. cap. 7.

Greg. Regiſt. Epiſt. lib. vlt. cap. 31.

6. *Audite igitur, Iudices, vtriuſque Doctoris verba diligenter attendite, atque illud tumultuantium murmur, quo in foro vel tribunalibus aſſueti eſtis, hìc in Eccleſia fieri prohibete. Litigium noſtrum non confuſa partium loquacitas augeat; ſed intenti cordis ratio ſequeſtra componat. Clamemus*

Digitized by Google

memus ergò ſimùl ad Dominum, atque illi pars vtraque dicamus: Surge, Deus, iudica cauſam tuam. Age igitur, dicit nempè Iuſtinianus veſter (vt ſuperiùs dictum eſt): Quia neptis fratris tui quarto iam à te gradu diuiditur: nimirùm tu vnus, frater tuus ſecundus, filius eius tertius, neptis autem eius quarto à te diſtinguitur gradu. Ergò ſi ita eſt non tàm longiùs fatigemur, vtpotè qui propiùs inuenire poſſimus, quod ad banc rem neceſſarium iudicamus.

7. *Cum igitùr tu à filio fratris tui ſis tertius, conſequenter etiam filia tua ab eodem filio fratris tui quartus eſt gradus; ſaluo ſcilicet eo, ſicut aſſeritis, quod gradus, & generatio idem ſit. Quod profectò ſi verum eſt, totum illud, quod Gregorius permittit quarta generatione coniungi, nihil aliud eſt, niſi quia duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filios, & filias cenſet matrimonio copulari. Sed vbi eſt, quod idem Gregorius omninò prohibet, ne duorum fratrum, vel ſororum filius, & filia miſceantur? An cenſendum eſt ipſum ſibimet extitiſſe contrarium, vt quod prohibuit fieri, illicò decreuiſſet impleri? Sed quis hoc de Gregorio credat, niſi qui alienata mente prorſus inſaniat? Verumtamen ipſe Gregorianus ſtylus ad medium veniat, & vtrum ſibimet conſtet, ex ipſo lectionis ordine clariùs innoteſcat. Quædam, inquit, terrena lex in Romana Republica permittit, vt ſiue fratris, & ſororis, ſeu duorum fratrum gen-* Greg. vbi ſup.

germanorum, vel duarum ſororum filius, & filia miſceantur. Sed experimento dicimus ex tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere; vndè neceſsè eſt, vt iam quarta, vel quinta generatione fideles licenter ſibi iungantur.

8. *Ecce ipſa ſcripturæ ſeries comprobat, quia filij germanorum fratrum in quarta generatione non ſunt, dùm qua illi prohibentur auctoritate connubere, eadem iſti, qui in quarta generatione ſunt, conceduntur in matrimonij fœdera conuenire. Nàm ſi germanorum filij in quarta generatione conſiſterent, quid eſſet aliud dicere, filij germanorum fratrum non iungantur, & tertium in quarta generatione homines ſocientur, niſi tamquàm ſic ſermo procederet: conſobrini inuicem, & non iungantur, & iungantur; quod vtique ridiculoſum potiùs, quàm authenticum haberetur? Vndè & idem venerabilis Doctor poſtquàm præmiſit: Neceſsè eſt, vt iam quarta, vel quinta generatione fideles licenter ſibi iungantur; protinùs intulit: Nàm à ſecunda, quam prædiximus, omnimodò debet abſtineri. Ecce iàm lapides, quos hoſtilis manus intorſerat, vicaria inter ſe impactione contudimus, ſcintillas elicuimus, lumen habemus. Ambulemus ergò in lumine Domini, ne nos tenebræ comprehendant. Quod ſi me fortaſſe conſulitis, qualiter illa Iuſtiniani ſententia poſſit abſolui, nihil noſtra intereſt. Vobis ſiquidem veſtra relinquimus, nec alieni nobis officij peritiam arrogamus.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc tantùm quod ad nos attinet non omittimus, quia non ſemper ima ſummis, non mundana ſacris, non concordant humana diuinis. Nàm cum ille neptem fratris in quarto gradu aſſerat conſtitutam, B. Gregorius, vt in promptu eſt, duorum fratrum, vel ſororum filios, & filias, quod itaque longinquiùs eſt, atque remotiùs, ſecundam generationem vocat.]

9. *Vos autem sereniſſimi in Chriſto, & venerabiles viri, videlicet qui me hoc opus aggredi præcepiſtis, tantæ peruerſitatis errori cum omni auctoritate reſiſtite: & ne ſe per corpus Eccleſiæ lethalis lepra diffundat viriliter obuiate. Caſtitas nempè quædam ſpecialis eſt virtus, quæ ab ipſo mundi primordio in Dei cultoribus viguit, & proceſſu temporum paulatim ſemper excreuit: nunc autem Diuino iam imminente iudicio, cum ſuadendi eſſent homines omninò carnis voluptates abſcindere, vltro etiam prouocantur inceſtuoſa matrimonia fœderare. Aduersùs ergò huiuſmodi peſtes Sacerdotalis ſe auctoritas erigat, & improbæ temeritati Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor obſiſtat. Non detur cornu peccatori, nulla relinquatur audacia vanitati. Viuat adhùc in Eccleſia Chriſti ille Moſaicus ſerpens, qui incantatorum colubros ſorbeat. Viuat, inquam, ſpiritualis prudentia, quæ carnalis verſutiæ venena conſumat: vt quos propriỹ arbitriỹ libertas effrænata laxauerat, Canonicæ ſeueritatis cenſura compeſcat: & quos tamquàm* Ibid. vt ſup. cap. 12.

celebris famæ tumor inflauerat, redditæ rationis grauitas premat: quoſque fidei vnitas congregat, doctrinæ ſciſſura non ſpargat. Sic ſic nimirùm veſtro ſtudio ad ſobrij intellectus concordiam redeant, & iàm humiles facti vno ſpiritu cum Eccleſiaſtica ſe pace componant, quatenùs & veternoſus coluber deſinat praui dogmatis virus effluere, et Eccleſia Chriſti de cætero integra poſſit in ſui pudoris munditia permanere.]

10. Aliam inſuper habemus epiſtolam ad quemdam Anonymum Presbyterum, quem humilis Doctor conſulit quo pacto cognationis gradus debeant numerari. Non enim adeò tutum ſibi videri dicit communem morem [eo ſcilicet modo numerandi, vt prima perſona ſemper abundet] vt ab eo recedere nefas ſit, præſertim cum nonnulla Scripturæ loca videantur obſtare. Ideò deprecatur, vt & ipſe peruigil hoc meditetur; & cum ſapientibus ſuis ſtudeat conferre, vt aliorum fultus auxilio certum quid valeat reſpondere: ſic ad debellandam turpiſſimam hæreſim congregans vndequaque virtutem, & exercitum fortem nimis.

Diſſertatincula in eodem opuſcul. 8.

11. Verumtamen impij non dederunt cogitationes ſuas, vt reuerterentur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt; vndè licet in immenſum erumpens, & excreſcens flamma Beatiſſimi Viri ſcriptis comprimi, non tamẽ potuit penitùs extingui; adeò enim quorumdam Iuriſconſultorum inualuit de-

Baron. ann. 1065.

Digitized by Google

defenſione, quòd in manibus eorum ſtatera doloſa mendacium diligere fecerit; quapropter duobus Concilijs anno Domini milleſimo ſexageſimo quinto Romæ congregatis, PETRVS ad euellendam zizaniam de medio tritici ſtrenuus caſtitatis cultor (vt multoties innuimus) intereſſe coactus fuit.

12. In ijs Legiſperitis tentantibus, & in Viro Dei eorum hæreſim refellente, oſtenſa eſt quodammodò inuiſibilis illa pugna, qua caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, ſpiritus autem aduersùs carnem, & hæc ſibi inuicem aduerſantur: licet PETRVS præualuerit, vt ſpiritu deinceps ambulantes fideles, deſideria carnis non perficerent; oſtendens quòd ſpiritu ducti Chriſtiani ipſi iàm non erant ſub lege: & ideò in ijſdem Concilijs ab Alexandro Papa Secundo decretum fuit, vt ſequitur.

„ 13. [Ad Sedem Apoſtolicam perlata eſt
„ quæſtio, quæ nouiter eſt orta de gradibus con- Decret. 35. 4. q. cap. ad Sedem Apoſtolicam, quod autem fratres eadem quæſt, &c.
„ ſanguinitatis, quam quidam Legum, & Cano-
„ num imperiti excitantes, eoſdem propinquita-
„ tis gradus contra ſanctos Canones, & Eccleſia-
„ ſticum morem numerare nituntur: nouo, &
„ inaudito errore affirmantes, quòd germani
„ fratres, vel ſorores inter ſe ſint in ſecunda gene-
„ ratione, filij eorum, vel filiæ in quarta, nepotes,
„ vel neptes in ſexta, talique modo progeniem
„ computantes, & in eiuſmodi ſexto eam gradu
„ terminantes, dicunt deinceps viros, ac mulie-

Digitized by Google

„ res inter ſe poſſe nuptialia iura contrahere, & „ ad huiuſmodi profanum errorem confirmandum „ in argumentum aſſumunt ſæculares leges, quas „ Iuſtinianus Imperator promulgauit de ſucceſſio- „ nibus conſanguineorum, quibus confiſi oſten- „ dere moliuntur fratres in ſecundo gradu eſſe „ numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in „ ſexto; ſic ſeriem genealogiæ terminantes nu- „ merationem SS. Patrum, & antiquam Eccle- „ ſiæ computationem ad nos vſque perductam „ peruerſa quadam calliditate diſturbare niteban- „ tur. Nos verò, Deo annuente, in Synodo ha- „ bita in Lateranenſi Conciſtorio, conuocatis ad „ hoc opus Epiſcopis, & Clericis, atque Iudici- „ bus diuerſarum Prouinciarum; denique diu „ ventilatis legibus, & ſacris Canonibus, diſtin- „ ctè inuenimus ob aliam, atque aliam cauſam, „ alteram legum fieri, alteram Canonum com- „ putationem. In legibus ſiquidem ob nihil aliud „ ipſorum graduum mentio facta eſt, niſi vt hære- „ ditas, vel ſucceſſio ab vna ad alteram perſonam „ inter conſanguineos deferatur: in Canonibus ve- „ rò ad hoc progenies computatur, vt apertè mon- „ ſtretur vſque ad quorum generationem à con- „ ſanguineorum ſit nuptijs abſtinendum &c. Tali- „ ter igitur determinatis gradibus conſanguinita- „ tis, Apoſtolica vos auctoritate monemus fra- „ tres, & filij, vt omnibus ſic ſeriem genealo- „ giæ computandam eſſe intimetis, quemadmo-

dum

„ dum Sanctiſs. Patres numerandã eſſe ſanxerunt, „ & antiquus mos Eccleſiæ per longa tempora olim computaſſe monſtratur. Nàm ſi quis peruerſa, & obſtinata mente à recto tramite Apoſtolicæ Sedis deuiare voluerit, & aliter quàm nos, in nuptijs celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit; primùm pro ſua temeritate Cœleſti pœna plectetur; poſtmodum verò gladio perpetui anathematis ſe nouerit iugulandum.] Hæc Alexander.

14. At PETRI Doctrinam Apoſtolica auctoritate firmatam ipſe Dominus confirmare voluit ſequenti ſigno. [*Nàm quidam* (vt ipſemet narrat) *degener quidem moribus, ſed maioribus titulis inſignitus ſuam conſanguineam nuptiali fœdere copulauit. Quid plura? Prohibitus perſtitit, excommunicatus adhæſit, totumque Eccleſiaſticæ cenſuræ rigorem nugarum puerilium fabulas deputauit, cui hoc certè ad Diuinæ indignationis iudicium contigit, vt patres de nuptialibus menſis in plateas antè canum ora proiecti, minimè tangerentur. Inſuper* (*ò Diuinæ animaduerſionis pauenda ſeueritas!*) *dùm rigidus ſtat, dùm præceptis Sacerdotalibus ſe non humiliat, qui vigilare ſibi ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repentè de Cœleſtibus irruens fulmen, extinxit. Sic Diuini furoris expertus eſt dormiendo ſententiam, qui vulneri ſuo, dum viueret, adhibere contempſerat medicinam.*]

CAP XIX.

A Synodis Romanis ad Eremum reuerſus, Apologeticum edit de contemptu ſæculi.

1. AT poſtquam PETRVS in eos, qui in carne ſua ſeminabant, & de carne metebant corruptionem, bellauit, vt non præualerent; inſigne illud Apologeticum de contemptu ſæculi ſcripſiſſe, ad docendum omnem hominem in omni Monaſtica ſapientia, & ad exhibendum omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu, perſpicuè colligitur ex eo, quòd in ipſo de hæreſi Inceſtuoſorum flens differit.

Opuſcul. 42. tom. 3. cap. 29.

2. [*Quis* (inquit) *rogo, nùnc poſſit inceſtuoſa coniugia, quantumuis inſtantiſſima prædicatione, reſcindere? Quis valeat, non dicam populum, ſed vel vnum hominem ad illiciti matrimonij repudium prouocare? Clamant ſacri Canones, humanæ in tantum ſcelus vindicant leges, obſiſtunt prædicatores Eccleſiæ, & cuncta hæc perditis hominibus velut aniles næniæ riſum potiùs mouent, quàm ad corrigendi piaculi lamenta compungant. Ecce inſuper hoc anno, ſicut noſtis, per Romanæ Sedis Antiſtitem, bis congregatum eſt Synodale Concilium, vbi denuò omnes inceſtuoſi, iuxtà Canonum decreta, Eccleſiaſtica ſunt communione priuati.*]

In

Digitized by Google

3. In hoc igitùr planè mirabili Opuſculo quod Roma reuerſus ad ſuos, aperiens os ſuum docuit eos, queritur primo de Monaſticæ diſciplinæ lapſu: nàm, enarratis flagitijs, in quibus eo tempore mundus verſabatur, itaùt omnes declinaſſe, nec eſſe, qui faceret bonum, nec eſſe vſque ad vnum, videretur hæc ſubdit.

4. [*Sed eſto* (inquiens) *vt filij huius ſæculi influctiuaga ſæcularium procellarum inundatione, verſentur, & nùnc ſemina, quibus propenſiùs oblectantur, aſpergant, vt non quas voluerint, poſtmodùm fruges metant. Quid enim mihi, iuxtà Apoſtolum, de his, quæ in mundo ſunt, iudicare? Nos autèm, qui mundi abrenunciatores dicimur, qui terreni fluctus naufragium euaſiſſe gloriamur, cur ad illud denuò, velùt quodam vortice violenter abſorbente, dilabimur? Cur ad ea, quæ pro Diuino amore contempſimus, retrogradis nitentes greſſibus, malè æſtuanti deſiderio recalemus? Cur non veremur illud inhoneſtæ ambitionis importunitate repetere, quod neque terrena iura, neque Diuinæ legis auctoritas vetuerat poſſidere? Porrò nos fecimus, vt à nobis iuſtè poſſeſſa, iam noſtra non fierent, & quæ noſtri iuris erant, in alienum dominium translata prodirent. Quod ergò conſilium fuit in tàm periculoſum noſmetipſos certamen adducere, vt contra omnium humanarum, Diuinarumque legum decreta, quarum videlicèt pace ruebamur, nùnc neceſſe ſit dimicare? Nos ſiquidem*

Ibid. cap. 24.

1. Corinth. 5.

dem minimè laceſſiti vltronea temeritate bellum nouimus, & nùnc contra ſacræ Scripturæ ſententias confligere non timemus.]

Ibid. cap. 3.

5. Probat deindè, quod Monachi proprietarij peiores ſunt Anania, & Saphira, & dolet de Eccleſiaſticorum auaritia, dùm mundus imminuta poſſeſſione contrahitur, eo quòd Eccleſia copioſiſſimè dilatetur; vndè de futuris alimentis lucrum carnale reponentes Monachi, procùl dubiò theſauro fidei ſe vacuos eſſe demonſtrant. Quòd Monachus, qui ſuo in loculo vult recondere Chriſtum, debet prius ſcutere nummum, quia in vno receptaculo incongruè ſociantur, & nummus debet in aliena iura concedi, vt vacuam pectoris Chriſtus arcam inueniat. Quòd animæ periculoſior eſt pecunia, cum acquiritur, quàm cum vltrò ſuppeditans poſſidetur: quia in iſta terreni moris eſt quidem iuſta poſſeſſio; in illa verò feralis ſæpè regnat ambitio; vndè ſalubrius erat, habita quieto animo poſſidere, quàm abiecta non ſine quadam ſolliciti rancoris anxietate requirere. Quòd propterea Monachus, qui æſtu auaritiæ flagrat nummicola potiùs, quàm Chriſticola nuncupari meretur, quoniam parùm refert ſi modicum ſit quod contra profeſſionem tenetur, quia & exiguus mus, vel quodcumque reptantium, ſi in quamlibet capaciſſimam tunnam caſu decidat; protinùs cum ſecuribus hinc indè concurritur, totum, quidquid illud erat, effunditur, cunctiſque ſcreantibus, vomitum mi-

Ibid. cap. 4. Ibid. cap. 5. Ibid. cap. 6. Ibid. cap. 7.

Digitized by Google

minante ſtomacho nauſeatur. Et ſi tenuiſſima veneni ſtilla pando oleris aheno diffunditur, ſtatim, exculentius licet, totum edulium prorsùs abominabile iudicatur: Quapropter debet Monachus illud ſummum, & vnicum granum in noualibus ſuæ mentis occultare, quod videlicet cadens in terram mortuum fuit, & multum attulit fructum; nàm ſi illud competenti cura ſeruare ſtuduerit, videre poterit apothecas interioris cellarij ſui, auri, & argenti, omniumque diuitiarum talentis affluere, & horrea inſuper ſua nouo prouentu ſegetum incomparabiliter redundare conſpiciet. Ibid. cap. 8.

5. De Monachis deinde diſcurrentibus queritur, qui videlicet ex eorum ſunt numero, quibus dùm ſæculi militiam baiularent, pertæſum erat ſub humanæ ſeruitutis iugo hucque, illucque diſcurrere, adeòut deliberarent ad Monaſteriale otium libertatis amore tranſire: ſed poſtmodum tanto ſunt peſtiferæ inquietudinis ardore ſuccenſi, vt ſi quando non præbeatur occaſio dictans longiùs progredi, tenebroſo carceralis cuſtodiæ videantur horrore concludi; quos nimirùm, & ſibi, & alijs noxios eſſe dicit: nàm quàmplures in ſæculari habitu conſtituti, niſi ad Monaſticæ inſtitutionis portum, Chriſto duce, confugiant, aliter ſe in illis procelloſis mundani pelagi fluctibus ſaluari poſſe omninò diffidunt: ſed cum contemplantur eos, qui nuper cuncta, quæ mundi ſunt cum magno feruore contempſerant, poſtmodum ad ſæcularium nego- Ibid. cap. 9. Ibid. cap. 10.

tiorum turbinem inhianter redigi, & in eiuſdem, quam euaſerant cœnoſa volutabri fæce verſari; ſtupor mirantibus oritur, ſuſpirium ab imis viſceribus trahitur, & in eorum mentibus deſperatio generatur; & videntes Monachum ſecum forenſes lites agitare, ſecum in tribunalibus Iudicum perorare, ſecum importunum atria Principum penetrare, ſecum ſimùl eorum auribus conſilia terrenæ profunditatis inſtillare: faciliùs ſe in ſæculari habitu perire deliberant, quàm perditi hominis exemplum ſequendo, vtrumque ſimùl (vt aiunt) ſæculum perdant.

Ibid. cap. 11.

6. Oſtendit inſuper, quòd aliæ ex hac inquietudinis venenata radice vitiorum propagines oriantur; quia poſtquàm in pectore Monachi ſemel ſibi imperium vendicauerint; mox ex maxima parte, ſi ineſt virtutum chorus, abſcedit, nonnulla vitiorum portenta velut ergaſtulum proprij iuris irrumpunt. Nàm Monachus in itinere poſitus tenere ieiunium nequit, quia hoſpitalis hoc ei humanitas non permittit; non ſapienter pſallit, quia obambulãtis comitatus eum loquacitas impedit; nocturnis non inſiſtit excubijs, quia ſecretum deeſt ſingularitatis; flectendis genibus non inſudat, quia ſanctæ deuotionis ſtudio labor itineris non concordat; & nequaquam ſub ſilentij cenſura conſtringitur, quia frequenter emergentibus cauſis, inuitus etiam per multiloquia diffrænatur.

Ibid. vt ſup. cap. 12.

7. Cum verò (inquit) ad propriæ habitatio-

nis

nis clauſtra reuertitur, cominùs illum quaſi quædam conglobata turba omnium, quæ viderat, vel audierat, comitatur, vt tumultuantium negotiorum ſtrepitum, quem illic tolerabat in corpore, multò ingruentiùs, multòque importuniùs, hìc patiatur in mente: præcipuè ſi orationi vacare enixius cœperit, ecce phantaſmata cogitationum, ecce imagines, quas vidit, rerum, itaut in quolibet angulo conſtitutus videatur ſibi ludis theatralibus intereſſe, vel inter agitantes forenſe litigium reſidere; & fit menti miſeræ tàm tenebroſa confuſio, vt quòcumque ſe verterit, ſe verſari in ſæculo videatur, cum ſæculum ſinè ſe eſſe indubitanter agnoſcat. Cum illo itaque eſt, quod cum ipſa non eſt; quia ſcilicet mundum, quem corporali digreſſione deſeruit, ſecum per phantaſticas imaginationes in mente depingit. Eſt enim iſta in humana mente calamitas, & peccatum, & pœna peccati, quia iuſtum eſt, vt quod quiſque volens admiſit, patiatur inuitus, nimirùm vt qui noluit, ſe intra ſecretum ſui Ordinis cohibere, cum potuit, nequaquam ſæculo carere poſſit etiam cum reliquit.

8. Hinc (ſequitur) pretioſarum etiam veſtium amor naſcitur, ne videlicèt in publicum prodiens Monachus, deſpicabilis eſſe videatur, quo fit, vt dùm exterioris indumenti phalera quæritur, cuncta interioris hominis compoſitio diſſipetur; quæ reuera inſania falſa eſt, quia inſanum eſt occulti arbitrij Ibid. vt ſup. cap. 15.

Digitized by Google

iudicium ſuperbiendo contemnere, & humani fauoris auram molliori veſte captare. Falſum verò eſt, quia vndè oculos ſuperni Spectatoris offendit, indè etiam nihilominùs apud humanæ exiſtimationis iudicium cadit: & ex qua re hominibus videri clarior appetit, ex ea ſe quodammodo dentibus publicæ obtrectationis exponitur, cumque nitor indumenti ad intuendum ſe oculos prouocat, linguas etiam ad carpendum hunc, qui induitur, derogantium ſpiculis armat: nàm quiſquis Monachum mollibus indutum videt, protinùs illum Diuino vacuum ſpiritu, terrenis potiùs, quàm Cœleſtibus inhiare decernit. Qui verò è contra vilium deformitate veſtium fauorabilem vulgi mercantur applauſum, diuerſam quidem ab illis ſummam expendunt, ſed vna eſt merces, quam concorditer emunt, nempè vanam gloriam, quæ quædam negotiandi materia in medio poſita eſt, ad quam videlicet diuerſi mercatores accedunt; alij vilia indumenta tamquàm pretium de marſupio proferentes, alij contendentes redhibere pretioſa; licet qui viles veſtes afferunt, reliquis emptoribus continuò præferantur: nàm qui delicatis veſtibus vtuntur, ſæpè vndè captare auras fauoris exiſtimant, indè latiùs obtrectantium morſibus patent; qui verò vilibus cuiuſcumque intentionis ſtudio, ſcilicet ſiuè prauè, ſiuè rectè id faciant, ſanctitatis illos opinio contuentium plerumque commendat; & quò in exteriori habitu deformior quiſque conſpicitur, eò maiori

Ibid. vt ſup. cap. 17.

ſæpè

ſæpè dignus reuerentia iudicatur.

9. Multa deindè ſubinfert de ſtabilitate Monachi contra gyrouagos, docens, quòd cellam conſuetudo dulcem, vagatio reddit horribilem; ſed omnibus poſtpoſitis ſuperfluum eſſe, ac vanum dicit Monachum egredi, quia ſi olim tempus fuerat, quo bona annunciantibus mundus egebat: tunc elapſa erant, ac euoluta tempora, quibus Religioſus quiſque poterat ſæcularibus fructuosè conſulere, & in mente carnalium ſpiritualia non inutiliter ſeminare; nàm cuncti ferè homines obturauerant aures ſuas, vt non exaudirent vocem incantantis, & venefici incantantis ſapienter. [*Quis enim* Simoniacus (inquit) *noſtræ commonitionis inſtinctu ſua ſe aliquando ſede depoſuit? Quis alieni iuris violenter inuaſor paterno ſolo depulſos in patrimonia ſublata reſtituit? Quis in campo bellicoſis armatororum cuneis conſtipatus, ſi ex æquo congredi potuit, obſtaculo ſequeſtræ pacis ad propria niſi fuſo ſanguine repedauit? Quis exactor egeno debitori præfixum chirographo fœnus indulſit? Quis debitor creditoris hæredibus bonæ fidei iura ſeruauit? Omnia in orbe confuſa, cunctæ pietatis, ac fidei decreta conuulſa: à Iudicibus iuſtitia venditur. A Legiſperitis veritas cauillatoriæ argumentationis colore fuſcatur. Venales ſunt ſiquidem leges, & pecunia iuſtificat delinquentes. Aurum nunc ipſis Senatoribus præſidens, in tribunalibus iudicat, & velut Imperator quidam*

Ibid. cap. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29.

Ibid. vt ſup. cap. 29.

dam

Digitized by Google

dam pragmaticæ ſanctionis edicta promulgat. Sicut enim Rex in ſecretalibus adytis de Regni ſtatu, de rerum ſumma deliberat; quodammodo ſic aurum & latet in occulto, & ſententiam depromit in publico; in ſudario anguſto concluditur, & deciſis negotijs calculos iudiciales apponit. Plerumq; enim quos cauſa condemnat, mendax pecunia præmio dignos procaciter aſſeuerat; è contra quos conſcientia teſtatur innoxios, ſtatuit impiè coram Iudicibus reos. Nummus cor Iudicum circa diuites oleo impietatis emollit, erga pauperes verò ad exercendum vigorem rigidæ animaduerſionis impellit.

Ibid. vt ſup. cap. 30. 10. *Hæc nimirùm tempora Apoſtolico denunciantur oraculo, dum Timotheo futura prædicit.* 2. Timot. 3. *In nouiſſimis (inquit) diebus erunt tempora periculoſa, & omnes homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſinè benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes; atque his præmiſſis illicò ſubiungit: Et nos deuita; non dicit: His prædica, his verba vitæ denuncia; ſed hos deuita; quo profectò modernæ temeritatis inſolentiam arguit, atque ab infructuoſa tumidos quoſque prædicatione compeſcit.*

Quid

11. *Quid ad hæc nos Monachi dicimus, qui menſuræ noſtræ metas excedimus, atque ius nobis alieni muneris vſurpatoriè vendicamus? Si Paulus diſcipulum in hoc ipſo ſpecialiter conſtitutum ab incorrigibilium prædicatione probibuit; qua nos audaciæ nota corripimur, qui nequaquàm nobis delegato prædicationis officio, importunè nos metipſos ingerimus, & noſtra ſalute poſtpoſita, alienis quaſi profectibus inaniter inſudamus?*

12. *Cedat ergò, cedat ſterilis cura negotij. Superfluum iudicetur infructuoſo indulgere labori. In ſemetipſa mens totis collecta viribus redeat: aduersùs infatigabiles aduerſarios peruigil ſe ad certamen accingat. Charitatis quidem viſceribus erga omnes intrinſecùs affluat; ad exteriora verò ſe cauſa alienæ ſalutis extendere ſuperuacuum ducat. Ad ſe venientibus monita ſalutis impendat, nullius hortatu leuiter propriæ quietis lucra poſtponat. Imperialis edicti pagina veredario diſcurrente defertur, bullatæ nobis apochæ ab Auctore Sedis Apoſtolicæ diriguntur, Synodus congregatur, religioſis viris totius Concilij ſumma committitur. Solotenùs illicò ſe Monachus flectat, honorem ſacris litteris reuerenter exhibeat: huius tamen expeditionis munus à ſe alienum irretractabiliter ducat, reputans intra ſe: Quid mihi cum Regibus terræ? Quid mihi cum Synodali Conuentu? Sufficiat mihi peccatis meis flendis inſiſtere: ſatis mihi ſit me huic mundo mortuum exhibere.*

Na-

13. *Nolite, quæſo, Monachi, nolite ſub Eccleſiaſticæ compaſſionis ſpecie Regum aulas irrumpere. Nolite aures Principum, velut ſalutaria ſuggerendo, faſtidioſa importunitate pulſare. Credite experto, credite in huius gratiæ ſtudijs non leuiter fatigato. Imperatoriæ namque Maieſtati ſæpè, quæ ſuggerenda videbantur, expreſſimus, à Summis Pontificibus inuitati Synodalibus Concilijs interfuimus: ſed qui hoc tempore ita proſequitur, tamquàm ſi ſemina credere arenoſis littoribus videatur.*

Ibid. cap. 11. 14. *Sæpè namque in Concilijs Synodalibus poſiti, quoſdam ſibi feraliter conſcios præſidere in numero Sacerdotum vidimus, non modò ſui ſecuros; ſed vltrà etiàm ad aliorum crimina defendenda*
Act. 2. *impudenter accinctos: qui nimirùm (vt ferebatur)*
4. Reg. 5. *& cum Simone priùs emerant, & cum Giezi poſtmodum chariſmatum dona vendiderant. Quorum tanta vis erat ad excuſandas excuſationes in peccatis, vt inter cætera mala etiam Simoniacæ hæreſeos, non modò defenſores, ſed viderentur potiùs aſſertores. Quis ad iſtorum inuidiam Monachus mutire præſumeret? Quis ad arguenda crimina, vel iuſtitiam declarandam vendicare ſibi ius libertatis auderet? Illicò ſæuirent, illicò in nos duræ ſuggillationis arma corriperent, & præmiſſo iurgio, ſilentium imperarent, inter ſe ſcilicet hoc modo inuicem conquerentes: Ad Concilium hoc iudicaturi conuenimus.*

Sed

Digitized by Google

15. *Sed ò noua præſumptio! mortuorum ſententijs ſubiacemus, & Epiſcoporum ſunt Iudices facti, qui legaliter ſub eorum legibus fuerant conſtituti. Quibus aliquandò reſpondetur: Venerabiles Patres, & Domini, ſicùt vobis ſpecialiter prærogatum eſt iudicare, ita etiam minoribus Eccleſiæ membris competit quod ſentiunt in commune conferre: nec vlla Canonum auctoritas prohibet, iuniores, quæ Eccleſiæ ducunt profutura depromere, dùm tamèn ventilata negotia Pontificalis iudicij debeat clauſula terminare. Si quando ergò hoc, aut aliquid huiuſmodi illis, cum humilitate ſuggeritur, nequaquàm patienter admittitur: ſed quidquid à nobis in Synodo dictum eſt, totum ad inuidiam noſtram ſuperbo vocabulo iudicium nuncupatur.*]

16. PETRVS tandem concludit enixè deprecans, vt in ſe quilibet inexpertus Monachus diſcat ſibi à talibus declinare quàm diligenter expediat; Ibid. vt ſup. cap. 32. ſicùt in vno præuadante colligitur, vtrum à ſubſequenti exercitu ignotæ aquæ tutò fides habeatur: vt reprimatur nùnc quilibet frater in anguſto ſuæ remotionis ergaſtulo, vt infinitæ magnitudinis domus ſibi paretur in Cœlo, vt dedignetur cœnoſi huius mundi lutum ſæpius corporaliter terere, Ibid. vt ſup. cap. 33. cuius amorem, Deo inſpirante, iàm cœptum eſt libero mentis pede calcare, & vt ab eo, quẽ non diligit animus, corporeus quoque reprimatur inceſſus. Quæ quidem omnia, etſi Monachus ad Mona-

Digitized by Google

chos tamquam Monachi peculiaria mandauit; tamen vti vniuerſis vtiliſſima hìc ponenda decreuimus, vt videlicet ab ipſis vnuſquiſque diſcat, vel à malis mundi, quæ exprobrat, abhorrere, vel bona, quæ commendat, quantum ſibi licuerit, proſequi, & immaculatum ſe cuſtodire, licet in ſæculo, ab hoc ſæculo.

C A P. XX.

Poſt reditum à Concilijs Romanis, ad Deſiderium S. R. E. Cardinalem, Abbatem Caſſinenſem, Opuſculum de varijs miraculoſis narrationibus mittit.

1. ET fortaſsè eodem tempore, quo in propria à Concilijs Romæ habitis ſe receperat, illud Deſiderio S. R. E. Cardinali, & Abbati Caſſinenſi, ac cæteris illius Cœnobij Monachis, ſcripſit etiam Opuſculum, quod de varijs miraculoſis narrationibus nuncupatur, reſcribens ad litteras, quas ab eodem receperat, dùm Synodi haberentur; nàm ſcriptum eſſe non potuit, nec Romæ, vt inſignis quidam Scriptor arbitratus eſt, nec poſt Concilium Lateranenſe tempore Nicolai Secundi habitum, duplici ratione; quia nimirùm, & ſe ex Eremo ſcribere PETRVS DAMIANI aſſerit, dicens [*In hac etiam Eremo Fontis Auellanæ, vbi nunc habito &c.*] & quia nonnulla commemorat, quæ

Opuſcul. 34. tom. 3.

Baron. ann. 1059. n. 8

quæ ſibi fungenti Apoſtolica Legatione in Galliarum partibus contigerant, vt illud [*Adraldus dùm in Burgundiæ Regno mihi conuiator incederet: in hoc, inquit; loco &c.*] Et illud [*Hugo Abbas Cluniacenſis, cum ad ſuum me Monaſterium perduxiſſet, frater quidã &c.*] quæ quidẽ ſcribere non poterat anno milleſimo quinquageſimo nono, dùm in Gallias directum fuiſſe ſuprauidimus anno tantùm milleſimo ſexageſimo ſecundo, non à Nicolao, ſed ab Alexandro.

Ibid. vt ſup. cap. 6.

Ibid. vt ſup cap. 7.

Baron. ann. 1061.

2. [*Cum in meo pectore* (ſcribit igitùr Deſiderio) *tuæ charitatis ardor inextinguibiliter ferueat, meque circa tui memoriam tepeſcere non permittat; mihi nuper aliquid in memoriam venit, quod me mittendæ tibi Legationis admonuit. Nàm dùm in tui contemplatione ſedulus habitarem, & Angelico fratrum, ſanctoque Conuentui, ſic in cordis obtutibus velut corporaliter intereſſem; inter alia multa repentè tuarum recordatus ſum litterarum, quas tu quidem ſub interrogatione miſiſti, ſed bis ego Synodali præpeditus inſtantia, adhuc non reſpondi. Et hæc in illis, ſi reminiſci valeo, continebantur epiſtolis: quia zelotypa quædam mulier habens virum ex adulterij fraude ſuſpectum, qualiter eum ſibi vindicare poſſet proprio thoro contentum, à vicina petijt muliere conſilium. Quæ nimirùm peruerſa, & vltricibus flammis euidenter obnoxia, hoc eam ſacrilegium venenata ſerpentis antiqui ſuadela perdocuit; vt Cor-*

pus Dominicum quaſi communicatura perciperet; quod cautè reſeruans, viro ſuo poſtmodum, non ſine quibuſdam maleficijs propinaret. Quod videlicet à Sacerdote perceptum, & vſque dum occaſio præberetur palliolo reſeruatum, non ſine magno dedit ſtupore miraculum. Hæc enim particula Dominici Corporis inuenta eſt vſque ad medietatem in carnem eſſe conuerſam; altera verò medietas panis ſpeciem non mutauit. Itaque, ſi ritè remi niſcor, hoc propoſuiſti: deindè quid portenderet, inquiſiſti. Super qua quæſtione, quia non neceſſe eſt diutiùs immorari, breui compendio, quid mihi videatur, expediam. Nàm idcircò Deus Omnipotens ſacroſanctum illud Myſterium in carnis ſpeciem vertit, vt perfidiam reprobæ mulieris argueret, dum viſibilem Dominici Corporis oſtenderet veritatem: quatenùs quæ purum panem, vt videbatur ante, credebat, veræ carnis ſpeciem cerneret; ſicque ſacrilegam cœpti ſceleris audaciam ſuo ipſa iudicio condemnaret. Quod autem medietas ſic remanſit, ad euidentioris iudicij teſtimonium proficit; vt dum in vna, eademque ſubſtantia, hinc panis, illinc carnis adeſſe conſideras ſpeciem, in vtroque veræ carnis, verique panis indifferenter intelligas veritatem, quia & ipſe eſt panis, qui de Cœlo deſcendit, & ipſa nihilominùs caro, quæ de Virginalis vteri materia prodijt.

3\. *Nàm & veſter ille finitimus piæ recordationis Amalphitanus Epiſcopus, nomen neſcio,* Ste-

Stephano Romano Pontifici, me præſente, ſub iure iurando ſæpè teſtatus eſt, quia cum aliquandò ad menſam Domini ſacrificaturus accederet, ſed ſuper Sacramento Dominici Corporis incredulus hæſitaret; in ipſa confractione ſalutaris hoſtiæ, rubra prorsùs, ac perfecta caro inter eius manus apparuit, itaut digitos etiam illius cruentaret; ſicque Sacerdoti omnem ſcrupulum dubietatis auferret.]

4. Quæ epiſtola PETRI ad quæſtiones à Deſiderio propoſitas reſpondentis, quoniam ad Berengarij hæreſeos confutationem pertinere videtur, ideo ſtatim poſt Concilium Lateranenſe, in quo illa damnata eſt, ſcripta fuiſſe creditur; quod eſſe non potuiſſe, & ex ſupra allatis, & ex cæteris eiuſdẽ dem Opuſculi enarrationibus, quæ hæreſibus alijs, ac preſertim Inceſtuoſorum tractant, euidenter oſtẽditur; ex more enim ad alia digreditur, quamplurimas ad diuerſa ſpectantia referens hiſtorias, & tandem Opuſculum, ſiue epiſtolam tali pacto concludit: [*Sed iam ſe reprimens calamus cohibeat ſtylum, ne regulam breuitatis excedat epiſtolare compendium. Scribite, ſi placet diſtichon iſtud in Refectorio, ſub pedibus Apoſtolorum.*

Ignis Apoſtolicum linguarum flamma Senatum.
Germinat & varias quaſi vox fœcunda loquelas.

CAP.

CAP. XXI.

Alexander Papa rurſùs PETRVM DAMIANI, vt ſecum litteris agat, expoſcit. Reſpondens Pontifici, duas, quæ in Eccleſia tunc inoleuerant, prauas conſuetudines detegit.

Iſai. 14. 3. 4. 1. ET fuit etiam in die illa, cum dilecto Seruo ſuo requiem dediſſet Deus à labore ſuo, & à concuſſione ſua, & à ſeruitute dura, qua ante ſeruiebat poſt reditum à Romanis Concilijs, quòd in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis Auellanenſis aſſumere non potuit parabolam illam dicens: Quomodò ceſſauit exactor, quieuit tributum? (Baron. ann. 1065.) Nàm & in Eremo PETRO commoranti Alexander Pontifex ſignificauit, quòd ſicut viator ſitit ad fontem, ita eius deſideraret litteras, cuius præſentia perfrui non licebat. Sciens igitùr Beatiſſimus Vir ſe neceſſitate ſubditum eſſe, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ipſi reſcribens, duas, quæ tunc temporis inoleuerant in Eccleſia, prauas conſuetudines accuſauit, atque vt abolerentur, popoſcit. Et primùm quidem periculoſum eſſe oſtendit quibuſcumque decretis anathematis pœnam in fine apponi; quia ad hanc pœnam, tamquam ad ſcopulum leuiſſimis de cauſis offendentes homines, ſæpiſſimè naufra-

gium

Digitized by Google

gium patiebantur. Alteram verò conſuetudinem, quòd Epiſcopi à Presbyteris apud Archiepiſcopum, & Primatem accuſari non poſſent; qua & criminum impunitas, & liberiùs in quouis flagitij genere debacchandi tribuebatur licentia. Epiſtola igitur ita ſe habet.

2. [*Scripſiſtis, vt ſcriberem præcepiſtis, vt ſæpè vobis licet incultas ineptiæ meæ ſchedulas deſtinarem: verùm me magis libet ſlerē, quàm ſcribere, immò hinc grauiùs fleo, quia flere non valeo. Ita nimirùm à Synodo, cui veſtræ Sanctitatis auctoritas præfuit, contritus nuper, & arefactus abſceſſi, vt mens mea tot oppreſſa negotijs, more ſilicis obdurata, nec per imbrem ſe compunctionis emolliat, nec ſe quantumlibet ſuper ſe gratia intimæ contemplationis attollat. Hoc itaque mihi datur ad pœnam quod promiſſum eſt Sanctis datum eſſe per gratiam: Abſterget, inquit, Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Et in Pſalmo dicitur: Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis. Quod ergo ſanctis viris prærogatur ad præmium, hoc meis meritis infligitur ad tormentum. Quapropter hæc apud me definita ſententia eſt, quod de cætero, niſi me neceſſitas ineuitanda compellat, donec aduixero, Romanis me Concilijs funditùs abſentabo.* Epiſtol. lib. epiſt. 11. to. 1. Apocalip. 21. Pſal. 114.

3. *Prætereà duo quædam apud Apoſtolicam Sedem frequens vſus obtinuit, quæ ſi ſancta veſtra prudentia iudicat, vt nobis videtur, omninò digna*

digna ſunt corrigi. Vnum, quia cunctis ferè Decretalibus paginis anathema ſubiungitur; alterum, quia cuiuslibet Eccleſiæ filius, ſiuè Clericus ſit, ſiuè Laicus, exponere proprij exceſſus Antiſtitis prohibetur; quorum primum quàm ſit humanæ ſalutis immane periculum, & infinitè patens vorago labentium, ac pernicies animarum clementiæ veſtræ pietas non ignorat. Dicitur enim quiſquis hæc, vel illa non fecerit; ſiue certè quiſquis hoc, quod ſupra ſtatutum eſt, irritum duxerit, vel in aliquo violauerit, anathema ſit. Vbi notandum quàm lubrica, quàm præceps ſubitò ruendi illic procuretur occaſio, vt ante quis in æternæ mortis barathrum corruat, quàm ſe vel leuiter impegiſſe cognoſcat: & ſubſtratæ quodammodò tendiculæ, iàm pes eius innectitur, dùm ſe liberis adhùc incedere greſſibus arbitratur. Delinquit itaque quiſquis ille eſt in illud Apoſtolicæ Conſtitutionis edictum, & aliquando leui quadam, ac perexigua offenſione tranſgreditur: & continuò velut hæreticus, & tamquàm cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis ſententia condemnatur. Et cùm, dictante iuſtitia, alia ſit vltione plectendus, qui plus delinquit, alia qui minus excedit; hic grauiter, leuiterque peccantibus æqua cunctis, & indifferens pœna, ſolius ſcilicet anathematis irrogatur. Non tribunalium more, vel forenſis examinis, aut libertas cæditur, aut poſſeſſio confiſcatur, nec pecuniariæ mulctæ reus addicitur; ſed Deo potius

om-

omnium ſcilicet bonorum auctore, priuatur. Hanc itaque homo de homine pœnam ſumit, quam de ſui tranſgreſſione mandati ipſe quoque Deus Omnipotens non præſumit: Qui amat, inquit, patrem, aut matrem pluſquàm me, non continuò addidit ſit anathematizatus, vel maledictus, ſed tantùm ait: non eſt me dignus. Et in lege: Oculus pro oculo, Matth. 10. *dens pro dente, percuſſura pro percuſſura, aduſtio pro aduſtione dumtaxat exigitur, nec continuò,* Exod. 21. *qui reus eſt, de Synagoga proijcitur, vel maledictione damnatur. Non enim ſecundùm Stoicos, omnia peccata ſunt paria, atque idcircò indifferenti ſunt vltione plectenda, ſed iuxtà modum culpæ temperanda ſemper eſt menſura vindictæ. Porrò nec B. Papa Gregorius, vel cæteri Patres, qui diuerſis temporibus in Apoſtolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in ſuis reperiuntur obſeruaſſe Decretis, & vix eorum aliquando ſtatutis anathema ſubnectitur; niſi cùm Catholicæ fidei clauſula terminatur. Quamobrem ſi ſanctæ prudentiæ veſtræ placet, hunc morem de cætero à Decretalibus paginis amoueri præcipiat, & vel damni pecuniæ, vel alterius cuiuslibet vltionis calculum in earum tranſgreſſione præfigat, ne quod alijs eſt ad tuitionis monimenta prouiſum, alijs ad perniciem proueniat animarum.*

4. *Illud etiam, quod dicitur: Non licere cuiuslibet Eccleſiæ filium ad maiorem Eccleſiam proprij reatus Epiſcopi, & quæque ſunt corri-*

genda, deferre, nimis abſonum, & prorsùs Eccleſiaſticæ diſciplinæ probatur aduerſum. Nam cui melius dicitur quòd delinquit Epiſcopus, quàm illi, qui Magiſtri officio fungitur? Et ideò inter fratres reliquos præeminet, vt quod aliis non licet, ipſe ſolus per propriæ ſedis priuilegium errata corrigat Sacerdotum? Quis eſt enim hic arrogantiæ tumor? Quis elationis faſtus? Quæ denique tanta ſuperbia, vt liceat Epiſcopum per fas, & nefas ad propriæ voluntatis arbitrium viuere, & quod inſolenter exceſſum eſt à ſubiectis ſuis dedignetur audire? Præſertim cum illi non adierint tribunalia Præſidum, non forenſium pulſauerint examina cognitorum, ſed Eccleſiam potiùs adeant, & Sacerdotibus iudicabilia ſui Sacerdotis exponant; vt quod ſæcularibus venire poterat in deriſum, grauiter, & honeſtè per Sacerdotale corrigatur officium. Vbi profectò dignum eſt, vt is, qui impetitur, vel ex ratione ſe exhibeat innocentem, vel confiteatur humiliter peccatorem. Nec his allegationibus vtendum eſt, vt dicat ſe non debere ab his, qui ſibi ſubiecti ſunt accuſari, ne videatur exceſſibus ſuis velamen obtendere, & iudicium ſubterfugere, dùm conatur in alium motæ quæſtionis iniuriam retorquere. Quis enim neſciat, quòd Princeps Apoſtolorum Petrus poteſtatem Regni Cœleſtis accepit? Virtutem ligandi, ſiue ſoluendi quod vellet in Cœlis, ac terris obtinuit? Supra

mare

Digitized by Google

mare pedibus ambulauit? Sola ſui corporis vmbra ægrotantes erexit? Mentientes iaculo nudi ſermonis occidit? Oratione mortuos ſuſcitauit? Hic itaque tam ſublimis meriti vir, cum ex admonitione Sancti Spiritus ad Cornelium, Gentilem videlicet hominem fuiſſet ingreſſus, aduersùs eum quæſtio facta eſt ab his, qui erant ex circumciſione, fidelibus, quòd ad alienigenas introiſſet, atque cum eis comedere præſumpſiſſet, inſuper & in Baptiſmate recepiſſet. Hic, inquam, tot donorum Cœleſtium incomparabili virtute ſuffultus, tot miraculorum oſtenſione conſpicuus, querelæ ſubditorum non ex poteſtate reſtitit, ſed rationem reddendo humiliter ſatisfecit, cauſamque per ordinem veridicus relator expoſuit; quomodò videlicet vas quoddam velut linteum, in quo quadrupedia terræ, reptilia, atque volatilia inerant, de Cœlo ſubmitti viderit, vocem audierit: Surge Petre, macta, & manduca. Act. 10. *Qualiter etiam tres viri venientes eum ad Cornelium vocauerunt: qualiter poſtremò Spiritus Sanctus eum cum illis ire præceperit, & quemadmodùm idem Spiritus Sanctus, qui ſuperuenire iàm baptizatis in Iudæa conſueuerat, in Gentiles & ante Baptiſmum venit. Si igitur iſte cum à Diſcipulis culparetur, auctoritatem, quam in ſancta fuerat ſortitus Eccleſia, voluiſſet obtendere, reſpondere potuerat, vt Paſtorem ſuum oues, quæ ſibi commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed ſi in querela fidelium poteſtatis ſuæ titu-*

titulum obieciſſet, Doctor profectò manſuetudinis non fuiſſet. Non ergò eos priuilegij ſui auctoritate repreſſit, ſed humili potiùs ſatisfactione placauit, & tamquàm ſolus ipſe ad faciendam fidem non ſufficeret, etiam teſtes adhibuit: Venerunt, inquit, mecum & ſex fratres iſti. Diſcat ergò cum de ſuis actibus conuenitur Epiſcopus rationem humiliter reddere, non de ſui primatus eminentia ſuperbire; nec fieri ſibi credat iniuriam, cum à minori corripitur, ſed conſulentem potiùs, vel medicum ſui vulneris arbitretur. Numquid enim Nathan Propheta cum Dauid tàm auſteræ ſeueritatis inuectione corripuit, indignationem Regij motus incurrit? Numquid ille Regalis excellentiæ culmen oppoſuit, ac velut illatam à ſubiecto ſuo contumeliam propulſauit? Sed mox, vt ſe cognouit ægrotum, ſuſcepit libenter antidotum: detexit vulnus, & ſectionis ſuæ non exhorruit ferramentum. Vide humilem, languidum: Peccaui, inquit, Domino. Audi etiam velox medicinæ remedium: Tranſtulit Dominus peccatum tuum, non morieris. E contra Rex Achab, qui corripientem ſe Prophetam audire deſpexit, vltionis gladium, quem ille minatus eſt, non euaſit: Quia dimiſiſti, inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Dauid ergò culpam ſuam æquanimiter audiens, ſententiam mortis, quam merebatur, euaſit. Achab autem correptionis impatiens, impiæ pieta-

3. Reg. 12.

3. Reg. 20.

tis,

Digitized by Google

tis, quam indigno Regi contulerat, veniam non inuenit. Numquid & mulieres illæ, hoſpites videlicet Saluatoris inuicem inter ſe litigauerunt, dùm altera quereretur aduersùs alteram, quia ſolam ſe miniſtrare compelleret? Poterat enim Maria dicere, noſtrorum more Pontificum: Accuſaſti me, & torporis, ac negligentiæ condemnaſti. Non ſanè omnis querela protinùs accuſatio dicenda eſt. Nam aliud querela compaſſionis, aliud accuſatio ſimultatis, & odij. Iſta nimirùm fit, vt offenſio corrigatur; illa verò vt is, qui offenderat, condemnetur. Petrum planè in faciem reſiſtens Paulus obiurgat, & coram omnibus reprehenſibilem iudicat. Quod ille non in accuſationis tulit iniuriam, ſed benignè, & patienter accepit, quod non ex liuore, ſed ex charitate procedere perſpicuè recognouit. Galat. 2.

5. *Sed ecce dicitur: Ego ſum Epiſcopus, ego ſum Paſtor Eccleſiæ, non debeo à commiſſis ouibus accuſationum patere moleſtijs; etenim in cauſa fidei dignus ſum etiam in prauis moribus æquanimiter ferri. Sed dic mihi quiſquis es, numquid legiſti quod in Euangelio ſcriptum eſt: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum; ſi te non audierit, adhibe tecum duos, vel tres teſtes, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum; ſin autem eos non audierit, dic Eccleſiæ? Si Eccleſiæ ergò referenda eſt cauſa quorumlibet fratrum,* Matth. 18.

trum, quomodò non etiam Sacerdotum? Porrò ſi Sacerdos, qui in Eccleſia peccat, dedignatur in Eccleſia diſcuti, quis iàm ferat Eccleſiæ ſe legibus coerceri? Porrò ſi Eccleſiæ tuæ filijs, vt aſſeris, aduersùm te mutire non liceat, numquid aliundè producendi ſunt teſtes, qui te, & tua per abſentiam domeſticæ cohabitationis ignorant? Beatus Iob dicit: Si contempſi iudicium ſubire cum ſeruo meo; & tu dicis. Abſit, vt digner ad examen venire cum Clerico meo. Deus Omnipotens per Iſaiam clamat: Iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me. Si is qui iudicat omnia, non dedignatur à ſeruis argui; tu ſeruus vtique cum conſeruo in iudicium venire faſtidis? Et cum ſis terra, & cinis, vermis, ac puluis, humiliare te deſpicis ad imaginem Conditoris? Præſertìm cum Scriptura dicat: Ducem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex illis. Quis planè neſcit, quia Samueli Iſraelitica plebs præiudicium intulit, eumque de Principatu iniuſtè deiecit? Et cum eos arguere meritò potuiſſet, vltrò ſe arguendum nullis accuſantibus obtulit; & vtrùm eos in aliquo violenter oppreſſerit, inquiſiuit: Ecce præſtò ſum, inquit, loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quemquàm calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſpiam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. Cum ergò tàm incomparabiles, tàm eminen-

Iob 3.

Eccleſ. 36.

1. Reg. 12.

Digitized by Google

nentes, atque ſublimes viri ſubditis ſuis rationem reddere de proprijs actibus non deſpiciant, quis arrogantiæ typus, quis eſt iſte tantæ ſuperbiæ faſtus, quo Sacerdos huius temporis intumeſcens, titulum ſui Præſulatus opponat, & Eccleſiæ ſuæ filijs, qui ſe grauatos aſſerunt, ex æquo in iudicio non reſpondeat?

6. Excludatur ergò ab Eccleſiaſtica diſciplina perniciosæ conſuetudinis regula, tollatur hæc ſubterfugij verſuta calliditas; vt is, qui tàm peruerſis audacis ſuperbię allegationibus vtitur, immunitatem commiſſi piaculi non lucretur. Iuſtis ergò querelis liber pateat aditus, liceat apud primatem Eccleſiam conqueri, quæ ſe à ſuo Pontifice viderit prægrauari, ne de ſublimis prærogatiuæ ſingularitate ſuperbiat, qui ſe per arrogantiæ faſtum fratribus non coæquat. Et qui cenſoriam ſuper alios concutit virgam, ipſe quoque ſuper ſe vigoris Eccleſiaſtici ſentiat diſciplinam. Quique non humanum ſonat, ſed ſuper alios quaſi fulgur terribiliter intonat, aliquando ſe hominem recognoſcens, humana verba formare per humilitatem diſcat, quatenùs dùm Prælatus quilibet arrogans à tumore elationis deprimitur, ſubiectis autem per auctoritatem ſuperioris Eccleſiæ ſubuenitur, ſopitis vndique iurgijs, & Synodalis examinis concepta formidine, omnia ſimùl Eccleſiæ membra confœderentur in pace.]

7. Ita PETRVS, & matris pietatem, & patris.

tris exhibebat diſciplinam, ne aut diſtrictio rigida in fideles, aut pietas in Prælatos eſſet remiſſa, & iuſtè conſolante miſericordia, & piè ſæuiente diſciplina; miſcendo enim lenitatem cum ſeueritate fecit quoddam temperamentum ex vtroque, vt neque multa aſperitate Eccleſiæ exulcerarentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluerentur Prælati. Et in Sancti Doctoris pectore fuit, quaſi in Arca Domini, cum tabulis virga ſimùl, & manna; virga nempè diſtrictionis, & manna dulcedinis. Vndè aptè ipſi Sancta Mater Eccleſia illud Dauidicum dicere potuit: Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Ipſi etenim præbuit diſtrictionem virgæ, qua feriret; conſolationem baculi, qua ſuſtentaret. Amorem illam docuit, ſed non emollientem; rigorem, ſed non exaſperantem; zelum, ſed non immoderatè ſæuientem; pietatem, ſed non plùs quàm expediret, parcentem, vt pauperum miſereretur conſiderans figmentum eorum; & ſcirent qui præſunt, quoniam homines ſunt, & quod ſuper capita eorum Deus homines etiam mirabili impoſuit prouidentia, ne ſuperbè ſaperent, ſed timerent.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XXII.

In Germaniam reuertitur Agnes Auguſta; quæ deinde ad limina Apoſtolorum à PETRO DAMIANI iterum reuocatur. Eiuſdem Auguſtæ reditus, geſta, & obitus.

1. AT circa hoc tempus Agnes Auguſta, annuente PETRO DAMIANI, in Bar. ann. 1065. Germaniam reuerſa erat, & cum moras faceret, ſollicitus erat pater eius pro ea. Cœpit enim contriſtari nimis, & flere, eo quòd die ſtatuto minimè reuertebatur filia eius ad ſe; nam licet Sanctiſsimi Sacerdotis imperio obedire ſoleret in cunctis, tamen in hoc ita prompta eius dicto non obediuit, quoniam in Germania permanſit vſq;ad annum 1066. Flebat igitur irremediabilibus lacrymis Beatiſſimus PETRVS, timens ſexus lubricitatem, & nullo modo conſolari potens, quotidiè exiliens circumſpiciebat, & circuibat in corde ſuo vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, vt procùl videret eam, ſi fieri poſſet, venientem. Tandèm dolore compulſus, hanc illi ſcripſit epiſtolam, quam Gotthefredo Duci tranſmiſit, dicens: [*Excellentiam veſtram humiliter obſecro, vt ſi quem ad* Epiſtol. lib. 7. epiſt. 11. to. 1. *Theutonica loca tranſmittis, pro charitate noſtra ad Dominam meam Imperatricem hanc epiſtolam dirigas.*] Auguſtæ igitur.

Digitized by Google

Epiſtol. lib. 7. epiſt. 8. tom. 1.

2. *Vix referre ſufficio*, inquit, *quanto cor meum mœrore confunditur, dùm reditus veſtri lætitiam ſuſpenſis quotidiè viſceribus præſtolatur. Heù me! cur itineri veſtro vecors, ac ſtolidus aſſenſum præbui? Immò cur egredienti me ipſum non violenter oppoſui? Cur non equorum fræna corripui, & curſum veſtrum vel obuijs manibus, in quantum licuerat, non tardaui? In veſtri planè receſſus abſentia, mœret Roma, Beati Petri luget Eccleſia, & tota per ſanctos viros, ac mulieres lamentatur Italia. Tu ſiquidem velut aureum ſydus, terrena quærentium videbaris illuſtrare caliginem; atque ad Deum prouocans, micantis exempli refundebas te ſequentibus claritatem. Et vt multa prætercam, ego quoque donec te procùl abeſſe ſuſpiro, Romana conſpicere mœnia perhorreſco. Reuertere ergò, Domina mi, reuertere, teque lugentibus feſtiuam redde lætitiam, qui rutilantem Cœli gemmam de capite mundi Roma, quodammodò ploramus auulſam. Ingerat tibi nauſeam Aula Regalis Imperij, ſola tuis naribus ſagena redoleat Piſcatoris. Illic cum Petronilla ſimùl habere te libeat ſepulturam, vt inſignis ille pater geminam iuxtà ſe, carnis videlicet, ac ſpiritus, gaudeat requieſcere filiam. Dominum meum Lopertum Epiſcopum æquè ſaluto, & vt citò reuertatur, imploro.*]

3. His tamen auditis tanto patri obedire non diſtulit ſapiens filia; nam protinùs Romam reuerſa eſt.

Digitized by Google

ſa eſt. Et verè beata audiuit eum, & vigilans ad fores Beati Petri, quotidiè obſeruauit ad poſtes oſtij eius vſque ad annum ſeptuageſimum ſecundum ſupra milleſimum, quo officio Chriſtianæ pietatis impulſa, Vormatiam venit ad Henricum filium, ampliſſimo ſtipata numero Abbatum, & Monachorum, vt Rodulphum Ducem Sueuiæ innocentem, accuſationibus impetitum liberaret; quod obtinuit: nam coram Rege cum interpoſita fide Colonienſis, & Moguntini Archiepiſcoporum Dux veniens, ab omni criminis ſuſpicione abſolui meruit. Poſt quæ Romam iterum rediens, & deinde Caſſinum, ibidem ſex menſes commorata eſt, Regalibus muneribus Cœnobij Eccleſiam proſecuta. Anno verò ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimum ſub Gregorio Papa Septimo Legatione functa eſt Apoſtolicæ Sedis vna cum Epiſcopis Oſtienſi, Præneſtino, Curienſe, & Comenſe à Gregorio eodem miſſa, vt componeret, ſi valeret, multo iam tempore vacillantem Galliarum ſtatum. Poſtremo iterum Romam reuerſa anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo 14. die menſis Decembris feliciter ex hac vita migrauit, atque in Lateranenſi Baſilica ad tempus ſepulta, poſt dies viginti duos tranſlata eſt ad Baſilicam Sancti Petri, & apud S. Petronillam condita eſt, vti concupierat pater eius Beatiſſimus PETRVS, cui ſimilis fuit Auguſta, tam in vitæ auſteritate in ieiunijs, & vigilijs ſupra humanas vires, quàm in zelo Catholicæ

Bar. an. 1072. & ſequent.

Digitized by Google

Religionis, vtpotè quę pro ea plurimum laborauit; nec vmquam conſentiens fuit Henrico filio ſuo contra Apoſtolicam Sedem; ſapiens enim & prudens, accipiens oleum in vaſis ſuis cum lampadibus, meruit cum PETRO (vt piè credendum eſt) in Cęlis coronari, quem tam ſtrenuè imitata fuerat in terris: vnde in Cœleſti Regno aſtitiſſe Reginam à dextris eius in veſtitu deaurato circumdatam varietate, fideliter cenſemus.

CAP. XXIII.

A Simoniacis, & Nicolaitis denuò exagitatur Mediolanenſis Eccleſia. Ad quoſdam eiuſdem Clericos Orthodoxos PETRI DAMIANI epiſtolæ, quibus martyrium diuinitùs ijſdem prædicit.

B. Baron. ann. 1066.

1. [SEd conuertamus orationem ad miſerandum ſtatum Mediolanenſis Eccleſiæ (vt refert Baronius) ſub Vvidone Archiepiſcopo relapſo, in deterius laborantis: hic enim, ad vomitum redeuntis canis inſtar, reuerſus eſt turpiùs ad peccata illa omnia, quæ ſub PETRO DAMIANI, publicis editis ſcriptis, fuerat deteſtatus, & pro illis diluendis iniunctam ab eo ſuſceperat pœnitentiam: nàm aduersùs Clericos illos, qui in fide conſtantes, forteſque perſtarent, perſecutionem

nem

Digitized by Google

nem diriſſimam excitauit; adeoùt nec ſe à ſanguine temperaret viri ſanctiſſimi Arialdi eiuſdem Eccleſiæ Clerici, quia (vt ſuperius dictum eſt) diù, multùmque pro cuſtodia ſanctarum legum aduerſùs Simoniacos, & Nicolaitas indefeſſo ſtudio laborauit. Sic loco portenti habitum, vt qui in Cathedra ſederet Ambroſij, nece afficeret eos, quos ſciret ſeruare quæ ſeruaſſet, & ſeruanda prædicaſſet Ambroſius.

2. Anno igitur 1066. 5. Kalendas Iulij martyrio idem coronatus eſt Sanctus Arialdus opera ipſius Vvidonis Pſeudoepiſcopi Mediolanenſis Eccleſiæ. Erat Arialdus vir nobilitate inſignis, vtpotè germanus cuiuſdam Marchionis, natus in Villa inter Mediolanum, atque Comum poſita, cui nomen Cutiacum; cuius res præclarè geſtas, ſcripſit Syrus Presbyter. Arialdus igitur inſignis pietate vir, commiſeratus ſtatum Mediolanenſis Eccleſiæ, quam dira perſecutio Schiſmaticorum, Henricianorum & Simoniacorum, atque Nicolaitarum vexabat in Legatione PETRI DAMIANI ad eam Eccleſiam ab his malis purgandam miſſi, Mediolanum ſe contulit anno 1056. ſub * Victore Papa Secundo, ibique per decennium, vſque ſcilicet ad annum 1066. in eadem functione iugiter perſeuerans, in primis aduersùs Vvidonem Schiſmaticum Archiepiſcopum præuaricatorem conſtantiſſimè ſtetit. At verò qui lupus in grege, non paſtor erat, eumdem ipſum Arialdum, quem iugiter

* Corrige Sub Nicolao Secundo.

ter

ter patiebatur monitorem, & reprehenſorem infeſtum, dira iugitèr vſque ad necem perſecutione vexauit; quem tandem proditione captum, & per ſuos ad inceſſas ſolitudines trans Lacum maiorem poſitas, ductum (ne populus commoueretur) necandum curauit.]

3. Obortæ huius tempeſtatis in Arialdum ipſum, & alios Clericos Mediolanenſes fideliter certantes vſque ad mortem, neque admittentes illicita propter vitæ amorem, & ſonitus maris, & fluctuum ad aures peruenit Beatiſſimi olim Legati PETRI DAMIANI; qui nimirùm lætatus eſt vehementer, & gratias agens Deo pro omnibus illis in gratia Dei, quæ data eſt eis in Chriſto Ieſu, quòd in omnibus diuites facti eſſent in illo in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum erat in illis, itaut eis nihil deeſſet in vlla gratia expectantibus reuelationem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ipſis ſequentem ſcripſit epiſtolam, in qua de Mediolanenſis Eccleſiæ diſcordijs, & ſcandalis primò conqueritur; deinde eorum conſtantiam, fidem, & longanimitatem in tuenda veritate commendans; Cœleſtem inſuper felicitatem à Chriſto Ieſu, qui & confirmaturus erat illos vſque in finem ſine crimine, in die aduentus Domini Noſtri Ieſu Chriſti, non modò precari, ſed prædicere videtur: dicit igitur.

[*San-*

Digitized by Google

4. [*Sanctis fratribus Rodulpho, Vitali, & Arialdo, atque Erlembaldo, & cæteris pro caſtris Chriſti inuicta fide certantibus, PETRVS peccator Monachus ſalutem in Chriſto.*

Omnipotenti Deo gratias agimus, dilectiſſimi, quia vos, fama diſcurrente, frequenter audimus in eo, quem de Spiritu Sancti gratia concepiſtis, pio feruore perſiſtere, & aduersùs hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ indeficientis animi viribus dimicare. Non enim ceſſat trapezita nequiſſimus officinam ſuæ peruerſitatis intrà Eccleſiæ ſepta conſtruere, non deſinit tartareæ monetæ nummos malleis cudentibus fabricare. Nicolaitarum quoque hæreſis, quæ nobis vobiſcum ſimùl collaborantibus videbatur euulſa, rediuiuis adhuc germinibus pullulat, & ſegetem Chriſti maturo iam decore flauentem zizaniorum feraliter emergentium adumbratione ſuffocat. Vndè procidimus Domino querula lamentatione, dicentes: Domine nonnè bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vndè ergò habet zizania? Adijcimus etiam: Viſimus, & colligimus ea? Sed conſolatoria protinùs nobis voce reſpondet: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate Epiſtol. lib. 5. epiſt. 14. to. 1.

in

in horreum meum. Nàm cum omnia poſſit procùl dubio Deus, poſſet vtique ab agro Mediolanenſis Eccleſiæ omnium hæreſeon peſtes procùl abijcere, & illæſa vernantis fidei frumenta ſeruare: ſed vult fidelium ſuorum probare conſtantiam, quàm videlicet violenter arma corripiant, quàm robuſtè manus manibus conſerant, quàm denique infatigabili contra diabolum, eiuſque ſatellites animoſitate confligant. Poterat enim & iſtorum magiſtrum, videlicet Simonem, olim ſuis Apoſtolis aduerſantem, ne in aera leuaretur, obſiſtere, ſed ad hoc permiſit extolli, vt ad ſui maiorem gloriam, & illius ignominiam compelleret in ima demergi. Quamobrem, dilectiſſimi, dimicantes aduersùs geminam diabolicæ legionis aciem, nolite ceſſare, nolite degeneri puſillanimitate deficere: ſed tamquam verè filij Beniamin, qui dexteræ filius dicitur vtraque manu ſolito feruore confligite, & bicipitis monſtri caput Diuini verbi gladijs obtruncate. Ecce nimirùm Ieſus, ex cuius ore gladius ex vtraque limatus, & acutus parte procedit: & obuia quæque metens, cruentam hoſtium barbariem ſternit. Quod ſi fortaſsìs exaduerſo multiplicata malignantium verba videntur ingruere, illud Eliſæi verbum fiducialiter inclamate: Plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Quid plura dicam? Illud Apoſtolicum infero: Licet Angelus de Cœlo euangelizet vobis, præterquamquod euangelizaui, anathema ſit. Nàm ecce, qui iam priùs Nicolaitarum,

tarum, & Simoniacæ hæreſeos laqueis tenebantur aſtricti, nunc ad perditionis ſuæ cumulum etiam poſt violata iuriſiurandi ſunt ſacramenta periuri; vt in eis luce clariùs impleatur quod in Apocalypſi per Ioannem dicitur: Qui nocet, noceat adhùc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhùc. In vobis autem è diuerſo, quod ſequitur: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Familiare ſcilicet, & genuinum Mediolanenſi fuit ſemper Eccleſiæ, vt in ea diuerſi dogmatis homines, & Auxentius, ſimùl & Ambroſius non deeſſent. Ille ſcilicet tamquàm rabida canicula fidelibus oblatraret; iſte veteris, & noui Teſtamenti teſtimonijs eum cornuta quodammodò furca repelleret. Ille viperini fellis propinaret errorem; iſte ſuperni fontis irriguam influeret puritatem. Ille ſequaces ſuos virulento lacte nutritos, & per aſtutiam fraudis illectos in tartarum mergeret; iſte per Apoſtolicæ doctrinæ dulcedinem ad Cœleſtis gloriæ præmia ſubleuaret. Ille ſibi credentibus tenebras cæcitatis induceret; iſte Sacerdotalibus obedientes imperijs ad ſplendorem veræ fidei, & lumen æternæ gratiæ reuocaret. Quapropter libet in eius præconiũ, quibus pro tempore valeo gaudere, laudibus exclamare: Deus Omnipotens, dilectiſſimi, & per claues Beati Petri Apoſtoli vobis ianuam Regni Cœleſtis aperiat, & per orationem Beati Ambroſij Pontificis veſtri clementer à vobis omnia tenebroſi ſpiritus inqui-

namenta detergat. Det vobis in ea, quam ſemèl cœpiſtis, inuiolata veritate perſiſtere: & in Apoſtolicæ fidei petra fundatos cunctis prauorum dogmatum erroribus inſuperabiliter reſultare. Annuat vobis in huius vitæ tranſitu ſic per omnia viuere, vt cum eo ſimùl, qui Auctor eſt vitæ, in illa Cœleſti Ieruſalem mereamini ſine fine gaudere. Amen.]

5. Huic ſimilem perbreuem aliam reperimus epiſtolam, in qua, quæ in ſuperiori, breuiùs continentur.

6. [*PETRVS DAMANI Rodulpho, Vitali, Arialdo, Erlembaldo fratribus ſalutem.*

Ibid. vt ſup. epiſt. 15.

Gratias agimus Deo, quòd conſtanti famæ audimus, vos conſtanter aduersùs hoſtes Eccleſiaſticæ diſciplinæ certare. Nicolaitarum hæreſis, quæ vobis nobiſcum laborantibus videbatur euulſa, repullulat: Deus vult probare conſtantiam ſuorum. Ecce, qui priùs Nicolaitarum, & Simoniacæ hæreſeos laqueis tenebantur, nunc ad perditionis ſuæ cumulum ſunt etiam, violato ſacramento, periuri. Quod tamen in Mediolanenſi Eccleſia non eſt nouum, quæ ſemper diuerſi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio, atque Ambroſio inchoato.]

Ita

7. Ita ſupra modum pater mirabilis, & bonorum memoria dignus, pereuntes filios conſpiciens bono animo ferebat proptèr ſpem, quam in Deum habebat; ſingulos illorum hortans voce fortitèr repleta ſapientia, vt propter teſtamentum Domini, & leges paternas Sancti Dei traderent corpora ſua in mortem: & credendum eſt, quòd licèt eum pro Catholica veritate toties pugnantem, perſecutoris gladius non abſtulerit, tamen martyrij palmam non amiſerit; nàm videns certantes, in omnibus ipſe certauit, dùm eorum corda in amore ſupernæ patriæ prædicando roborauit, & in omnibus vincentibus, ipſe vicit; vndè & eorum coronam iure promeruiſſe perhibetur.

8. Tandèm non prætereundum, anno Domini 1067. ad Mediolanenſis Eccleſiæ diſſidia ſedanda Alexandrum Pontificem, Mainardum Cardinalem Epiſcopum Syluæ Candidæ, & Ioannem Preſbyterum Cardinalem miſiſſe (vt refert Baronius) qui intèr illa, quæ illius Eccleſiæ miniſtris ſeruanda decreta preſcripſerunt Beatiſſimi PETRI adhuc viuentis, hæc confeſſi ſunt memoriæ ſanctitatis eius: [Quia itaque (eorum ſunt verba) per confratrem noſtrum Dominum PETRVM Oſtienſem Epiſcopum, reuerendæ ſanctitatis Virum quædam ſunt olim in hac vrbe correcta, non opus eſt ea, vel præteritas lites omnibus notas replicare, ſed quæ nunc ſunt, Canonica diſciplina à nobis ſtatuta, ad futurorum memoriam Bar. ann. 1067.

Digitized by Google

„ riam litteris exarare.] Hucúſque præfati ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Legati.

C A P. XXIV.

Caſſinum pergere cogitur à Deſiderio eiuſdem Cœnobij Abbate PETRVS DAMIANI, ibique miraculis eius ſanctitas comprobatur.

1. HOc tempore requieuiſſe credendum eſt in ſolitudine Hominem Dei ab omni opere, quod patrarat. Cui tamèn ambigendum non eſt aſtitiſſe ſapientiam ſcribæ in tempore vacuitatis, & quòd minoratus actu, ſapientiam perceperit; quòd ſapientiam omnium antiquorum exquiſierit ſapiens, & in Prophetis vacauerit; narrationem virorum nominatorum conſeruauerit, & in verſutias parabolarum ſimùl introierit; quòd occulta prouerbiorum exquiſierit, & in abſconditis parabolarum conuerſatus fuerit. Ab anno enim ſexageſimo ſeptimo, in quo tandem (vt diximus) percuſſum eſt caput Cadaloi in Mantuano Concilio, & denudatum eſt fundamentum eius vſque ad collum, & ſancta Synodus illa maledixit ſceptris eius, qui vt turbo venerat ad diſpergendam Eccleſiam vſque ad ſexageſimum nonum; adiuraſſe cenſemus Cœleſtem Sponſum filias Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum,

rec

ne exterioribus pro communi Eccleſiæ bono ſollicitudinibus ſuſcitarent, neque euigilare dilectam PETRI animam facerent, quoad vſque ipſa vellet; nam de Beatiſſimo Viro nihil peculiare hoc temporis intermedio in Eccleſiaſticis monumentis reperitur.

2. Dum ergò ipſe in Deo ſalutari ſuo, & viciſsìm requieſceret ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis; excitauit ſedentem ſub vmbra illius, quem deſiderauerat, Deſiderius S.R.E. Cardinalis, & Abbas Caſſinenſis, & impleuit eum amaritudinibus. Conſiderans enim in timore caſtam eius conuerſationem, qui olim guſtauerat quàm bona eſſet negotiatio eius, & perceperat abſconditum cordis hominem in incorruptibilitate quieti, ac modeſti ſpiritus, in conſpectu Dei locupletem, per internuncium comminatus eſt illi, niſi ad ſuum Monaſteriū viſendum quamprimum accederet, orationum ſuffragia, ſi ſe, viuente decederet, à Caſſinenſibus Monachis non habiturum. Quod quidem ad annum, vel ſexageſimum ſeptimum, vel octauum ſupra milleſimum pertinere potiùs videtur, quàm ad annum milleſimum ſexageſimum tertium, vel ex ipſa Sancti Viri epiſtola reſponſiua, qua ſe nimia ſenectute confectum dicit; vel ex relatione Ioannis eius diſcipuli, qui Caſſinum Beatum Virum petijſſe dicit, dùm Baſilica S. Patris Benedicti

Bar. ann. 1063.

Io. diſcip. in vit. cap. 20.

fun-

fundabatur; quam quidèm inchoatam fuiſſe anno nono creationis Deſiderij in Abbatem Caſſinenſem, refert Leo Oſtienſis, nempè anno Domini ſexageſimo ſeptimo ſupra milleſimum. Nam ſicut ſuffragiorum PETRO à Deſiderio conceſſio anno 63. tribuitur; ità tribuenda videtur comminatio, de qua loquimur, anno ſexageſimo ſeptimo vel octauo, quo nimirùm tempore vacans à publicis Eccleſiæ negotijs Beatus Vir, excuſationem adferre non poterat Caſſinum non adeundi. Igitur comminationibus Deſiderij hoc PETRVS dedit reſponſum.

Leo Oſtien. Cronich. lib. 3. cap. 18.

Opuſc. 33. in præfation. 1.

3. [*Non ignorare te patior, venerabilis Pater, quia Vviduncculus ille, puer videlicet noſter, acrem mœroris aculeum meis viſceribus intulit, cum id, quod mihi minatus es, per ordinem nunciauit. Dixiſſe ſiquidem te retulit, quia niſi Caſſinenſe Monaſterium, quod vtique nobiliter regis, inuiſerem; orationem ſancti loci, ſi, te viuente, defungerer, non haberem. Quæ videlicet minæ, cum eas ad mentem reuoco, non vt acus pungunt, ſed conti potius more, vel ſpiculi viſcera noſtra tranſfodiunt. Geminis ſiquidem neceſſitatis vndique coarctor obſtaculis; nàm & propinqui obitus me reddit ætas matura ſuſpectum, & tot Sanctorum oratione fraudari non leue periculum. Veniens itaque medullitùs pertimeſco, ne dùm Monaſterium quæro, extra Monaſterium moriar. Mors enim licet alijs ſit incerta, procùl dubio tamen*

men

Digitized by Google

men ſenibus eſt propinqua. Ætas enim, cui non ſucceditur, finem vitæ proximum comminatur. Non veniens autem nihilominùs paueo, ne ſi fratribus, quibus interſum, inſeparabiliter hæream, vberioris, & incomparabiliter ſanctioris ſubuentionis auxilium conuentus amittam. In vtriuſque igitur periculo meditullio conſtitutus, quid mihi potiùs ſit agendum, ad liquidum non diſcerno, dum è duobus quidquid elegero, ſuſceptionis ambiguæ laqueum non euado.

4. *Sed cum quindecim ferè dierum medium nos iter abſentet, par fuerat, vt quod ſeni præcipis, ipſe prior experireris, valens ſcilicet ætate, præualidus robore: inſuper adde, quia & abundas vehiculis, & conſtipantium miniſtrorum obſequijs. Fertur & Phalaris huius prætendiſſe legis exemplum, qui nimirùm cum licèt Regnum in tyrannidem verteret, & exquiſitis quoſque nocentes ſupplicijs atrociter laniaret; faber quidam æreum ſibi taurum obtulit, atque in eum igne candentem damnatitij quique proijcerentur, inſtruxit. Placere ſibi quidem de crudelitate potiſſimùm credidit, quem & inferendis ſemper ſupplicijs inhiantem, & inhumanæ cognouit crudelitatis au-ctorem. Præſertim quia dùm quiſque proiectus in beſtiam, voces emitteret; taurus quodammodò videretur naribus, & ore mugire. At ille munifico ſuo, quæ merebatur, dona redhibuit: Amice, inquit, de collato quidem munere gratias ago, ſed* Ibid. vt ſup. cap. 1.

volo

volo, & ineuitabiliter impero, vt quod me docuiſti, pariter experiaris. Protinùs igitùr proiectus in taurum, quod inferri alijs docuit, prior ipſe probauit, & pœnæ factus eſt auctor, qui pœnalis labyrinthi fuerat ante conflator. Age igitur & ipſe, qua præcipis, & iuuenis ad ſenem propera, qui ſenem, vt ad te gradiatur, inuitas. Verumtamen, nunc ſeriò loquar, ſi per tàm longinqui itineris ductum, Beati Benedicti Patris noſtri limen attingere licuiſſet, ego non paruæ mercedis cumulum deputarem, & certum teneo, quia ſi in illius peregrinationis itinere me obire contingeret, non tam proprij reatus me grauaret exitium, quàm illius attolleret dignitas meritorum.] Quod & probat exemplo, & ad alia deindè tranſgrediens ex more, agit de Officio Beatiſſimæ Virginis, de ieiunijs, & cæteris ſanctis obſeruantijs, iàm olim in ſuis Monaſterijs, & Eremis, & à Caſſinenſibus deindè Monachis, eius hortatu receptis, vt ſuprà retulimus.

Ibid. vt ſup. Cap. 2. Cap. 3. Cap. 4. Cap. 5. & 6.

5. Poſtremò multa de eleemoſynarum inſtitutis, & alijs inſuper, quæ nouiter in ſuis Eremis, & Monaſterijs introducta fuerant, diſſerens: [*Suggero, atque humiliter peto*, inquit, *vt ipſe notum hoc eorum, quæ prædiximus, arripias inſtitutum, nec à minimis fratribus mutuari dedigneris exemplum. Meliùs eſt certè Doctoribus à diſcipulis diſcere, quàm ſuperbè, quæ recta ſunt, ignorare. Honeſtiùs eſt maiori, vt quæ neſcit, addiſcat, quàm quæ*

Ibid. cap. 7.

Digitized by Google

quæ diſcenda ſunt, neſciat.] Et poſt nonnulla de obedientiæ virtute, ad vltimum. [*Verùm quiſquis obedientiam prædicat,* dicit, *illi ſummoperè cauendum eſt, vt eum nota rebellis inobedientiæ non inurat. Nàm vbi diſtat opus à labijs, fœdatur nomen auctoris, quoniam qui idipſum, quod ore ſtatuit factis oppugnat, legem procùl dubio deſtruit, quam promulgat. Quapropter ipſum obedientiæ deprecor, & humilitatis Auctorem, vt in proximo dignetur à me huius infamiæ probra repellere, meque permittat hunc Prophetæ verſiculum in Caſſinenſis Cœnobij foribus decantare: Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.*] Ibid. cap. 8.

6. Quæ verò in manu Serui ſui tunc in Caſſinenſi Cœnobio fecit Dominus mirabilia magna, refert Ioannes eius diſcipulus, vt ſequitur.
„ [Ipſum verò præfatum Cœnobium Caſſi-
„ nenſe, dùm aliquando idem Domnus PE- Io. diſcip. vit. cap. 10. pag. 14.
„ TRVS ex more viſitaſſet; (aduerte lector ſi
„ pluries Caſſinum adiuit,) cum eſſet ibi, Beati
„ Benedicti Baſilica fundabatur, quæ auro, ac la-
„ pidibus modò adornata perſpicuè cernitur; ali-
„ quantos ibi reperit pueros, qui pro vectandis
„ lapidibus venerant, arreptos dæmonijs acriter
„ vexari: quorum licèt modicis artubus tantum
„ ab ipſis dæmonijs vitium ferebatur, vt à binis
„ vel ternis robuſtiſſimis viris ſinguli compre-
„ henſi, vix aliquatenùs poſſent arctari. Cum

Digitized by Google

„ autèm die quadam Domnum PETRVM ad „ opus illud intuendum contigiſſet exire, Deſiderius eiuſdem Cœnobij Caſſinenſis Abbas, ipſum, vt conſueuerat, ex nomine iucundè compellans, ait; Domne PETRE, cur iſtos noſtros „ non curas operarios? Cui ille: *Habent hìc*, inquit, *Sanctiſſimi Benedicti præſentiam, qui eis, ſi velit, valet ſalutis conferre medelam. Ego* „ *enim quid ſum*? Exiſtimauit tamen Abbas ex „ eis aliquos ad ipſius fore hoſpitium dirigendos, quatenus illorum vexationem conſpiciens „ attentiùs pro eis, miſertus, oraret. Quod quidem ille omninò prohibuit, non ſanè in humanitatis duritia; ſed obſeruandæ, quod magis cenſendum, humilitatis cuſtodia. Verumtamen dùm tunc contigiſſet eum viginti ferè diebus „ ibidem propter fratrum charitatem manſiſſe, „ eodemque ſpatio dierum energumenos illos „ omnes plenè curatos fuiſſe, quis illud fideliter „ non credat, quod Cœnobitæ illi tunc temporis aſſeuerantes aiebant: eum videlicèt pro illis „ latenter oraſſe, ſicque eis ſalutem à Domino „ impetraſſe?]

CAP.

C A P. XXV.

Ab Alexandro Legatus in Germaniam mittitur PETRVS DAMIANI, & Henricum Regem à ſententia dimittendæ vxoris abſterret.

1. ANno verò Domini milleſimo ſexageſimo nono factum eſt verbum Domini Alexandri Papæ ſuper PETRVM DAMIANI in deſerto, vt vir fortis, & potens, & miles fortis Bar. ann. 1069. in prælio ad bellum rursùs procederet, & nouum Herodem propter vxorem argueret nouus Baptiſta.

„ [Henricus enim Rex (vt refert Lambertus in Cronicho) iuuenili ſuccenſus furore, repudiare contendebat Bertam coniugem ſuam, quam ante biennium duxerat. Quapropter poſt Pentecoſtem Vormatiæ cum Principibus Regni colloquium habuit: ibi primò cum Epiſcopo Moguntino rem ſecretò agit, eiuſque opem ad perficiendum, quod mente machinabatur, obnixè implorauit; ſi impetraret, ſe deinceps ei ſubditum, & dicto obtemperantem fore, ad hoc Thuringos armata manu, ſi alitèr nequeat, coacturum, vt decimas ſinè vlla in perpetuum contradictione perſoluant.

„ 2. Annuente Epiſcopo, & pactione vtrinque firmata, Rex ad publicum refert ſibi cum

Digitized by Google

„ vxore non conuenire ; diù oculos hominum
„ feſelliſſe (incertum quo fato, quo Dei iudicio)
„ nullam cum ea maritalis operis copiam habere ;
„ proindè per Deum orare, vt ſe malè ominata
„ compede abſoluant ; patianturque æquo animo
„ diſcidium fieri, vt illa ſibi, & ipſa ei, ſi ità Deus
„ velit, felicioris matrimonij viam patefaciat.
„ Et nequis violatum ſemèl pudorem cauſetur
„ obſtare, iterùm nupturæ ſe ſub iureiurando
„ confirmare, quòd eam, vt acceperit, ſic incon-
„ taminatam, illibatoque pudore virginitatis con-
„ ſeruauerit.]

3. At de Moguntino Epiſcopo Sigefrido, rem aliter quàm Lambertus narrat, ipſe de ſe refert Sigefridus in epiſtola, quam ſcripſit ad Alexandrum; ait enim: [Se Regi in faciem reſtitiſſe, & minitatum eſſe excommunicationem ; indictum tamèn à Coepiſcopis ſuis ad rem diſceptandam, ac definiendam, Moguntinum Concilium ; & in ea poſtremò Pontificem rogat, vt aliquos de latere ſuo mittat, qui huic Concilio præſint.] Quæ omnia, vt videre eſt, ex diametro pugnant cum ijs, quæ narrat Lambertus ; vndè vel Lambertus errauit, vel Sigefridus re ipſa corrumpi ſe ab Henrico paſſus, poſtquam comperijt Alexandrum, re cognita, tantum Virum, ſcilicet PETRVM DAMIANI, Legatum Moguntiam mittere, litteras illas ei ſcripſit, quibus à ſuperueniente in ſe ira Pontificis, & Legati Beatiſſimi, aliquo modo ſe abſcondere niſus

Conc. gener. Labbe. tom. 9.

niſus eſt. Sed redeamus ad narrationem Lamberti.

„ 4. [Fœda res, & ab Regia Maieſtate ab-
„ horrens viſa eſt hæc omnibus, qui aderant.
„ Negotio tamèn, cui Rex tam feruidè animum
„ adieciſſet detrectare ſinguli religioſum arbitra-
„ bantur. Epiſcopus quoque tàm pretioſa polli-
„ citatione redemptus, quantum poterat, ſalua ve-
„ recundia, haud ægrè cauſam Regis tuebatur.
„ Itaque, cunctis id fieri decernentibus, Synodum
„ conficiendo negotio indixit Moguntiæ, pro-
„ xima poſt feſtum Sancti Michaelis hebdo-
„ mada.

„ 5. Imminente igitur die, qui ſcindendo Re-
„ gis coniugio dictus fuerat: Rex Moguntiam
„ concitus properabat, & ecce inter eundum com-
„ perit Legatum Sedis Apoſtolicæ ſuum Mogun-
„ tiæ aduentum præſtolari, qui diſcidium fieri
„ prohibeat, & Epiſcopo Moguntino Apoſtoli-
„ cæ animaduerſionis ſententiam minitetur, quòd
„ tàm nefariæ ſeparationis ſe auctorem promiſe-
„ rit. Conſternatus illicò, quòd rem diù exopta-
„ tam perdidiſſet è manibus: pariter quò venerat,
„ in Saxoniam redire volebat. Vix, & ægrè ta-
„ men, amicorum conſilijs ſuperatus, ne Principes
„ Regni fruſtrarentur, quos ſumma frequentia
„ ſibi Moguntiæ occurrere iuſſiſſet, Franconefurt
„ abijt; ibique eos, qui Moguntiæ conuenerant,
„ ſtatuto die adeſſe iuſſit.]

Quò

6. Quò dùm frequentes veniſſent, PETRVS DAMIANVS, (is Legatus erat Sedis Apoſtolicæ, Vir ætate, & vitæ innocentia admodum reuerendus) mandata expoſuit Romani Pontifi-
„ cis: [Peſſimam rem,& à nomine Chriſtiano ne-
„ dùm ab Regio multùm abhorrentem eſſe, quam
„ moliatur. Si minùs humanis Legibus, vel Ca-
„ nonum ſanctionibus terreretur; parceret ſaltem
„ famæ, & exiſtimationi propriæ, ne ſcilicet tàm
„ fœdi exempli venenum, ab Rege ſumpto initio,
„ totum commacularet populum Chriſtianum;
„ & qui vltor eſſe debuiſſet criminum, ipſe auctor,
„ & ſignifer fieret ad flagitium. Poſtremò ſi non
„ flecteretur conſilijs, ſe neceſſariò vim Eccleſia-
„ ſticam adhibiturum, & Canonum lege ſcelus
„ prohibiturum. Ad hæc ſuis manibus numquàm
„ Imperatorem conſecrandum fore, qui tàm pe-
„ ſtilenti exemplo, quantum in ſe eſſet, fidem
„ Chriſtianam prodidiſſet.]

7. Ad talia PETRI, vel potiùs Spiritus Patris verba, qui loquebatur in illo, omnes Principes terræ, qui congregati erant, & conuenerant in vnum, admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos, & intuentes PETRVM omnes, qui ſedebant in Concilio, videntes faciem eius, & excipientes verbum eius, tamquàm vocem Angeli, qui loquebatur in illo, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus, & voce magna impetum facientes, vnanimiter in Regem dixerunt:

[Æ qua

Digitized by Google

„ [Æqua cenſere Romanum Pontificem; & per
„ Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ ſuæ,
„ & Regij nominis maieſtatem tàm turpis facti
„ colluuione macularet: præterea ne parentibus
„ Reginæ cauſam defectionis, & iuſtam turbandi
„ Reipublicæ occaſionem daret: qui ſi viri eſſent,
„ cum armis, & opibus plurimùm poſſent, tantam
„ filiæ ſuæ contumeliam procùl dubio inſigni ali-
„ quo facinore expiaturi eſſent.]

8. At in corde Regis dolores vt parturientis, ac ſi in ſpiritu vehementi PETRVS contereret naues Tarſis; & ideò fractus magis, quàm flexus:
„ [Si id, inquit, fixum, obſtinatumque eſt vobis,
„ imperabo ego met mihi; feramque (vt potero)
„ onus, quod deponere non valeo.] Ità efferato magis per ſtudium concordiæ odio, annuit quidem, vt in Regni conſortium Regina reuocaretur: ipſe tamen, vt congreſſum eius, conſpectumque vitaret, adhibitis ſibi vix quadraginta militibus, in Saxoniam concitus redijt: Regina cum cætera multitudine, & Regni inſignibus paulatim ſubſecuta eſt. Cumque ad eum Goslariam veniſſet, vix compulſus ille à familiaribus ſuis, vt ei obuiam procederet, ſatis ſuperquè pro conſuetudine eam benignè ſuſcepit; ſed protinùs, refrigeſcente amore, ad ingenium ſuum, atque ad priſtinum rigorem animi redijt. Et quia conſilia ſcindendi coniugij ſæpè iam tentata non proceſſerant; ſtatuit deinceps, communicato cum ea ſolum Regni nomine, ſic

eam

eam habere, quaſi non haberet. Hæc ex Chronico Lamberti.

7. Quomodo autèm deſcendit imber, & nix de Cœlo, & illùc ultra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti; ſic fuit verbum Domini egreſſum ex ore PETRI, non reuerſum eſt ad eum vacuum, ſed fecit quæcumque voluit, & proſperatum eſt in his, ad quæ miſit illud; quia in lætitia tandèm egreſſus Henricus, in pace Bertam deduxit, ex qua etiam filium ſuſcepit Henricum, qui ipſi ſucceſſit in Regno. Ex quo & ipſi docemur, vt bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.

C A P. XXV.

Quæ inter Alexandrum, & PETRVM DAMIANI poſt reditum à Germanica Legatione. Eiuſdem epiſtola ad Alexandrum.

1. PETRVS autem, poſtquam reuerſus eſt in ſolitudinem, digna pro beneficijs non recepit; ſed potius odium pro dilectione ſua. Forſitan enim tempore, quo ille aberat, inimicus homo terram Eugubinæ Eccclefiæ, cuius quamdam ſollicitudinem ſibi à Summis Pontificibus commiſ-

ſam

ſam gerebat, adhibita per dolum Apoſtolica au-
ctoritate, commouerat, & conturbauerat. Idcircò
PETRVS, qui vſque adhuc vigilauerat, & non ſi-
uerat perfodi domum illam, quam cuſtodiuerat,
acceſſit ad Alexandrum, tumenſque vt Iacob
cum iurgio exquiſiuit eum, quam ob culpam ſuam, Geneſ. 31. 36.
& ob quod peccatum ſuum ſic exarſiſſet in ſe.

2. Notandum verò, vt ſuprà innuimus, quòd,
cùm Eccleſiæ Eugubinæ curam quamdam habuiſſe
PETRVS legatur, &, cùm eam dilexiſſet, vſque
in finem dilexiſſe eam inueniatur; ſub nomine il-
lius Epiſcopatus, cuius regimen depoſuiſſe vnà cùm Vid. apud
Epiſcopatu Oſtienſi iàm vidimus, illa venire non Vghell. Ital.
potuit; & ob allatam rationem, quòd curam Eugu- Sac. Epiſcop.
binæ Eccleſiæ ſemper retinuit, & ob illam, quòd Eugubin.
proprium ſemper habuit eadem Eccleſia Paſtorem;
vndè ſicut credimus verè renunciaſſe Oſtienſis, &
Velitrenſis ſollicitudinem, de qua poſt abdica-
tionem nec verbum quidem ampliùs habuit,
(nam ipſius olim quamdam curam habuiſſe reperi-
tur;) ſic Eugubinæ taliter præfuiſſe vſque ad mor-
tem opinamur, vt potiùs in Paſtorali vigilantia ex
mandato Pontificum, illius Eccleſiæ Epiſcopis
adiutorem extitiſſe cenſeamus, quàm Eccleſiæ eiuſ-
dem habuiſſe Prælationem: quæ tamen obiter di-
cta ſint. Ad Alexandrum igitur, comperta præfa-
tæ Eccleſiæ perturbatione, hæc ſcripſit.

3. [*Quòd Eugubina Eccleſia, quæ mihi du-* Epiſtol. lib. 1.
dùm à veſtris deceſſoribus eſt commiſſa, nunc prob epiſt. 14-10-1.

Digitized by Google

dolor! eſt omninò confuſa, & velùt area, quæ pedibus conculcatur, abiecta, peccatis meis id exigentibus deputo, non vitio (quòd abſit) veſtræ paternitatis adſcribo. Multitudo quippè meorum ſcelerum exigit, vt is etiam proprijs manibus meo pectori vulnus infligat, prò quo non eneruiter ſtans, aduersùs totum mundum certamen aſſumpſi, meque gladijs, ac ſagittis totius ferè humani generis durus, & inſuperabilis colluctator obieci. Hoccine mihi, venerabilis Pater, meritum reddidiſti, quòd cauſæ tuæ perorator in Sanctorum Pontificum conſilijs totiès extiti, quòd in Legationis tuæ curis, atque negotijs frequenter in ſæcularium, laicorumque conuentu quaſi quidam cauſidicus declamaui? Hæccinè, inquam, mihi munera redbibentur, quòd in hoſtes tuos violenter inuectus, eos mordaciſſimè loquendo, & ſcribendo deſtruxi; teque per multimodæ ſcriptionis articulos extuli, tuamque memoriam, & egregiæ laudis præconia, quantum in me fuit, etiam apud poſteros propagaui? Quid itaque fecerim, quidue pertulerim, examinis veſtri cenſura diſcutiat, ne coactus digna querela compellar effluere, quod adhùc ſilentio ſupprimens, vix poſſum vlteriùs occultare. Hoc enim necdum Roma me referentem, vel ſcribentem cognouit, necdùm alijs per me res iſta, quæ Sanctitatis veſtræ famam laceraret, innotuit. Agat ergò qui læſit, ſicut dignum eſt, pœnitentiam; vt is qui læſus eſt, non compellatur dignam exaggerare

que-

Digitized by Google

querelam; mitiget olei ſuauitas aceti mordentis acrorem, & tumefactis aſperrima verberatione vibicibus, mitis, ac blandus beneficiorum liquor influat lenitatem; alioquin neceſſe iàm erit tot ictuum verbera perferenti, vt ipſe quoque . . . . . Sed iàm frænum libertati, procacitate linguæ repreſſa, adhibeo, labijs digitum ſuperpono, & qui miſeriam paſſus ſum, miſericordiam, verſa vice, depoſco.]

4. Frequentes habemus Domini in ſacris Scripturis his PETRI ſimiles querelas ad Alexandrum, Reg. 2. ca. 10.
„ vndè per Nathan ad Dauid dicitur: [Ego vnxi
„ te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de ma-
„ nu Saul; & dedi tibi domum Domini tui, &
„ vxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi do-
„ mum Iſrael, & Iuda; & ſi parua ſunt iſta, adij-
„ ciam tibi multò maiora. Quarè ergò contem-
„ pſiſti verbum Domini, vt faceres malum in
„ conſpectu meo?] Et per Iſaiam: [Vinea facta Iſai. 5. 2. 3. 4. 5.
„ eſt dilecto meo in cornu filij olei, & ſepiuit eam,
„ & lapides elegit ex illa, & plantauit eam ele-
„ ctam, & ædificauit turrim in medio eius, &
„ torcular extruxit in ea, & expectauit, vt faceret
„ vuas, & fecit labruſcas: nunc ergo habitato-
„ res Ieruſalem, & viri Iuda iudicate inter me,
„ & vineam meam. Quid eſt quod debui vltrà
„ facere vineæ meæ, & non feci? An quod expe-
„ ctaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas?] Miramur igitùr, nonnullos hanc PETRI epiſtolam,

Digitized by Google

tamquam abſinthio, & amaritudine plenam conſideraſſe, nec ſatis memores fuiſſe Dauidici illius:
„ [Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſ-
„ ſem vtique, & ſi is, qui oderat me, ſuper me
„ magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſi-
„ tan ab eo; tu verò homo vnanimis, dux meus,
pſalm. 54. Bellarm. ibid. „ & notus meus &c.] Quod Dominus per os Prophetæ locutus eſt, vt oſtenderet potiſſimùm ſe iniurijs affectum eſſe ab ijs, quos inter cæteros dilexerit, &, vt linguis hominum loquamur, ex hoc ipſum Deum torqueri, & turbari; illud quoque non animaduertentes, quòd quia non iuxtà beneficia redditæ ſalutis, quæ acceperat Ezechias, retribuit, quia eleuatum eſt cor eius, facta eſt contra eum ira, & contra Iudam, & Ieruſalem. (Paralip. 2. cap. 32. 25.)

5. Cur ergò iuſtè conqueſtus PETRVS non eſt de Alexandro, qui tantum debebat Viro iſti ſancto, qui venerat ſecum? Quæ enim merces illi danda erat? Aut quid dignum poterat eſſe beneficijs eius? Qui illum duxerat, & reduxerat ſanum, & nouus Raphael vxorem illum habere fecerat, (Tom 12.) ſanctæ videlicet Eccleſiæ quodammodò deſponſando; dæmonium ab ea ipſe compeſcuerat, impium ſcilicet Cadaloum proſternens; & vt cætera congeramus, & non multiplicemus loqui verba, nec verbum reiteremus in oratione noſtra: gaudium parentibus eius fuit, ipſum à deuoratione piſcis eripuit, & bonis omnibus illum repleuit. Quid illi ad hæc poterat dignum dare?

Dùm

Dùm ergò non reddidit vicem pro beneficijs, & cum tanta Pontificis reuerentia fecit deceptionem magnam in Iſrael, faciens pro vuis labruſcas; cur meritò PETRVS non doluit?

6. Sed attende admirabilem Hominis Dei charitatem, & prudentiam; illatam ſibi iniuriam, nec dùm Roma audiuit eum referentem, vel ſcribentem cognouit, nec alijs res ipſa, quæ Pontificis famam laceraret, innotuit. Corripuit primùm inter ſe & ipſum ſolum. Quàm benè iſta conſonant Euangelio, quàm malè illi, cui dicitur per
„ Spiritum Sanctum: [Audiſti verbum aduersùs
„ proximum tuum? Commoriatur in te fidens,
„ quoniam non te diſrumpet.] Corripuit amicum, ne fortè non intellexiſſet, & diceret: non feci; aut ſi feciſſet, ne iterùm adderet facere. Corripuit proximum, ne fortè non dixiſſet; & ſi dixiſſet, ne fortè iteraret. Et tandem corripuit amicum, quia ſæpè fit commiſſio, ſed non credidit omni verbo, rectè comperiens, quòd eſt, qui labitur lingua, ſed non ex animo.

Eccleſ. 19.

Ibid. 13. 14. 15. 16.

CAP.

CAP. XXVI.

Rogat Pontificem pro Rauennatibus excommunicatione mulctatis. Alexander priuilegium Eccleſiæ cuidam à PETRO DAMIANI conſtructæ concedit. Ab eodem Pontifice Rauennam Legatus mittitur, vndè reuertens, Fauentiæ ſanctiſſimè moritur.

1. IN eadem verò epiſtola hæc ſubiunxit: [*Præterea de infeliciſſimo Rauennate Epiſcopo Clementiam veſtræ Sanctitatis imploro, atque vt eum, ſicùt olim decreuiſtis, ſoluere dignemini, ſuppliciter obſecro. Indignum quippè eſt, vt propter vnius homuncionis offenſam tàm innumerabilis multitudo hominum depereat, & tantum Chriſti laborem, pro quo pretioſum ſanguinem fudit, ac tot innocentum animas miſerandæ vnius perſonæ culpa ſubuertat. Nolumus autem ſanctos oculos veſtros onerare pluribus litteris, ſed omnia, quæ dicenda ſunt, committimus experientiæ portitoris. Hunc igitùr ſancta Clementia veſtra quaſi me loquentem diligenter intendat, ſicque duabus petitionibus noſtris, quas hìc tranſcurſim, celeriterque perſtrinximus, annuat; & vt nos nuncios, ac vehicula miſiſſe per tot terrarum ſpatia non pęniteat, & mens noſtra, quæ circa vos, non dicam, tepeſcere, ſed potiùs frigeſcere cœperat, in antiquæ*

Ibid. vt ſup. epiſtol. 14 lib. 1. epiſt.

Digitized by Google

tiquæ dilectionis veſtræ deſiderium recaleſcat.] Hucuſque epiſtola.

2. Gaudium, & exultationem poſtulationibus ſuis PETRVM obtinuiſſe, abſque dubio cenſemus; nàm licèt quoad primum ignoremus præterita, & quæ poſt illa facta fuerunt, nullo ſcire poſſimus nuncio; tamen quoàd ſecundum, omnia quæcumque voluit, fecit Alexander, & quamuis hoc non in diebus Henrici Epiſcopi, quia forte nequiuit; poſt eius tamen obitum, qui accidit, vt aliquis aſſerit, anno 1070., vel vt aliis videtur anno 1072.: immò ipſe Beatiſſimus Vir ab ipſo Pontifice ad illius Eccleſiæ componenda diſſidia miſſus fuit; quo peracto egregio munere, reuerſurus ad propria, Fauentiæ migrauit ad Dominum.

3. Ex epiſtola tamen, quam Alexandrum ad Clerum, & Populum Eugubinum ſcripſiſſe, fortè hoc eodem tempore, reperimus, in eo etiam, quod reſpicit Eugubinæ Eccleſiæ perturbationem, conciliatum fuiſſe cor Patris ad filium, nempè Alexandri ad PETRVM DAMIANI, poteſt conijci; dicit enim.

Faber mem. ſacr. Rau. par. 2.

Bar. ann. 1072.

„ 4. [Non ignorat ſancta veſtra deuotio, dilectiſſimi, quia Eccleſiam chariſſimi Coepiſcopi noſtri PETRI DAMIANI in B. Lucę Euangeliſtæ nomine conſecratam nos in B. Petri Apoſtolorũ Principis, noſtraque tutela, ac defenſione ſuſcepimus, ſalua reuerentia, & vtilitate S. R. E., eamque, vt ad orationis, & ſacrificij gratiam vigeat

Conc. Gener. to. 9. Labbè inter epiſt. Alexandr. II.

„ geat, ac illibata permaneat, ex Apoſtolicæ Sedis „ auctoritate firmamus. Qua propter quicumque „ prædictum Oratorium qualibet machinatione, „ vel ſtudio deſtruere, vel hoſtiliter impugnare „ tentauerit, ab Omnipotenti Deo, ac B. Petro „ Apoſtolo excommunicandum ſe eſſe non ambi- „ gat, & vſque ad ſatisfactionem congruam ex- „ cludendum ſe à liminibus Sanctæ Eccleſiæ, proût „ dignum eſt, perhorreſcat, ſicut dicit Apoſtolus: „ Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum „ Deus. Qui verò præfatum locum ſanctum pro „ Chriſti amore coluerit, & intemeratum, atque „ incolumem ſeruare ſtuduerit, ipſe quoque per „ interceſſionem B. Petri templum Chriſti fiat, & „ benedictionem ſui Redemptoris hæreditate poſ- „ ſideat.] Sic Pontificium Alexandri diploma quaſi argumentum ſui amoris in PETRVM.

5. Sed priuſquam redeamus vndè obiter receſſimus, in memoriam reuocandum eſt, quod ſupra ex Baronio propoſuimus, nempè Henricum Archiepiſcopum Rauennatem excommunicatum fuiſſe in Concilio Mantuano, cui aſſertioni concordare certè non videtur, quod mox narrabimus ex Ioanne Diſcipulo, qui eumdem Henricum à Romana Synodo, non à Mantuana excommunicatum dicit. Sed de facili concilianda apparet vtraque opinio: nam Henricus vnà cum Cadaloo, cui fauebat, excommunicatus eſſe potuit in Romana Synodo anno 1062., vt diximus, contra ipſum Pſeudopontifi-

cem

Digitized by Google

cem congregata; & rurſus cum contra eumdemet Cadaloum in Mantuano Concilio excommunicationis cenſura prolata fuerit, etiam, qui obſtinato animo ei adhærebat, Henricum iuremeritò pari pœna punitum fuiſſe abſque dubio cenſeri poteſt; vnde, diſtinctis temporibus, rectè vtriuſque Scriptoris ſententia concordari cognoſcitur.

„ 6. Dùm igitùr (inquit Ioannes eius Diſcipulus) pius Chriſti Sacerdos huiuſcemodi lucrandum animarum ſtudijs inſtanter inhæreret, vitæque præſentis labor extremæ iam penè lineę moram teneret; iuſſu Alexandri Secundi Romani Pontificis, Rauennam, patriam ſuam proficiſci præcipitur, rem valdè neceſſariam ſaluti totius vrbis Cleri, & populi peracturus. Erat quippè tunc temporis defunctus eiuſdem vrbis Archiepiſcopus, qui pro ſua proteruia, ſententia Romanæ Synodi (nec non Mantuanæ) olim fuerat communione priuatus. Qui tamen nimia temeritate, neque ob illatam ſibi ſententiam tremefactus, ab Archiepiſcopali temperaret officio, conſentaneum ſibi populum ſua contagione miſerè fędauit, totamque Eccleſiam illicitis auſibus profanauit. Tandem verò de medio profanatore ſublato, præfatus Apoſtolicus tàm numeroſi populi exitiale contagium paternis viſceribus miſeratus; tantum Patrem, qui auctoritate Apoſtolica eumdem reconciliando, abſolueret, illò delegare decreuit: Ioann. Diſcip. in vita ca. 21.

Digitized by Google

„ neminem ſcilicet ad hoc opus gerendum dignio-
„ rem, vel aptiorem exiſtimans; eo quòd is non
„ modica exiſteret auctoritate ſubnixus, ac per re-
„ generationis gratiam eiuſdem eſſet Eccleſiæ fi-
„ lius; ipſiuſque etiam hortatu idem ſæpè numero
„ ad hanc clementiam prouocatus. Quam vti-
„ que Legationem ille, licet iàm ætate confectus,
„ vt ſtrenuus filius, maternis beneficijs non ingra-
„ tus, optatò ſuſcepit. Nàm gratulabatur ſe tan-
„ dem reperiſſe aliquid, quod ob ſui debitum obſe-
„ quij piæ poſſet perſoluere matri.

„ 7. Quò cum, Domino ſuffragante, proſpe-
„ ro perueniſſet itinere, in manu Ciuium ſuſceptus
„ ingénti cùm lætitia, ſui cauſam pateſecit acceſ-
„ ſus: ſuper quo Ciues illi immodicè iucundati,
„ immenſas Deo, qui eos reſpexerat, Chriſtique
„ Vicario, qui hunc talem, tantumque Virum,
„ ad ſe direxerat, gratias referentes, præuarica-
„ tionis ſuæ pœnitentiam humiliter egerunt; vn-
„ dè, & reatus veniam, quam ſuppliciter poſtu-
„ labant, atque abſolutionem ex Apoſtolicæ au-
„ ctoritatis munere, gratulabundi percipere me-
„ ruerunt. Abſoluti itaque ab excommunicatio-
„ nis illius vinculo, cunctæque Eccleſiæ dono
„ gratiæ maternæ conceſſo, tota vrbe immanis ef-
„ fecta eſt exultatio.

Ibid. vt ſup. cap. 21.

„ 8. Iſtis verò, alijſque nonnullis negotijs,
„ quæ tantum Virum gerere decebat, patratis, iter
„ ſuæ Legationis, egreſſus Vrbem, pergere cœpit.

Cum-

Digitized by Google

„ Cumque prima manſione Fauentiam tenuiſſet
„ apud Venerabile Monaſterium quoddam Beatæ
„ Mariæ Dei Genitricis, quod foris portam nun-
„ cupatur, decenter ſuſceptus eſt.

9. De hoc inſigni Cœnobio multi multa ſcripſere. Anonymus Monachus Eremi S. Crucis Fontis Auellanæ in quodam tractatu, præfatum Monaſterium S. Mariæ fuiſſe dicit de membris perpetuò vnitis prædictæ Eremo S. Crucis Fontis Auellanæ.

Anonymus Monach. Sanctę Crucis Fōtis Auellan. in tract. de eod. Mon. in Appar. ad Oper S. Petri Dam. ad tom. 1.

10. Anonymus alter Monachus Benedictinus Congregationis Vnitatis S. Iuſtinæ, poſtea Caſſinenſis aſſerit, quòd Monaſterium S. Mariæ, Fauentiæ ſitum pertinebat ad Ordinem Monachorum Congregationis S. Crucis Fontis Auellanæ, cuius Monachi albo veſtiebantur, & cuculla alba.

Idipſum Anony. Benedictin. Congregat. vnitatis S. Iuſtinæ vt ſup.

11. Auguſtinus Fortunius, Monaſterium S. Mariæ à PETRO DAMIANI fundatum fuiſſe
„ adſtruere videtur; nam dicit: [Rauenna digreſſus,
„ Monachos, quos Fauentiæ inſtituerat, viſitare
„ voluit. Erat tunc Cœnobium extra vrbis por-
„ tam, quod nunc intra vrbem receptum cerni-
„ tur &c.] Quod confirmat Hieronymus Rubeus;
„ ait enim: [Rauenna tamen diſcedens, ad Pon-
„ tificem aditurus, ne iter eſſet omninò inane,
„ Monachos inuiſit, quos Fauentiæ conſtituerat
„ extra vrbis portam in æde Diuæ Mariæ, quam
„ nunc intra vrbem adductam conſpicimus &c.]

Hieron. Rub. lib. 5. Hiſt. Rauen.

12. Nihilominus Auguſtini Fortunij, & Hiero-

nymi Rubei ſententiæ acquieſcere nullatenus poſſumus, vt credamus Monaſterium S. Mariæ à PETRO primùm fundatum; nam ipſemet in Libro Gratiſſimo, quem, vt diximus, ſcripſit ad Henricum Archiepiſcopum Rauennatem anno Domini 1052. cum de hoc Monaſterio agit, ad ſe Cœnobium ipſum pertinuiſſe non demonſtrat; (vt ſolet, cum de Eremis, ſiue Monaſterijs à ſe ædificatis

Opuſ.6.ca.13. tom.3. tractat.) Ait enim: [*Eodem quoque tempore, cum videlicet Simoniaca peſtis per totum corpus Eccleſiæ lethaliter ſerperet, paſſimque per omnes gradus Eccleſiaſticos liberè pullularet, Marinus quidam Presbyter erat, huius videlicet Eleuchadij reuerendiſſimi, atque honeſtiſſimi viri Pater, qui Monaſterio nunc præeſt Beatæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ iuxta Fauentinæ vrbis mœnia conſtituto &c.*]

13. Vbi è contra cum alibi egit de Monaſterio,

Opuſ.15.ca.6. tom.3. vel potius Eremo à ſe conſtructò, ſcripſit: [*Vnde fit, vt in illa Eremo, quam, auctore Deo, in latere Suauicinij montis ipſi conſtruximus, pulmentum præter vnum &c.*]

14. Sed euidentius conijci poſſe videtur, nullatenùs ad PETRVM, idem Cœnobium pertinuiſſe ab infra ponenda relatione Ioannis eius Diſcipuli, qui præterquam diſtinctè narrat duo tantùm Monaſteria in Comitatu Fauentino PETRVM DAMIANI ædificaſſe, nempe Acereta, & Gamonium; ideò non apparet cur loqui non de-

debuiſſet de illo S. Mariæ extra portam, ſi illud quoque conſtruxiſſet. Referens deinde, quæ conſecuta ſunt obitum Beatiſſimi Viri, dicit: [quòd cum tranſitus ipſius illicò nunciatus fuiſſet in vrbe ab ijs videlicet, qui circa eamdem domum excubabant, ne corpus exanime à ſuis Monachis, qui de vicino ipſius Monaſterio aduenerant, furto aſportari potuiſſet, tota Ciuitas repentè ad eius exequias ingenti concurſu læta properauit.] Si igitur Fauentinos Ciues accepit timor, ne furto aſportari poſſet à Monachis, qui de vicino eius Monaſterio aduenerant, Sanctiſs. Patris Venerabile Corpus; Monaſterium, vbi mortuus eſt, non erat vel ab eo fundatum, vel certè ab illius Monachis non incolebatur: nam vt ipſius Monachi idem ſacrum Corpus poſſiderent, ſi in proprio Monaſterio fuiſſent, neceſſe non ha buiſſent aliò illud transferre. Ioann. diſcip. Vit. cap. 21.

15. Licet igitur PETRVS N. DAMIANI ex antiquis illis non fuerit, à quibus Monaſterium illud factum eſt, nec cum eo extiterit, qui primùm eiuſdem appendit fundamenta, neque ipſius cuncta compoſuerit; poſtquàm tamen ex hac vita migrauit ad Dominum, vbi erat Venerabile eius Corpus, ibi congregatas fuiſſe & Aquilas ſuorum Monachorum rationabiliter credimus; & hoc pacto verum eſſe deprehenditur, quod Anonymi Auellanenſis, & Caſſinenſis teſtimonium perhibuerunt, dicentes, Monaſterium hoc fuiſſe de membris perpetuò vnitis Eremo S. Crucis Fontis Auellanæ, &

ad

ad eamdem Congregationem pertinere; non quia (vt cenſet Fortunius, & Rubeus) hoc PETRVS DAMIANI Monaſterium fundauerit; ſed quia poſt ipſius feliciſſimam mortem fuerunt diſcipuli eius vt Maria Magdalena, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum; eo quòd, Monachis eius in poſſeſſionem monumenti inſigne illud Cœnobium traditum ſit.

Io. diſcip. vt ſup. cap. 22.

„ 16. Decenter ergò, vt diximus, Sanctiſs. „ Legatus apud hoc venerabile Monaſterium ſu- „ ſceptus; mox febre correptus, decubuit. Qua „ nimirùm in dies inualeſcente, circa medium „ octauæ noctis ſilentium, quæ Cathedræ B. Pe- „ tri Apoſtoli anniuerſariæ diei celebritatem du- „ cebat, exitus ſui horam appropinquare cogno- „ ſcens, extemplò, nobis lectulo circumſtantibus, „ nocturnum, ſeù matutinale Officium totum pe- „ ragere iuſſit, volens vtique priùs ſolemnitati „ Apoſtolicæ vota perſoluere, ac ſic demùm ſecu- „ rus abire.

„ 17. Tota itaque peracta Synaxi, ſanctum „ poſt modicum Domino Spiritum corporeis red- „ didit nexibus abſolutum: vt ea videlicet die, „ qua præſens meruit Eccleſia in Paſtorali Pe- „ trum Sede locare; eadem Petri Diſcipulum „ Cœleſtis curia in Beata ſuſciperet Sede.]

CAP.

C A P. XXVII.

PETRI DAMIANI funus; & ad Sepulchrum miracula.

1. CVM verò illius (ſequitur Ioannes diſcipulus) tranſitus illicò nunciatus in Ibid. cap. 21. vt ſup.
„ vrbe fuiſſet, ab ijs videlicet, qui circa eamdem
„ domum excubabant, ne vel corpus exanime à
„ ſuis Monachis, qui de vicino ipſius Monaſterio
„ aduenerant, (vel Aceretenſe videlicet, vel Ga-
„ mugenſe) furto aſportari potuiſſet, tota Ciuitas
„ repentè ad eius exequias ingenti concurſu læta
„ properauit. Quorum multitudine dùm Eccleſia,
„ qua locatus fuerat, ſubitò referta fuiſſet, & qui
„ pio funeri priùs accedere vnanimiter geſtirent,
„ vndarum more, retrorſum ſe inuicem repelle-
„ bant: tantòque tardior cuique acceſſus patebat,
„ quantò celeriùs peruenire tumultuando ſata-
„ gebat. Quicumque autem ipſum accedere, eiuſ-
„ que loculum merebatur attingere, pia gratulaba-
„ tur oſcula, illatis muneribus, eius pedibus, ſeu
„ linteaminibus ipſis infigere.

„ 2. Porrò Mauſolæum intereà officioſiſſimè
„ præparatur. Ab alia ſiquidem Baſilica quadam
„ eminùs ſita, immane labrum lapideum, nitido
„ candore decorum, mira facilitate quantocyus,
„ non abſque ipſorum quoque deferentium admi-

ratio-

„ ratione, ac ſi leuiſſima materies quælibet aduehitur: atque in ipſa B. Dei Genitricis Baſilica à fronte Chori, iuxta gradus videlicet, quibus ad Altare aſcenditur, decenter componitur; ibique Sacerdotis Chriſti Venerabile Corpus, ſumma cum exultatione cunctorum, reuerenter reconditur; omnibus in Pſalmis, & hymnis voces in excelſum tollentibus, dignaque Deo gratiarum præconia totis viribus exhibentibus, cuius munere, tanto ſe ditatos fore beneficio gratulabantur. Ipſi gloria, laus, virtus, honor, & decus, atque imperium ſit, nunc, & ſemper, & omne per æuum. Amen.] Hucuſque Ioannes diſcipulus; qui ab Eremitis, & Monachis Congregationis Auellanenſis poſt obitum Sanctiſſimi Viri in Priorem electus fuit, nam ſicut Sancto Patri PETRO DAMIANI in ſanctitate, & ſapientia conſimilis erat, ità ei Prioratu ſuccederet.

3. Ipſe verò in memoria æterna habendus Venerabilis Pater, viuens ſibi conſcripſerat Epitaphium, vt ſequitur.

Oper. S. Petri Dam. tom. 4. carmen 213.

[*Quod nunc es, fuimus: es, quod ſumus, ipſe futurus;*
His ſit nulla fides; quæ peritura vides.
Friuola ſinceris præcurrunt ſomnia veris,
Succedunt breuibus ſæcula temporibus.
Viue memor mortis, quò ſemper viuere poſſis:
Quidquid adeſt, trāſit, quod manet, ecce venit.
Quam

Quàm benè prouidit, qui te, male munde, reliquit.
Mente priùs carni, quàm tibi carne mori.
Cœlica terrenis præfer, manſura caducis,
Mens repetat proprium libera principium:
Spiritus alta petat, quo prodit fonte recurrat,
Sub ſe deſpiciat, quidquid in ima grauat.
Sis minor, oro, mei, cineres pius aſpice PETRI,
Cum prece, cum gemitu dic: Sibi parce Deus.]

4. Sed alio quàm hoc humili Epitaphio Serui ſui memoriam Dominus commendauit. Ingreſſum enim in abundantia ſepulchrũ, ſicut illatus eſt aceruus tritici in tempore ſuo; innumeris ſignis dilectum ſuum admirabilem Dominus reddidit in conſpectu gentium, & oſſa eius viſitata ſunt, & poſt „ mortem prophetauerunt. [Nàm anno Domini „ milleſimo octogeſimo Incarnationis Dñi, menſe „ Auguſti, indictione quarta poſt deceſſum ſupradicti Domni PETRI DAMIANI: erat, „ (inquit ſupradictus Ioannes diſcipulus,) quidam „ Monachus, qui olim Abbas extitit Venerabilis „ Monaſterij Sancti Gregorij in Ariminenſi Territorio conſtituti. Hic nàmque vidit Domnum PETRVM inter multitudinem candidatorum Epiſcoporum infulatum, ſedentem, & tenentem Paſtoralem virgam in manu ſua, atque „ docentem eos, ea, quæ ad Deum pertinent. „ Cumque eum idem Abbas ſummiſſo vultu ſalu- Io. diſcip. vit. cap. 23.

Digitized by Google

„ taſſet; ait Domnus PETRVS ad cæteros Coepiſcopos: [*Iſte Monachus, quem ego valdè dilexi, ſed poſtquàm à me receſſit, numquàm ad me rediit: & non ſolùm ille, ſed & alij plures, quos ego educaui, & enutriui, ingrati extitere beneficio.*] Deindè ait ad illum: [*Cur*, inquit, *non ad me in locum, quo eram, veniſti?*] At ille dixit:
„ [O mi Domine, ex quo à nobis receſſiſti, lo-
„ cum, in quo habites neſcimus: quomodò igitur
„ ad te venire potui?] Tunc dixit ei Dominus
„ PETRVS DAMIANI: [*O hebes, an neſcis, quòd in Camera Sanctæ Mariæ Virginis habito, & in illius Sacrario demoror? Nàm in eius domo habito, & illius Camerarium eſſe me profiteor?*]
„ Quem poſtquàm vidit, ſtatim ſomno eſt excita-
„ tus. Deindè poſt paulùm, rurſum obdormiens
„ vidit eumdem Domnum PETRVM talia ſibi
„ verba dicentem: (nam ita ſibi videbatur, quaſi
„ antè plures dies hæc eadem ab eo verba audiſſet)
[*Nonne*, inquit, *dixi tibi, vt ad me venires? Et quarè non veniſti?*] At ille tamquàm mutus
„ cœpit ſtare. Mox Domnus PETRVS, quaſi
„ cum ira pupugit eum ſubtùs ſiniſtram auricu-
„ lam de ſummitate virgæ, quam manu geſtabat,
„ quo ictu ita ſe ſenſit eſſe perturbatum, ac ſi lan-
„ cea, vel terribili vertice ter ebratus fuiſſet. De-
„ nique maxilla illius tota cum gutture ita intu-
„ muit, vt penè de eius vita deſperaretur.
„ 5. Tunc itaque ante Altare illius Eccleſiæ

pro-

„ proſtratus, ac toto corde ad Deum conuerſus „ cum magno gemitu dixit: [Domine Deus Om- „ nipotens, qui Cœlum, & terram, & cuncta „ quæ in eis ſunt, condidiſti, ſi tibi ſeruitus „ Domni mei PETRI, vt credimus, complacuit, „ libera me per eius merita ab inſtanti, quem pa- „ tior, dolore. Dixit hæc,& cœpit ſtare. Et ecce „ non poſt longum tempus ab eo omnis tumor, & „ dolor ita aufugit, ac ſi aliquis veniens, manu „ ipſum vulnus ab eius maxilla, vel gutture au- „ ferret. Qui ſtatim cœpit glorificare Deum, ac „ famulum eius PETRVM DAMIANI, qui „ eum caſtigare primò, ac deindè ſanare dignatus „ eſt.

„ 6. Poſtera denique die ſurgens benè caſti- „ gatus ex verbere Fauentiam perrexit,& veniens „ ante Altare Sanctæ Mariæ foris portam, vbi „ Corpus Domni PETRI reconditum fuerat; „ proſtratus humi, ac perfuſus lacrymis facie ado- „ rauit, & laudauit, ac benedixit Deum ſuper iu- „ dicia iuſtitiæ ſuæ. Dehinc foris egreſſus ad fra- „ tres ſuos, cœpit narrare Præpoſito,ac cæteris fra- „ tribus omnia, quæ ſibi contigerant. Qui au- „ dientes,laudauerunt,ac benedixerunt Deum,qui „ talia per Seruum ſuum dignatus eſt oſtendere „ mirabilia. Denique Præpoſitus cum prædicto „ Abbate Vgano, qui ità vocabatur, ac fratribus, „ ingreſſus Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis, pul- „ ſauerunt omnia ſigna, & poſuerunr ceroptata

Digitized by Google

„ cum luminaribus ante Arcam ipſius Sancti PE-
„ TRI DAMIANI, & celebrantes Miſſas obtu-
„ lerunt ſolemnes oſtias Deo in odorem ſuauita-
„ tis, pro animæ eius abſolutione. Amen.]

C A P XXVIII.

Variјs miraculis in ſanandis præcipuè capitis doloribus à Deo illuſtratur. Frequentia populi ad ſacrum eius Tumulum. Mira Corporis incorruptio, & immemorabilis cultus.

1. SEd & neceſſitate compulſum vſque modò ad Sepulchrum eius glorioſum confugit omne caput languidum, & omne cor mœrens; vt ab ipſo inueniat vitæ remedium, & hauriat ſalutem à Domino. Ab illo enim eſt Domini ſalus, & ſuper populum benedictio. [At ſicut (inquit
„ Conſtantinus Caietanus) nihil eſt quod de eiuſ-
„ dem poſt obitum ſanctitate dubites; ſic etiam
„ quo pacto, & tempore PETRVS DAMIANI
„ in Sanctorum numero adſcriptus fuerit difficul-
„ ter nimis reperies. Etenim ex tot annorum ſæ-
„ culis nihil vſquàm inueniemus, quàm duarum
„ Eccleſiarum Rauennatis, & Fauentinæ irrefra-
„ gabile teſtimonium, cuius vis omnis, ac veritas
„ in veteri conſuetudine, & immemorabili tradi-
„ tione conſiſtit.

Conſt. Caiet. Præf. ad 1. to. Oper. S. Petri Dam.

In

Digitized by Google

,, 2. In primis Sanctiſſimi Viri Patria Ra-
,, uenna, ſua in Ciuitate, vniuerſaque Diœceſi il-
,, lum inuiolabili feſto, duplicique officio conce-
lebrat. [Et Templum in eius honorem magni-
ficentiſſimè excitauit.]

,, 3. Deindè Fauentia, vbi obijt, & ſacrum
,, ſui Corporis ſpolium dereliquit, ex eo iàm tem-
,, pore, quo ſingulari huius Sancti Patrocinio
,, Gallorum obſidione liberata fuit, (de quo in-
,, fra) ipſum eumdem (quem ſuis vnum ex qua-
,, tuor Protectoribus multò ante ſuſceperat) an-
,, niuerſario cum tribus alijs feſto inuiolabili cele-
,, brare decreuit: atque eadem celebritate, & of-
,, cio veneratur, die nempè 22. Februarij; qui ta-
,, mèn quòd feſto S. Petri Antiochenæ Cathedræ
,, occupatur, ſemper in ſequentem transfertur.
,, Quo die cum Clero, Religioſorumque Ordini-
,, bus, & Magiſtratuum Comitatu ab Eccleſia
,, maiori, vſque ad Ædem Sanctæ Mariæ de An-
,, gelis, vbi depoſitum eſt Corpus, ſolemniter pro-
,, ceditur.

,, 4. Prætereà ſingulis ferè annis, quibus
,, Ordo Officij recitandi excuditur, ab immemo-
,, rabili tempore, ſolemni ritu, quotannis eius
,, feſtum celebratur tùm Rauennæ, tùm per om-
,, nes alias Flaminiæ Regionis Ciuitates, & loca,
,, quorum Eccleſiæ Rauennati ſubſunt Metropo-
,, litano. Et ab earumdem Ciuitatum Præſuli-
,, bus inter Sanctos alios Cœleſtium Spirituum
albo

Idem Cõſtant. Caietan. inter Oper. S. Petri Dam. ad to. 4.

„ albo adſcriptos, Doctor idem egregius in eo-
„ dem Ordine recenſetur, his verbis: [Kalenda-
„ rium Sanctæ Metropolitanæ Archiepiſcopalis
„ Eccleſiæ, eiuſque Diœceſis, Eminentiſſimi, &
„ Reuerendiſſimi Domini D. Aloyſij S. R. E.
„ Cardinalis Capponij eiuſdem Sanctæ Rauenna-
„ tis Eccleſiæ Archiepiſcopi iuſſu editum: atque
„ in eodem Kalendario ſub vigeſima tertia die
„ menſis Februarij ita decernitur: PETRI DA-
„ MIANI Epiſcopi, & Confeſſoris Rauennatis:
„ duplex, fuit heri &c.] Cui accedat Kalendarium
„ Fauentinæ Eccleſiæ ſub hiſce verbis: [Ordo
„ Diuini Officij recitandi, Miſſaſque celebrandi
„ iuxta ritum Miſſalis, & Breuiarij Romani in
„ Eccleſia, & Diœceſi Fauentina, Eminentiſſimi,
„ & Reuerendiſſimi Domini Franciſci S. R. E.
„ Presbyteri Cardinalis Tituli Sancti Marcelli
„ eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi iuſſu editus: atque
„ in eodem ſub eodem, quo ſupradicta die vigeſi-
„ ma tertia menſis Februarij, hoc modo etiam
„ decernitur: [PETRI DAMIANI Epiſcopi, &
„ Confeſſoris, ac Fauentiæ Protectoris: duplex
„ maius, lectiones &c. fit Proceſſio in Ciuitate ex
„ voto.] Hæc ex Rauennate, & Fauentina Eccle-
„ ſijs, vt & in cæteris eiuſdem Prouinciæ Kalenda-
„ rijs, quæ nos breuitatis cauſa præterimus de Di-
„ uinis honoribus, tàm in Officio Eccleſiaſtico,
„ quàm ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio, PETRO DA-
„ MIANI vltrà exhibitis, & à tempore, cuius me-

moria

Digitized by Google

„ moria non extat. Quod ſine auctoritate Romani Pontificis id factum fuiſſe nullo pacto dubitari poteſt. Qua de re eumdem PETRVM DAMIANI ab eodem Romano Pontifice Sanctorum numero adſcriptum extitiſſe, vt concludamus, operæ pretium eſt.

„ 5. Et in ipſo Ordine cum Sanctis Epiſcopis Confeſſoribus, aliiſque Cœlitibus ab antiquis temporibus in Litania poſitus, inuocatus eſt, atque & in vetuſtiſſimis earumdem Rauennatis præcipuè, ac Fauentinæ Eccleſiarum tabulis, monumentiſque DAMIANI nomen inter Sanctos perpetuò connumeratum fuiſſe, compertum etiam habeo.

Idem vt ſupra ad Præf. to. 3. Oper. S. Petri Damiani.

„ 6. Huius quoque N. Beatiſſimi Doctoris ſanctitatem commendat Tumulus ante trecentos ferè annos candido ex marmore, loco poſt maius Altare edito, & ſublimi constructus, huiuſmodi inter alia verbis in marmore inciſis: [Anno Domini MCCCLIII. die 13. Aprilis tranſlatum fuit Corpus Sancti PETRI DAMIANI in ſancta Scriptura Doctoris, & Epiſcopi Oſtienſis, ac Apoſtolicæ Sedis Legati.] Ibidem etiam: [Obijt Confeſſor Chriſti PETRVS DAMIANI, Oſtienſis Epiſcopus, & Cardinalis Sanctiſſimus octauo Kalendas Martij.] Quem Tumulum, quamuis antiquiſſimum, pius ille populus viua, ac recenti religione colit, oſculatur, & amplectitur, ſuiſque in rebus

„ bus præſens experitur auxilium. Vndè non im-
„ meritò votiuis tabellis, donarijſque appenſis, ac
„ accenſis luminibus nobilitant. Necnon & in
„ Sancti huius Viri celebritate, eius effigies, quæ
„ tumulo inhæret, Paſtorali induitur ornamen-
„ to, populique frequentia viſitatur. Hæc om-
„ nia authenticis vtriuſque Eccleſiæ, ac Ciuitatis
„ teſtimonijs ad me tranſmiſſis confirmantur.

„ 7. Nec minus erit argumentum complu-
„ rium Religioſorum fides, qui teſtatiſſimè, &
„ oculatè teſtantur, cum ab hinc ferè annis vi-
„ ginti * hoc Sepulchrum aperiretur, inuentum
„ fuiſſe PETRI DAMIANI Corpus integrum,
„ ac impollutum, & non dediſſe Dominum San-
„ ctum ſuum videre corruptionem. Ne verò ocu-
„ los deceptos fuiſſe quis exiſtimet, ipſimet Mo-
„ nachi, qui rem totam curioſiùs inſpexerunt, af-
„ firmant: eumdem Dei Virum parua eſſe corpo-
„ ris ſtatura; vnumque ab eo tunc illi abſtraxere
„ brachium, vt hoc cum alijs Sanctorum Reli-
„ quijs ad feſtorum ſolemnia Altari maiori, quem-
„ admodum in hanc vſque diem conſuetè ſer-
„ uatur, exponerent. [Quod mirum in modum,
non denigratum, ſed carne, & neruis, ac ſi vi-
uentis incorruptione pauciſſimis conceſſa, indu-
tum conſpicitur, & cunctis gentibus oſculandum
præbetur; qua nimirùm dextera ſua tegit eos, &
brachio ſancto ſuo viciſsìm defendit eos.

* Ideſt anno 1596. nam Caietan. hæc ſcripſit, vt videre eſt à Diplomate Pauli Papæ V. ann. 1616. eid. to. 3. Oper. S. Petri Dam. inſertũ.

„ 8. Vltimò accedit veterum, ac recentio-

rum

„ rum auctoritas, qui PETRVM hunc N.
„ ſanctitatis, & doctrinæ laude conſpicuum ap-
„ pellare non dubitant, qui & quoties illius ſen-
„ tentias ſuis inſerere ſcriptis, & concionibus vo-
„ lunt, eumdem eo Sancti titulo præmuniunt. Quæ
„ omnia ſi minùs ſufficere videantur, eadem du-
„ bitationis ratio multis in Sanctis inſurgeret,
„ quos tamen vel priuatæ, vel communis conſen-
„ ſus Eccleſiæ celebrat: cum nihil aliud, quam
„ vetus conſuetudo, ac traditio pro eorum fide,
„ ac teſtimonio militet.] Hæc ex Caietano; qui-
bus eiuſdem tenoris quamplurima addi poſſent, ſi prolixitatis vitium non prohiberet.

9. Miramur itaque, & vt videre eſt, iuremeritò, recentiores nonnullos, quem Beatiſſimum prædicauerunt, & Beatum dixerunt à die obitus, vſque adhùc omnes generationes; & quem ipſi Summi Pontifices in ſuis Diplomatibus tali titulo decorauerunt; illum ipſi detraxiſſe, habentes eum tamquàm vnum de populo. Immò vnde inoleuerit, profectò ignoramus, conſuetudo illa Beati potius, quàm Sancti nomine eum nuncupandi apud aliquos; dùm perſpicuum eſt, & euidens, quòd Summi ipſi Pontifices, omnis Populus, Clerus, & præclariſſimi prædictarum Eccleſiarum Præſules, aliquando ad ſummi Pontificatus apicem etiam euecti, alter ad alterum ſemper clamauerunt, & dixerunt Sanctum; videntes omnem terram plenam gloria eius. Veh ergo illis, qui mutaue-

rint gloriam eius in ſimilitudinem hominis, & neſcierunt Sacramenta Dei, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.

C A P. XXIX.

Magna Sancti PETRI DAMIANI ante, & poſt mortem in Eccleſia Dei exiſtimatio, & auctoritas; eiuſdemque laudes, & præconia.

1. LAudatur igitur Beatiſſimi PETRI nomen in Choro, in Tympano, & Pſalterio pſallitur illi, quia beneplacitum eſt Deo in famulo ſuo, & exaltauit manſuetum in ſalutem: exultat enim Sanctus in gloria, & lætatur in cubili ſuo.

2. Sed exaltationes Dei, quæ fuerunt in gutture eius, & gladij ancipites in manibus eius, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faceret in eis iudicium conſcriptum: gloria ſunt illi ab omnibus Sanctis eius, qui fuerunt in terra, & dignitate, & eruditione, & Sanctitate antè, & poſteà floruerunt.

3. Sanctus Leo Papa IX. adhuc viuenti Viro Dei ſcripſit: [Se inenarrabiliter gaudere, illum ſub-

Digitized by Google

ſubegiſſe carnis barbariem, erigendo brachium ſpiritus aduersùs libidinum obſcęnitates, & lætari, quia exemplo conuerſationis inſtruebat, quidquid oratoria facultate docebat.]

4. Stephanus Papa X. dictus IX. reluctantem, & contradicentem ipſum in S. R. E. Cardinalem, & Epiſcopum Oſtienſem creauit, vtpotè Virum Doctrina, & Sanctitate conſpicuum.

5. Quanti eum duxerit Nicolaus Papa II., ex ſupra allatis liquidò conſtat.

6. Alexander Papa II: [Suum illum nominat oculum, & Apoſtolicæ Sedis immobile firmamentum, quo maior poſt ſe in Romana Eccleſia non erat.]

7. Sanctus Gregorius Papa VII. ſic populo, & vniuerſæ Sanctæ Eccleſiæ Dei eum neceſſarium exiſtimauit; vt ideò eius abrenunciationis Epiſcopatus cõſilio ſemper aduerſatus fuerit, incongruum ducens lucernam lucentem, & ardentem ſub modio abſcondi, quæ potiùs lucere debebat omnibus, qui in domo erant.

8. Deſiderius Abbas ſacri Cœnobij Caſſinenſis, deindè Victor Papa III. Venerabilem Patrem appellat; & in Kalendario Caſſinenſi poſt eius feliciſſimum obitum apponi voluit his verbis: „ [Octauo Kalendas Martij obijt Venerandæ „ memoriæ Domnus PETRVS Oſtienſis Epi„ ſcopus;] qui ſanè titulus Venerandæ viris plerùmque Sanctitate perſpicuis tantùm dari conſue-

uerat; vt ex eodem Caſſinenſi Kalendario potiſſimùm conſtat.

9. Sanctus Antoninus ex Ordine Prædicatorum Archiepiſcopus Florentinus: [PETRVM DAMIANVM vita, & ſcientia inſignem nominat.]

10. Leo Oſtienſis: [Virum Religioſum nuncupat, qui verbo pariter, & exemplo ad Dei ſeruitium feruenti zelo quoſcumque poterat, accendebat.]

11. Lambertus Scaphnaburgenſis Monachus Hiſphaldenſis Ordinis Sancti Benedicti: [Virum ætate, ac vitæ innocentia reuerendum.]

12. Bernardus, ſiue potiùs Bertoldus Presbyter Conſtantienſis: [Alterum Hieronymum, & Hominem verè mundo crucifixum.]

13. Heliuandus Gallus Monachus Frigidi Montis: [Virum Religione, & ſapientia nominatiſſimum:]

14. Franciſcus Petrarcha: [Virum haud dignitate clarum quàm lingua, qui quietiſſimam ſolitudinem perituris honoribus præferendam duxit: vbi non minus glorioſè poſtmodùm latuit, quàm innotuerat primùm Romæ, nec dedecori fuit alti verticis rutilum decus ſquallenti cilicio permutaſſe.]

15. Ioannes Tritemius: [Virum in Diuinis Scripturis eruditiſſimum, ingenio ſubtilem, eloquio diſertum, & Gregorianæ eloquentiæ inſtar dul-

dulcem, ac ornatum, & ad perſuadendum aptiſſimum, & in abdicatione Epiſcopatus, ſolitudinis amore, alterum Nazianzenum Gregorium: inter doctos ſui temporis doctiſſimum, & non minùs Sanctitate, quàm eruditione Venerabilem.]

16. Aloyſius Lippomanus Epiſcopus Bergomenſis: [Multa, inquit, Sanctiſſimi huius Patris in manus noſtras ad propoſitum opus ſpectantia venerunt: quæ nunc, apertis cordis viſceribus, toti Eccleſiæ Dei in fidelium omnium commodum, & vtilitatem libentiſſimè euulgamus.]

17. Onuphrius Panuinius Eremitarum Sancti Auguſtini: [Virum doctiſſimum, & Sanctiſſimum.]

18. Ioannes Riochè Minorita Franciſcanus: [Virum ſtudioſum, & eruditum, ſed & conuerſatione inſignem, & verum inſuper Gregorii Nazianzeni in renunciatione Epiſcopatus ſectatorem.]

19. Carolus Sigonius: [Virum ſapientia, & Sanctitate clarum.] Qui ſanè Carolus in Epitome rerum omnium memorabilium, quas in libris de Regno Italiæ tractauerat; Beatiſſimum Cardinalem Sanctorum Catalogo adnumeratum fuiſſe, apertè teſtatur (extitit is ſui ſæculi virorum eruditorum facilè princeps, & archiuiorum, & bibliothecarum ſcrutator diligentiſſimus) in hunc modum: [Homines Sanctorum in numero

relati

„ relati fermè ex Italia; Gregorius Magnus Pontifex 604., Romanus: Columbanus Scotus, Abbas Bobbij 614. (atque alijs interiectis ſubiungit:) PETRVS DAMIANI Monachus, & Cardinalis, Rauennas 1080.]

„ 20. Arnoldus Vviron: [Sanctus PETRVS DAMIANI, inquit, Mediolanenſium à Schiſmate ad Eccleſiam Catholicam reductor magnificus. Homini enim bono in conſpectu ſuo Deus dedit ſapientiam, & ſcientiam, & lætitiam. Mens hæret, penna diffluit, manus riget, cum de Sancto PETRO DAMIANI Monacho, & S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo Oſtienſi, qui tertij ordinis præſentis rami primum locum occupat, dicere cogito. Tantus enim fuit, ac talis, ideoque Sanctæ Eccleſiæ vtilis, ac neceſſarius, vt à quo factorum ſuorum principium ſumam, ignorem. Eruditio eius, & facundia ex eius pluribus ſcriptis, quæ & hodie ſuperſunt, nota eſt. Sanctitas, cuius inſigne fuit, quòd diù Cardinalis, & Epiſcopi Oſtienſis munere functus, denique pertæſus eius vitæ, Nazianzeni exemplo, ad priſtina ſe recepit Monachorum ſtudia. Tacebimus ergò? Abſit &c.]

21. Anonymus Cluniacenſis: [Alium Gregorium per eloquentiæ vbertatem.]

22. Robertus Cardinalis Bellarminus: [Virum Sanctum, ac deuotum, & præcipuè pœnitentiæ, & auſteræ vitæ amatorem ardentiſſimum.]

Et

Digitized by Google

23. Et vt alios innumeros prætermittamus; Cæſar Cardinalis Baronius: [Alium Ioannem Baptiſtam, vocem videlicet clamantem in deſerto prædicat, quem Deus in deploratiſſimo ſæculo, cum excreuiſſet ad Eccleſiam obruendam diluuium carnis, dedit mundo, vt auſteriſſimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione, & ſcriptis exiſiccaret tantam putredinem, pariterque pugnaret aduersùs Simoniacam hæreſim, quæ vbique locorum graſſabatur impunè.] Sic Baronius. Ideoque in oculis tot teſtium, qui ſcripti ſunt, omnis lingua confiteatur, quòd Beatiſſimus PETRVS DAMIANI inter Sanctos, & electos in gloria eſt Dei Patris.

CAP. XXX.

Corporis Sancti PETRI DAMIANI translationes. Protector à Ciuitate Fauentiæ eligitur, illamque à Gallorum excidio mirabiliter defendit.

1. POſtquàm autem vitæ immaculatæ plurimam hoſtiam iſte Abel obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt, ſe eſſe iuſtum, teſtimonium perhibente Deo muneribus eius in ſignis, & prodigijs, & per illam defunctus adhuc loquitur; contigit (vt ſupra innuimus) anno Domini MCCCLIIII. die 13. Aprilis

tranſ-

transferri à R. P. D. Matthæo de Callio, Abbate præclari Cœnobij S. Mariæ Angelorum, & poni venerandum Corpus in monumento nouo exciſo, in quo nondùm quiſquam poſitus fuerat, ſupra allata inſcriptione; monumentum verò hiſce verſibus exornari.

" [Quinque denis mille tercentis, & quatuor annis
" Tertius Aprilis; cum decimo fluxerat ortus,
" Tranſtulit te Clerus doctum in pagina ſacra,
" Oſtienſis Præſul, quem dotat Cardinalatus,
" O PETRE DAMIANE, te Crux in ordine Fontis
" Auellanæ beat, tu Legatus quoque tandem
" Sedis Apoſtolicę, petra nunc clauderis iſta.
" Inſtitit Abbas Matthæus de Callio natus.]

2. Quo quidem tempore eumdem Abbatem pingi curaſſe vetuſtiſſimam eius Imaginem, ex qua deſumpta eſt illa, quæ Opuſculi huius eſt imago, & ſuperſcriptio; apertè colligitur ex peritorum teſtimonio, qui illorum dierum ipſam antiquam faciunt. Nec enim difficilè eſſe potuit in huiuſmodi tranſlatione conformem fieri PETRO, ſicuti erat, dùm

Digitized by Google

dùm viueret, imaginem eius; quia corruptibile illius, vt diximus, induit incorruptionem. Et licet anima eius educta ſit è cuſtodia corporis ad confitendum nomini Domini, & portet imaginem Cœleſtis; tamen corpus vſquemodò portat imaginem terreni, in quam transformari proindè perfectè potuit ab eo, qui aſſiduitate ſua dedit picturam; ex cuius prototypo, vti accepimus à Viro dignitate, & eruditione præclariſſimo, olim Clemens IX. excipi aliam voluit factam ad ſimilitudinem eius, vt Beatiſſimum PETRVM DAMIANI, quem in palam honorare non poterat, propter hoc, quod longè eſſet, è longinquo in figura eius ſibi allata tantum Patrem, quem honorare volebat, in præſentia veneraretur; & illum, qui aberat, tamquam præſentem coleret ſua ſollicitudine.

3. Cum verò defeciſſet Congregatio Sanctæ Crucis Fontis Auellanæ, & ſupradictum Monaſterium Sanctæ Mariæ Angelorum, vbi S. PETRI DAMIANI Corpus requieſcit, obtinuiſſent Monachi Ordinis Ciſtercienſis; nouiſſimis noſtris hiſce temporibus dedit eis Dominus conſilium, vt Baſilicam eiuſdem Beatiſſimæ Virginis denuò ædificarent, & muros eius inſtaurarent; quod peregit Dominus Marſilius de Amicis eiuſdem Cœnobij Abbas, licet morte præuentus perficere non potuerit omnia, quæ diſpoſuerat in corde ſuo. Verùm anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, regnante Clemente X. Summo Pontifice, Diony-

ſius Pacifici alter Abbas, quæ cœperat Marſilius, opere compleuit; vndè cum iuxta nouam ſtructuram templi aperienda eſſet porta vna maior, quæ reſpiceret ad Orientem, transferendum ideò aliò fuit vnà cum Imagine Beatiſſimæ Virginis Corpus Sancti PETRI DAMIANI, quod ſtabat iuxta pedes eius. Quod factum eſt die 13. Decembris eiuſdem anni 1673. coram Carolo Cardinali Roſſetto tunc Epiſcopo Fauentino, Magiſtratibus eiuſdem Ciuitatis, Monachis, & Dionyſio Abbate Cœnobij, qui ſeorſim à Deiparæ Virginis Imagine, in proprio ſacello S. PETRI DAMIANI Corpus honorificè collocandum curauit.

4. Denique ipſa Fauentia Ciuitas eum ſibi elegit in Protectorem, & in domum refugij, vt ſaluam eam faceret in opportunitatibus, & tribulatione: ſpes quidem Ciuium in ſaluantem illos, & viciſſim oculi B. Patris in diligentes ſe. Ad quem enim reſpiciunt, & quis eſt fortitudo eorum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, regimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animas, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem, niſi fidelis iſte Seruus Domini Ieſu? Dextera enim illius magnificata eſt in fortitudine, dextera illius percuſſit inimicos eorum, & in multitudine gloriæ ſuæ depoſuit aduerſarios eorum. Miſit iram ſuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam, in ſpiritu furoris ſui congregatæ ſunt aquæ. Et reuera ſtetit vnda flu-

fluens; & congregatæ ſunt abyſſi in medio mari, cum vndique Gallorum vallo circumdata Fauentia, & coanguſtata; dùm diceret inimicus: perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet Ciues manus mea: flauit ſpiritus eius, & liberauit eam, & dux fuit in miſericordia Populo, quem redemit. Vndè ob grati animi monumentũ in Eccleſia Cathedrali in vna ex ſuis columnis inſcriptionem votiuam appoſuit ipſa Ciuitas; & vnà cum Sanctis Sabino Epiſcopo & Martyre, Æmiliano Epiſcop. & Confeſ., & Terentio Diacono anniuerſariam PETRI DAMIANI diem inuiolabili feſto celebrare conſtituit. Dicit enim.

" 5. [Imminente Ciuitati ex Gallis periculo
" cædis, exitij, & flammæ vouit vniuerſus Po-
" pulus Fauentinus agere non minus ſolemni-
" ter diebus feſtis SS. Sabini, & Æmiliani, Te-
" rentij, & PETRI DAMIANI Officium,
" quàm diebus Dominicis agi ſolitum, debi-
" tumque ſit, ſi modò Omnipotens Deus rui-
" nam auerteret. Quod fecit M. D. IIX.]

6. Quis igitùr ſimilis in fortibus tibi, Beatiſſ. Pater, quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia? At cum vſquemodò ſit nobis colluctatio aduersùs carnem, & ſanguinem, aduersùs Principes, & Poteſtates, ad-

aduerſùs Rectores huius mundi tenebrarum harum; tu rurſùs benignè in bona voluntate tua extende manum tuam, & deuoret eos terra, conturba Principes Edon, robuſtos Moab obtineat tremor, obrigeant omnes habitatores Chanaan; irruat ſuper eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui. Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeant famuli tui, donec pertranſeat ſeruus tuus iſte, qui ſcribit, quem poſſediſti. Introduc eum, & omnes Chriſtifideles, in quorum ore magnalium tuorum dulcis reſonat ſonus, & planta in monte hæreditatis Domini firmiſſimo habitaculo, quod præparauit tibi, & cunctis diligentibus ſe. Filij Iſrael ambulent per ſiccum in medio mari huius ſæculi, & ſanctis precibus tuis porta eos in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum Domini, qui cum Filio, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in æternum, & vltra.

FINIS LIBRI TERTII.

VITÆ

Digitized by Google

VITÆ S. PETRI DAMIANI

S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Oſtienſis

LIBER QVARTVS.

PETRVS DAMIANI Monachus, & Eremita.

CAPVT PRIMVM.

Charitas PETRI DAMIANI in Deum.

1. SI commota ſunt ſuperliminaria cardinum Terræ à voce PETRI DAMIANI clamantis ſuper inimicos Domini, & domus Eccleſiæ Dei repleta eſt fumo mirabilium operum eius, & ſapientiæ, & virtutis eius (vt vſque modò vidimus) abſque dubio hoc ex illo Diuinæ Charitatis igne

igne proceſſit, qui in altari cordis eius ſemper ardebat, quem nutriebat Sacerdos ipſe Altiſſimi, ſubijciens ligna manè per ſingulos dies; vndè & ignis iſte perpetuus numquam ex altari eius deficiebat.
Tom. 4. prec. & Carm. or. 3. ad Spir. Sanct. [*Profectò Domine* (ipſemet confitebatur Deo ſuo) *ſi tu recedis, anima mea non viuit; ſicut enim ſubtracta anima, corpus emoritur: ſic te recedente, ipſa protinùs anima neceſſe eſt extinguatur. Tu ſpiritus ardoris; anima mea ad ſuum liqueſcat aduentum, Cœleſtem virtutem per te renouata concipiat, ad ſui vigoris originem redeat, atque in amorem tuum, ſuccenſis viſceribus, inardeſcat.*]

2. Licet enim Charitas Chriſti diffuſa eſſet in corde ipſius per Spiritum Sanctum; tamen adhùc exoptabat deſcendere ignem de Cœlo, vt deuoraret ſe; ſicut ille, qui ſiluam comburit, & ſicut flamma comburens montes; & quotidiè pulſabat ad oſtium fornacis illius ignis ardentis, vt erumperet, & incenderet quidquid erat in ſe. Ipſe verò dulciter cruciabatur in illa flamma; & nubes magna, & ignis inuoluens, & ſplendor in circuitu eius illum quaſi refrigerandi gratia cogebat huc, illucque verſari. Modo enim in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate dulciſſimum iugum oneris ſui, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris ſui Diuini amoris quodammodò ſuperare cogebatur. Sed hæc ipſa violenta prædatio PETRI cum tumultu

multu per pœnitentiam, qua in ſe ipſum inuehebatur, & veſtimentum ipſius mixtum ſanguine, erat in combuſtionem, & cibus ignis. Multiplicabatur enim Cæleſtis Amantis imperium, & Diuina dilectio aſcendens ſuper omnes riuos eius, & fluens ſuper vniuerſas ripas eius ibat per illum inundans; vnde totus in lacrymas diſſoluebatur. Hinc cupiebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto: modò anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis: nunc leuabat ſe ſuper ſe: modò deſcendebat vſque ad inferiores partes terræ: modò ſpiritum timebat extinguere; ſed eodem tempore nolebat fraternitatis obliuiſci. Quæ omnia in illo operabatur vnus, & idem Spiritus, qui diuidit ſingulis prout vult.

3. Et licet in eo Charitas non excideret, ſiuè linguæ ceſſarent, ſiuè ſcientia deſtrueretur, cum tamen ſibi videretur eadem in Epiſcopali dignitate paululùm minui, flens ſcripſit Nicolao in Apologetico de abdicatione Epiſcopatus. [*Memini ſæpè me ita Diuini amoris igne ſuccenſum, vt optarem protinùs clauſtra carnis effringere, & quaſi de cœno ſolutus, & carceralibus tenebris, ad æternitatis lumen medullitùs anhelare. Erat enim mihi tunc, ſicut per Prophetam Dominus pollicetur, cor carneum, ſiuè vt mihi videbatur, cereum: quod nimirùm deſiderij Cœleſtis afflatum flamma liqueſceret, & vberibus lacrymis flebilia frequenter ora rigaret. Horrebam audire, quanto magis ore proferre quidquid non prouocabat ad* Opuſc. 19 ca. 5. poſt med. Ezechiel. Proſ. 11.

Chriſtum; omneſque nugas, ſiue nænias verborum ſæcularium velut rictus canum, ſiuè morſus ſerpentium deputabam. Sæpè cernebam præſentiſſimo mentis intuitu Chriſtum clauis affixum, in Cruce pendentem, auiduſque ſuſpiciebam ſtillantem ſuppoſito ore cruorem. Porrò ſinitar apicibus tradere quidquid mihi contemplari dabatur, vel de ſacratiſſima Redemptoris humanitate, vel de illa Cœleſtis gloriæ inenarrabili ſpecie, ante dies elabitur, quàm rei ſeries digeratur. Nùnc autem durus, & ſaxeus, dùm negotijs iugitèr exterioribus atteror, in compunctionis intimæ lacrymas non reſoluor. Enimuero ſæpè manum meo pectori ſuperpono, & animarum Medico quaſi putulentum vulnus oſtendo, clamitans, & intima ſupplicatione vociferans: Qui cauernas, inquam, tartareas Diuinitatis tuæ radijs illuſtraſti, cordis huius tenebras dimoue, ac veritatis tuæ luce ſerenus infulge. Sed clamanti ſecùs viam cæco Ieſus aliquando ſtat, lumenque reformat; aliquando pertranſit, tamquam deſidiosè clamantem non audiat; ſicque miſer cæcus in ſua nihilominùs cæcitate perdurat. Ego, ego, proh dolor! tamquam alter Samſon ſeptiformis Spiritus Sancti dona, quaſi ſeptem crines amiſiſſe me defleo; & effoſſis oculis non frontis, ſed cordis, curarum ſæcularium molam voluo. Ego ille Sedechias, cui Rex Babylonicus priùs filios interficiens, bonorũ operum fructus abſtulit, poſtmodùm oculos eruit, dùm contemplationis intimæ luce priuauit.]

Sed

Digitized by Google

4. Sed reuerà quis illum potuit ſeparare à Charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? Dùm in his omnibus ſuperauit propter eum, qui dilexit nos. Certum eſt enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia potuit eum ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino Noſtro. Nam & ſi aliquando dilectus ſimulabat ſe longius ire; hoc ipſe mirabili diſponebat prouidentia, ne videlicet multitudo reuelationum extolleret eum; & non quia hoc volebat, ſed quia volebat ab eo audire: Mane nobiſcum Domine, quoniam aduesperaſcit; præteriens teneri volebat, abiens reuocari. Erat enim, ſicut & modò plenus gratia, & veritate; vnde ſimilitudinem capreæ, & hinnuli præferebat in huiuſmodi viciſſitudinibus euntis, & redeuntis; cum veritas capreæ oculos habeat, gratia hinnuli hilaritatem. Et vtraque res neceſſaria PETRO, & cunctis; & veritas quidem, cui abſcondi non poſſimus, gratia autem cui nolimus. Alioquin ſine alterutra viſitatio plena non erit, cum & illius ſeueritas abſque hac oneroſa, & huius hilaritas abſque illa diſſoluta videri poſſit. Amara eſt enim veritas ſine condimento gratiæ, ſicùt abſque veritatis fræno leuis, & neſciens modum plerumque, & inſolens ipſa deuotio. D. Bern. ſer. 74 in Cant.

5. In reliquo, quàm familiare eſſet illi eſſe dilecto ſuo, & ad eum conuerſio illius, teſtatur ipſe his verbis: [*Sunt homines mundi*, inquit, *faciles ad iram, difficiles ad miſericordiam: Deus autem, & ad iraſcendum difficilis, & facilis ad miſerandum. Reuolant illi ad opprobria, quæ remiſerunt: iſte cum remiſerit, ſic eſt quaſi non fuerit. Ad limina potentium frequentiùs excubamus, non habentes liberos acceſſus ad colloquendum, & ſi quid deliquimus, ſupplicibus oculis, facie tribulata, verbis humilibus emendamus. Illi autem plerumque ſuperbo oculo, & humero dedignati, pedibus ſuis deuolutos, vel reſpicere nolunt.*

Serm. 56. de S. Mart. tom. 2

6. *Non ſic Dominus Ieſus, qui libentiùs loquitur mecum, quàm ego ſecum; quem inuenio quotiès quæro; qui occurrit cum panibus fugienti, qui vultum lætum oſtendit mihi, qui meam pœnitentiam, ſicut innocentiam amplexatur; vbique lætus, vbique bonus, vbique pius, vbique dulcis cum magna multitudine dulcedinis ſuæ. Non facit ſupercilium, oculos non obliquat, non detorquet faciem, nec verba reſonat ampulloſa, ſed occurrit reuertenti, & accurrit in amplexus, flens ſuper collum meum, & iubet proferri ſtolam primam, dari annulum intelligentiæ, & calceari pedes in præparatione Euangelij, in choro, in ſymphonia ad ſuperna gaudia reuocari, & occidi vitulum ſaginatum in remiſſionem peccatorum meorum.*

Digitized by Google

rum. *Vides ergo quàm longa patientia ſit in Deo, quam velox miſericordia. Longanimis, ait Sanctus, & multùm miſericors. Libenter igitur ad te confugio, Domine Ieſu, qui diutiùs pateris, & velociter miſereris, quia tu es Deus, & non homo, ſicut Propheta dicit, qui ſeruet iram, abſcondat malitiam, vindictam inquirat.*] Pſalm. 102.

7. Videns igitur Vir Dei qualem Charitatem dediſſet illi Deus, vt filius eius nominaretur, & eſſet; quidquid loquebatur, amorem redolebat in prouocationem Charitatis, & bonorum operum: [*Et hæc* (dicebat Blanchæ Comitiſſæ) *eſt ſumma cuiuslibet ſanctæ animæ mundi nexibus expeditæ, atque hic tota debet verſari intentio, vt ad amorem Dei per omnium ſuorum operum incrementa contendat: & quandoque in veri Sponſi delectabiliter amplexibus requieſcat. Sicut enim quis ad boc Eccleſiaſticis gradibus initiatur, vt ad Sacerdotij culmen attingat; vel potiùs, vt tua dicamus, ad hoc virgo dotatione ſubarrhatur, vt nubat: ita nimirùm omnes ſæculum relinquentes ad hoc debent ſemper eniti, vt Auctori ſuo valeant arctiùs in amore coniungi. Alioquin quid proderat iugum Ægyptiacæ ſeruitutis abrumpere, Rubrum mare tranſire, ſi terram lactis, & mellis irriguam numquam daretur intrare? Lac quippè fructus eſt carnis, mel labitur de ſupernis. Et quia Redemptor noſter de Cœlo veniens, carnem ſuſcipere ex Virgine dignatus eſt, hæc eſt terra illa viuentium,* Opuſc. 50. ad Blanc. Comitiſs. cap. 1. to. 3

Digitized by Google

ad quam debemus intentis ſemper amoris greſſibus feſtinare. Hunc Sponſum, venerabilis ſoror, charitatis vlnis amplectere, ſuper hoc iugiter delectare.]

8. Ipſi verò præ amoris magnitudine fuerunt lacrymæ eius panis die, ac nocte, dùm in hac lacrymarum valle dicebatur illi quotidie: vbi eſt Opuſc. 13. cap. 13. Deus tuus? [*Et hæc lacrymarum aqua*, dicebat, *ex igne profluit, vt quiſquis affluere imbris inundatione deſiderat, Diuini amoris ignem prius neceſſe eſt in camino ſuæ mentis accendat. Quod faciliùs exprimere poſſumus, ſi quod in ſecundo* 2. Machab. 1. *Machab. libro perhibetur hiſtorialiter geſtum, ad memoriam deducamus. Ait ergò Scriptura: Cum in Perſidem (inquit) ducerentur patres noſtri, Sacerdotes, qui tunc Dei cultores erant, acceptum ignem de Altari occultè abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum, itaut omnibus ignotus eſſet locus. Cum præteriiſſent autem multi anni, placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Perſidis, hic miſit nepotem Sacerdotem illorum, qui abſconderant, ad requirendum ignem, & ſicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam. In quibus omnibus verbis illud vnum ſpiritualiter attendendum eſt, quod in alto, & ſicco vallis puteo priùs ignis abſconditur, & poſtmodùm non ignis, ſed aqua craſſa à requirentibus inuenitur. Mens quippe ſincera, atque perfecta Deum intentione*

quæ-

Digitized by Google

quærentis non incongruè per puteum vallis altum, & ſiccum deſignatur: quæ nimirùm & à fluidis illecebrarum carnalium voluptatibus arida, & terrenæ concupiſcentiæ ruderibus altè defoſſa, & in veræ humilitatis eſt conualle fundata. Huic itaque puteo ſacrificij ignis immittitur, cum in electi cuiuslibet mente Diuini amoris flamma concipitur, atque ad Cœleſte deſiderium pius animus inflammatur. Sed hic ignis in aquam vertitur, quia ex aqua Diuini amoris lacrymarum compunctio generatur.

9. *Audiuimus ante, quia aqua pro igne reperta eſt; audiamus, quid ſequitur; nàm cum præmiſiſſet: Quia iuſſit haurire, & afferre ſibi, & ſacrificia, quæ impoſita erant, iuſſit Sacerdos Nehemias aſpergi aqua ipſa, & ligna, quæ erant ſuppoſita; protinùs hiſtoriæ ſeries addidit: Hoc factum eſt, & tempus abſuit, & Sol refulſit, qui priùs erat in nubilo, & accenſus eſt ignis magnus, ita vt omnes mirarentur: nunc è contrario dicitur, quia per aſperſionem aquæ ignis magnus accenſus eſt. Ergò ex igne aqua naſcitur, & ex aqua ignis inuicem procreatur. Quia videlicet & ex igne Diuini amoris gratia compunctionis oritur, & rurſus ex compunctione lacrymarum deſiderij Cœleſtis ardor augetur. Alterum ſiquidem pendet ex altero, & ſibimet vtrumque inuicem præſtat, dùm & ex amore Dei lacrymarum compunctio profluit; & rurſùs per lacrymas ad amorem Dei* Ibid. inferius. 2. Machab. vt ſup.

mens

mens noſtra feruentiùs inardeſcit &c.]

10. Hæc PETRVS de lacrymarum laude, quas ipſe iugiter fundebat, dum in meditatione ſua ignis exardebat; tenens enim dilectum ſuum, dimittere illum nolebat, niſi illi benediceret, & vt ſedulò rigaret, & non ceſſaret oſculari pedes eius: qui in Iudæa erat per humilitatem, fugiebat ad montes Diuinæ contemplationis, & relinquens omnia, vt Deum ſequeretur, non deſcendebat tollere quidquam de domo ſua.

11. Sed & aſcenſiones ad Diuini amoris apicem in corde ſuo diſpoſuit in valle illa lacrymarum, in loco, quem poſuit, vti apertè colligitur ex eis, quæ docuit: [*Amandus*, inquit, *eſt Deus dulciter ſapienter, & fortiter. Dulcis enim eſt, & dulciter diligi debet, qui multitudinem dulcedinis ſuæ, vel amantibus, vel timentibus ſe miniſtrare non ceſſat. Amatur in dulcedine, cum amatur in carne; cum neſcimus niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum; cum tota carnis eius frequentia frequenti memoria retinetur; & oſſa noſtra medullitùs concutit tantæ miſerationis dignatio. Cum enim recordamur Regem gloriæ paruuli vagientis ſuſtinere miſerias, pannorum vilium vilitate deuolui, fatigatum ex itinere reſidere, Phariſæorum opprobria, conuitia Iudæorum aure patientiſſima pertranſire, numquid non compungi debemus ad tantæ pietatis intuitum? Conſidera Filium Virginis illitum ſputis, liuidum plagis,*

Serm. 16. de S. Petro Apoſt. tom. 1.

cla-

Digitized by Google

clauis confixum. Attende Rectorem Cœli ſtantem in Cruce pallidum morte, carne deformem. Ne pertranſeas Dominum Angelorum, factum opprobriũ hominum, virum dolorum, & ſcientem infirmitates, virum percuſſum à Deo, & humiliatum, virum leproſum, & omnibus expoſitum detrimentis. Hæc recordatio ſuccendit cor, pectus adurit, interiora depaſcitur. Talis memoria elicit lacrymas, ſuffundit oculos, vultus humectat. Circa hunc ferè gradum obuoluitur omnis Religioſorum inſtantia, raraque auis in terris eſt, quæ poſſit hunc tranſire profectum. Aſtat enim orantibus, vel imago naſcentis Dei, vel pendentis in cruce, tenetque mentis affectum, incaleſcens affectio, & ad vlteriora vix permittit excurrere. In hoc gradu Petrus impreſſus conſiſtebat cum carnem, & conuerſationem Ieſu Chriſti tenerrimè diligens, Saluatorem etiam à ſaluatione generis humani retrahebat dicens: Propitius eſto Domine, tibi ipſi, ne fiat hoc. Cui Dominus: Vade (inquit) poſt me ſatana, quia non ſapis, quæ Dei ſunt; culpans conſilium, non affectum. Diligebat enim dulciter, non tamen ſapienter. Quomodo enim ſapienter, qui mundi redemptionem, & Dei prouidentiam nitebatur excludere? Sed ſuccenderat cor eius familiaritas dulcior, & verbum de Redemptoris abſentia pati non poterat benignitas diligentis. Hic diligitur Deus ex toto corde, cum in corde hominis affectus, & dulcedo inhabitet, ſolumque

cor

Digitized by Google

cor hominis amoris dulcedinem perſeueranti ſtabilitate cuſtodiat. Vndè & vulgaris vſus obtinuit, vt cum aliquem ab aliquo vehementer amari conſpicimus, dicamus: Ex corde diligit eum, quem ſcilicet amat, & ſequitur.

12. *Secundus eſt diligere ſapienter. Gradus iſte multæ altitudinis eſt, & nimis difficilem pollicetur aſcenſum. Non autem euadit ad cacumen eius, niſi mens mundior, & quæ mundi huius ſapientiam ſapientia ſuperualeat Angelorum. Non attenditur hìc naſcentis, vel itinerantis Dei cumulata deuotio, ſed Verbum in principio apud Deum. Recordare filium Dei cum Patre omnia fabricantem, creantem Angelos, elementa iungentem, diſponentem mundum, omnia gubernantem; & cognoſce quàm excelſior ſit iſta cognitio, quàm illa. Intuere ineffabilem ipſius genituram, & genitum gignenti non diſſimilem; nec priorem Patrem, quàm Filium; & tunc intelliges quanta differentia natiuitatem vtramque disiungat; cum aliud ſit naſci in gloria, aliud in miſeria, aliud æqualem Deo, aliud Angelis eſſe minorem. Hæc eſt ſapientiæ ſingularis ſupergredi corpus, & corporis obſtacula: & in illius lucis ſubſilire ſplendorem, vbi lumen videtur in lumine, & Deus non ſeruiens ſed imperans demonſtratur. Felix anima, quæ feculentæ carnis ſuperata materia, in huius ſapientiæ lumine requieſcit. Vis videre Paulum, quomodo à primo gradu ad ſecundũ aſcenderit? Cum*

dixi-

Digitized by Google

dixiſſet: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Scripſit alio loco: Et ſi noueramus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iam non nouimus. Hic affectus ſapientiæ ſedet in anima, quæ ſola rationis capax eſt, incorporeumque, & incircumſcriptum ſpiritum indefeſſa meditatione proſpectat. Hic diligitur Deus ex tota anima, ideſt ex tota ſapientia, qui prius ex toto corde, ideſt ex dulcedine diligebatur. Galat. 6. 2. Corint. 5.

13. *Tertius gradus eſt amare fortiter, ideſt ex omnibus viribus. Fortiter diligit, qui, cum neceſſe fuerit, pro Saluatoris fide corpus, & animam tormentis exponit. Hic eſt fructus operis, laboris conſummatio, probatio dilectionis. De gradu enim dulcedinis ad ſapientiæ gradum aſcenderat Apoſtolus Petrus, cum diceret: Animam meam pono pro te. Nihil ſapientius, neque fortius, quàm: Animam meam pono pro te; nihil inſipientius, neque debilius, quam: Neque ſcio, neque noui quid dicas. Profectò iàm diligebat dulciter, iam ſapienter; ſed vtrumque perdidit, cum fortiter non dilexit; cum ad vocem mulierculæ Dominum, ac Magiſtrum ſuum celeriter abnegauit. Sed cum mori pro Chriſto diſpoſuit, dilexit nimis; quia maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; affixus Cruci à fide ſeparari non potuit. Vides ergò quomodò tres gradus iſti trinæ legis dilectioni conueniant.*]

14. Et hoc certè triplici funiculo dilectionis ligabatur anima Beatiſſimi Viri, dùm tam dulciter Crucifixi gloriam ampliare ſtuduit, dùm tanto contemplationis amore ſapienter ipſi incubuit, dùm tàm fortiter pro Domino Deo ſuo dimicauit, vt ſupra vidimus.

C A P. II.

Charitatis in Deum nonnulla alia documenta.

1. TAndem ad acquirendam Diuinam Charitatem prætereundum non eſt, quod docuit in Opuſculo de perfectione Monachorum.

Opuſc.13. c.2. 2. [*Dedimus fratres*, inquit, *vt confidenter dicam, dedimus nonaginta libras argenti Regi noſtro Chriſto, pro cuius intuitu poſſeſſa reliquimus, coniugium ſpreuimus, eſum carnium deuitamus, mundi pompam, & gloriam perhorreſcimus, nitorem ſæcularis habitus humili veſte mutamus. Magna ſunt hæc, ardua ſunt, fateor, magniſque ſupernæ retributionis muneribus compenſanda, ſed adhùc reſtat vndè præfixum debeat pondus impleri, vt in gazophylacium Regis æterni mereatur admitti. Quæritis quid ſit hoc? Occurrit mihi protinùs, vt vobis iſta reſpondeam: Obedientia, Charitas, gaudium, pax, patientia, cæteræque virtu-*

virtutes, quas gentium Prædicator enumerat. Sed volo compendioſè perſtringere, quo menti veſtræ valeat faciliùs, ac per hoc arctiùs inhærere. Itaque nihil eſt aliud, niſi feruor in Deum, & mortificatio in temetipſo. Si enim Apoſtolica in nobis ſententia viueret, qua dicitur: Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, quia carnalis amor non haberet, vbi ſe intra noſtra diffunderet; neceſſariò ſe omnis noſtra delectatio in Deum ſuſpenſa transferret, & illic noſter ignis exiliens viueret, quia intra nos diffundendi ſe ſpatium non haberet. Prudens etenim vir, & ad ſalutis ſuæ cuſtodiam vehementer intentus, tanta reprimendis vitijs ſollicitudine ſemper inuigilat, vt perfectæ mortificationis cingulo lumbos ſuos, & renes, ventrem vnà cum lateribus vndique circumſtringat. Quod nimirùm tunc fit, cum pruriens gula reprimitur, cum lingua procax ſub ſilentio cohibetur, cum auris à detractionibus clauditur, cum oculus aſpectare, quæ ſunt illicita, prohibetur, cum retinetur manus, ne crudeliter feriat, pes, ne vagabundus inaniter pergat; cum reſiſtitur cordi, ne proſperis alienæ felicitatis inuideat, ne quod ſuum non eſt, per auaritiam concupiſcat, ne ſe ab amore fraterno per iracundiam diuidat, ne ſe ſuper cæteros arroganter extollat, ne titillanti luxuriæ ex delectatione conſentiat, ne ſe vel in mœrorem immoderatiùs deprimat, vel lætitia lenocinante reſoluat. Quia igitur huma-

Digitized by Google

humana mens penitùs vacare non valet, vt cuiuſlibet rei ſe amore non occupet, cum hoc virtutum muro vndique circumcluditur, quia ſe circa ſe nequaquam dilatare permittitur, ſupra ſe neceſſe eſt rapiatur.]

3. Et inferiùs admonens quomodò ad guſtandam Diuini amoris ſuauitatem in ſancta contemplatione quis pertingere poſſit, & docens, quòd priuſquam ad hanc optimam partem perueniatur Mariæ, neceſsè eſt, vt in ſui diſtricta mortificatione, & multimoda prius bonorum operum ſollicitudine vnuſquiſque cum Martha ſe exerceat.

Ibid. vt ſup. cap. 8.

4. [*Omnis*, dicit, *denique noſtra conuerſio, & abrenunciatio ſæculi ad nil aliud, niſi ad requiem tendit: ſed hæc requies ſic acquiritur, ſi prius homo diuerſis certaminum laboribus exerceatur, vt ceſſante poſtmodum omni perturbationum ſtrepitu, per gratiam contemplationis transferatur animus ad indagandam ſpeciem veritatis. Sed cum ad hanc requiem, ſicut dictum eſt, nonniſi per labores, & certamina peruenitur, quomodò quis ad requiem peruenit, qui necdùm ad certamina ipſa, quæ in medio ſunt conſtituta, deſcendit? Quo enim pacto quis valeat aulam ingredi Regiam, ſi eam, quæ præ foribus eſt, nondùm tranſiuit arenam? Qui propaginare non didicit, qui palmitum ſarmenta non ſecuit, qui glebas ſarculis numquam fregit, qui vomeribus noualia*

non

non ſulcauit, quomodò excuſſis paleis in horreo frumenta recondere, aut plenis muſto canalibus vinaria poterit amouere?

5. *Porrò non obſcurum eſt, quòd Laban duas filias habuit, quarum iuniorem Iacob in coniugium concupiuit, ad cuius tamen amplexus peruenire non potuit, donec maiorem ignarus, atque ideò inuitus accepit.* Sed *quia rem ſcientibus loquor, non mihi multis elaborandum eſt verbis: Laban quippè dealbatio interpretatur. Quis autem ad Deum conuertitur, niſi vt depoſita peccatorum nigredine per remiſſionis gratiam dealbetur? Sicut ipſe pollicetur dicens: Si fuerint peccata veſtra quaſi vermiculus, tamquàm nix dealbabuntur. Quod felix ille peccator poſtulabat, dum diceret: Mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Lia interpretatur laborans; Rachel verbum, ſiue viſum principium. Sed ſi Scripturam diligenter attendimus, nec vno quidem die ſeruiſſe Iacob propter Liæ deſiderium reperimus, ſed per totas illas annorum hebdomadas pro ſola Rachel ſeruituti ſubiacuit: inſuper & ipſam Liam ad illius intuitum tolerauit. Quis enim ad Deum idcircò conuertitur, vt labores, & ærumnas, ac tentationum certamina patiatur? Omnis enim Deum quærentis intentio hoc ſperat, ad hoc ſpectat, vt ad requiem quandoque perueniat, & in ſummæ contemplationis gaudio, velut in pulchræ Rachel amplexibus requieſcat: videlicet vt per*

ver-

verbum, quod audit, ſcandat ad videndum principium, quod quæſiuit.

6. Sed neceſſe eſt, vt hunc diuerſorum certaminum labor exerceat, antequàm ad quietis intimæ ſuauitatem, quam concupiſcit, attingat. Priùs ſeruitute deprimitur, vt iure poſtmodùm ad perfectæ libertatis titulos prouehatur. Septem verò annis ſub dealbationis gratia ſeruit, cum ſeptem ea, quæ ad proximi dilectionem pertinent, Decalogi mandata cuſtodit; videlicet, vt primo timore conſtrictus, atque ideò ſeruitutis iugo depreſſus, ſaltèm à vetuſtæ legis incipiat inſtitutis; vt nimirùm parentes honoret, vt non mœchetur, non occidat, non furetur, non falſum teſtimonium proferat, non vxorem alterius, non rem proximi concupiſcat. Quibus ritè ſeruatis, non mox, vt ſperabat, ad contemplationis oblectamenta perducitur, vt velùt expectata diù Rachel pulchritudine perfruatur: ſed Lia ſibi per noctem inopinata ſupponitur, quia inter humanæ huius ignorantiæ tenebras tolerantia ſibi laboris iniungitur: ex qua tamen iàm numeroſam ſobolem ſuſcipit, quia vberes ſpiritualis lucri per hunc laborem fructus acquirit.

7. Hanc itaque tolerat, vt ad illam quandoque perueniat, quam perſeueranter amat. Suadetur ergò, vt alios ſeptem annos ſeruire deſudet; quia profectò neceſſe eſt, vt adhùc alia ſeptem præcepta conſeruet: ſed iam aliquanto liberior, non

Lega-

Digitized by Google

Legalia tamquàm ſeruus, ſed Euangelica ſicùt gener; videlicèt, vt ſit pauper ſpiritu, ſit mitis, lugeat, eſuriat, ſitiatque iuſtitiam; ſit miſericors, mundum cor habeat, ſit poſtremò pacificus. Enim verò vellet homo, ſi fieri poſſet, nullas quidem laborum moleſtias agendo, vel patiendo perferre, ſed protinùs in ipſis ſui tyrocinij rudimentis ad pulchræ contemplationis delicias peruenire; verumtamen hoc non in terra morientium fit, ſed in terra viuentium, quod ſignificare videtur illud, quod ad Iacob dicitur: non eſt, inquit Laban, in loco noſtro conſuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias. Nec abſurdè maior appellatur, quæ prior eſt tempore: prior eſt enim in hominis eruditione labor boni operis, quàm requies contemplationis. Expletis itaque duabus hebdomadibus, altera videlicèt Legis antiquæ, altera Euangelicæ gratiæ mox ad diù deſideratæ Rachelis peruenitur amplexus: quia quiſquis pertingere ad Diuinæ contemplationis oblectamenta deſiderat, prius neceſſe eſt, vt vtriuſque Teſtamenti peragere mandata contendat.]

8. Hæc PETRVS ad eruditionem eorum, qui quietem intimæ contemplationis, & in ea ſupernæ dilectionis guſtare dulcedinem affectant; cum ſæpè nec veterum ſuorum delictorum acceperint purgationem. Qui tamen ignorare non deberent, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt priùs diſtrictæ mortificationis, & omnes mare tran- a Corint. c. 10. 1. 2. 3. 4.

Digitized by Google

tranſierunt multimodæ ſpiritualis exercitationis; & omnes velut in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari multarum tribulationum, vt omnes etiam eamdem eſcam ſpiritalem manducarent, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberent; biberent autem de ſpiritali Diuinarum rerum contemplatione, conſequente eos Petra, Petra autem erat Chriſtus. Nullus eſt enim perfectus in contemplatione, qui ex labore boni operis non peruenit ad arcem eiuſdem contemplationis. Vnde & in Euangelio Dominus dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; tunc enim, qui laborat vocatur, quando benè agenti deſiderium æternitatis infunditur; & ad vocantem ſe accedunt, quando ad contemplatiuæ vitæ quietem veniunt: contemplationis enim ſecretum nullus experitur, qui in aliqua prius operatione bona non fuit.

Ex D. Gregor. in 1. Reg. c. 14. Expoſ. lib. 5. tom. 1.

Matt. 11.

9. Illud etiam, quod ſicut Iacob, qui Rachelem amauit, prius Liam accepit, & ſic deindè Rachelem in coniugium ſumpſit (vt ipſe PETRVS animaduertit,) multis, vt plurimùm accidit; vtramque ſcilicet ſororem habere, poſt laborioſam nempè Liam, pulchram Rachelem. At Venerabili Patri Noſtro, quaſi alij Dauidi, ad maioris filiæ Saul thalamum aliquando non perueniſſe contigit (vt toties ipſe conqueritur.) Quia nimirum ipſe, vti Dauid, Rex fuit; alij verò, vt Iacob, Reges non ſunt. Qui enim regimen

Ex D. Greg. vt ſup.

ani-

Digitized by Google

animarum coactus ſuſcepit, eum cenſura Eccle-ſiaſtica ſuſceptum gregem deſerere, & remotæ vitæ otijs vacare non permiſit. Merob enim in Eccleſiaſtica dignitate promiſſa illi fuit, ſed non data, Michol verò data; quia cum ipſe curam animarum ſuſcepit, putauit ſe ſic aliorum curam gerere, vt etiam ſibi ipſi valeret per ſolitudinem vacare. Quietem tamèn, quam in Prælatione quæſiuit, numquam inuenit; vndè factum eſt, vt dùm impetrare à Domino gratiam tantæ puritatis nequiuit, quaſi iram Domini incurriſſe pertimuerit. Et ideò quaſi irato Rege promiſſam ſibi primogenitam perdidiſſe credidit, quia eum, quem ſe putabat in Prælatione habiturum, amorem quietis intimæ amplecti non potuit, vt concupiuit.

10. Propter hoc igitur conſiderans, quòd actiua vita viſionem habet in tranſitu, opus verò in intentione; contemplatiua verò opus in itinere, intentionem in quiete; illarum trium mulierum exemplo, quæ emerunt aromata, & venientes vnxerunt Ieſum, ſtetit in opere, vt currere valeret ad contemplationem. Aromata ſiquidèm emit per laborem boni operis, bonæ opinionis odorem circumquaque dilatans, & Ieſum in ſepulchro vnxit; dum per carnis mortificationem deuotionis intimæ pinguedinem guſtauit; nàm velut in ſepulchro vnxit eum, cum, Epiſcopatu abdicato, & ipſe conſepultus ad gaudium intimæ claritatis ſuæ deuotiſſimè peruenit. In tranſitu enim operatio- Marc. 16.

nem habuit: quia, & ſi aliquando operabatur, quaſi currendo hoc deſeruit, qui ad locum dilectæ ſolitudinis magno ſpiritus impetu impellebatur, nàm, quia totis deſiderijs in æternorum amore requieſcebat, videre magis, quàm miniſtrare appetebat. Vndè quantum licuit, rarus fuit in publico operis, aſſiduus in ſecreto contemplationis, foris parùm, ſatis intùs immorans; fornicationem ſiquidem eſſe iudicare ſolebat vel ad momentum à Chriſti, quem toto corde diligebat, contemplatione diſcedere.

CAP. III.

Charitas PETRI DAMIANI in proximum. Eiuſdem in corde Charitatis cum humilitate mira colluctatio.

Cantic. 8. 1. SEd ipſemet PETRVS, qui docuit, illud Cantici Canticorum exponens: [Pone „ me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſi-
Opuſc. 50. c. 3. „ gnaculum ſuper brachium tuum:] [*Quòd ſæpè nos ob rei memoriam, quam obliuioni tradere nolumus, digito noſtro, vel brachio ſignum aliquod innodamus, vt dum ſignum frequenter attenditur, res, quam intercipere potuiſſet obliuio, iugiter in memoria teneatur. Quiſquis autem Chriſtum quaſi amat, ſed operari bona diſſimulat, iam quodammodò ſponſum ſuper cor ſignaculum*

poſuit

Digitized by Google

poſuit, ſed ſuper brachium omninò non poſuit. Quiſque verò bonis operibus videtur intentus, ſed à Diuini amoris torpet incendio frigidus; iam iſte ſanctitatis imaginem ſuper brachium poſuit, ſed adbuc in corde Chriſti ſignaculum non expreſſit. Vt ergo ſancta anima Chriſti charactere vtrobique ſignetur, eum in corde ſuo ſignaculum ponat, vt amoris eius facibus medullitùs inardeſcat: ponat etiam conſequenter in brachio, vt pijs operibus valenter inſiſtat;] qui hæc, inquam, docuit, & tàm indelebiliter Cœleſtis Sponſi poſuerat ſignaculum ſuper cor ſuum in altiſſima contemplatione, non poſuiſſe non potuit ſignaculum ſuper brachium ſuum ad fortia quæque manum ſuam mittendo; ſed præcipuè diligendo homines, quos videbat, vt ex hoc conijci poſſet, quanta Charitate Deum diligeret, quem non videbat.

2. [*Dixerit me quiſpiam* (ſcribit Ioanni Epiſcopo Cæſenati, & Archidiacono Rauennati in Opuſculo de gradibus conſanguinitatis contra Inceſtuoſos) *verbis liberiùs euagatum; ſed mihi tanti eſt proximorum meorum ſalus, vt non otioſum credam multorum lignorum pyram accendere, qua baſiliſcum licet exiguum incolumi populo neceſſe ſit interire; nec multa aqua inaniter funditur, ſi ſcintilla ignis, qua vrbs cremanda fuerat, extinguatur.*] Opuſc. 8. c. 11. tom. 3.

3. Et ad Almericum Archidiaconum. [*Quantus erga te* (ſcripſit) *fili chariſſime, meæ mentis* Epiſtol. lib. 5. epiſt. 5. tom. 2.

Digitized by Google

amor inferueat, quàm tenax, ac peruicax tui memoria de noſtro pectore non recedat; is, qui Charitatis auctor eſt, ſinceriſſimo cordi tuo Sanctus Spiritus innoteſcat. Conſcientia ſiquidem teſte non mentior, illos etiam apud me vis tuæ dilectionis excedit, quos mibi neceſſitudo germanæ conſanguinitatis aſtringit; & certè dignum eſt, vt dilectio ſpiritualis amorem ſuperet carnis.]

4. Nec mirum, ſi ardor Charitatis obliuiſci eum fecit populum ſuum, & domum patris ſui, & deleuit in eo hæredem, & fratrem, & extinxit in ipſo ſcintillam, quæ naturalis dilectionis carni, & ſanguini relicta erat; dum & ipſam animam ponere cupiebat pro fratribus ſuis. Vndè ad Monaſterij Claſſenſis Abbatem ſcribens, qui Monachum ſuum à Monaſterio transfugam, & multis excommunicationum vinculis obſtrictum detinebat, obteſtatur, vt ad ſe dimittat, & reuertenti omnem indulgentiam exhibens; inter cætera hæc dicit: [*Ego autem, qui lapſi fratris mortem ſitire non debeo, eius calamitati compatiens commotis viſceribus ingemiſco: & non modò ſibi venialiter indulgere, ſed ſi reſipiſcat, paratus ſum pro ſalute illius etiam animam ponere. Pro charitate igitur veſtra, ſanctorumque fratrum veſtrorum, quorum ego ſeruus ſum, cum veſtris ad me tantummodò litteris veniat, & me circa ſe manſuetum fore, mitem, atque beneuolum non diffidat.*]

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 15 to. 1.

5. Nihilominus traductis omnibus, quæ ad

ſe

ſe pertinebant, quæ cuncta corde magno, & animo volenti tradebat in obſequium Charitatis; cum eo tamen, & in ipſo luctabatur vſque manè (vt dictum eſt) amor contemplationis cum amore fraternitatis, quæ erat in illo. Quapropter & ingrediebatur, & egrediebatur, vt paſcua inueniret vtrique ardentiſſimo ſui amoris igni. Sed vix clamauerat Dilecto ſuo: Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum; quòd mox vocem Dilecti audiebat præcipientis: Egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Nec ad tuendum contemplationis otium valebat illam protendere excuſationem: Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos? Nàm mittens manum ſuam Dilectus per foramen vulnerati à Charitate cordis, venter eius intremiſcebat ad tactum illius. Surgebat, vt aperiret Dilecto ſuo in proximorum procurandi ſalute, & manus eius erga proximos tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.

6. Factum eſt autèm & prælium magnum in corde Hominis Dei inter humilitatem, & proximi dilectionem. In patriam enim Rauennam à Conciuibus ſuis, & Archiepiſcopo vocatus, cum experimento didiciſſet, ibidem neque in honore haberi, neque in animarum ſalute proficere; incertus quid ageret, epiſtolam ſcripſit Theſaurario Rauennati,

qua

Digitized by Google

qua illum conſuluit, quid ſibi faciendum cenſeret; vtrū videlicèt in Patriam reuerti, an in ſuo Monaſterio manere deberet. Hinc indè enim angebatur, nàm cupidus alienæ ſalutis non poterat æquo animo Rauennæ eſſe, vbi ſuæ prædicationi nullus locus patebat; ex altera verò parte verebatur verus humilis corde, ne in tanta omnium in ſe obſeruatione, qua in Eremo colebatur, aliquid de ſua humilitate periclitaretur. Epiſtola ſic ſe habet.

Epiſtol. lib. 5. epiſt. 12. to. 1.

7. [*Non ignoras, dilectiſſime, quia & olim à Gebehardo Archiepiſcopo, & nuper ab hoc nouo, qui zelo Diuini ſpiritus conſtitutus eſt, necnon à pleriſque Rauennæ Ciuibus ſæpè, multumque rogatus, tandèm conſenſi; & Eremum deſerens ſpe lucrandi animas, vrbem habitaturus adueni. Sed cum prædictum virum cernerem, non dicam, ad quod miſſus, ſed quod permiſſus fuerat, agere; populum quoque non in me charitatis zelum, non in ſe ſtudium propriæ ſalutis habere; pœnituit, fateor, quia dùm vanitatibus hominum credidi; à Diuinæ voluntatis linea, licet ſerò, perſpicuè tamen me aberraſſe cognoui; & dùm congeſtorum auiditate piſcium viuarium petij, raros ſaltèm, quos per diffuſa marium fluenta claudere conſueueram, fruſtratus amiſi. Intereà tamen quodam fruebar conſolationis auxilio, quia videlicet, & ſi in lucrandis animabus me exercere non poteram, moleſtiſſimum tamen pondus popularis reuerentiæ non ferebam. Vtrumque nimirùm in ſtatera-*

men-

mentis meæ æqua penè lance pendebat, & ſterilitatis infortunium cum negatæ venerationis lucro lætus recompenſabam. Eſt enim reuerà popularis fauor imperfectis non mediocriter noxius, quia vel in ſe delectatos in vanæ gloriæ voraginem deijcit, vel etiam reſidentes receptæ mercedis terrore transfigit.

8. *Cuiuſdam occaſione feſtiuitatis nonnullis religioſis inuitantibus viris, vehiculumque mittentibus, cum ad Vrbinatem Prouinciam prepedaſſem, tantus me inundantium fratrum, Monachorum videlicet, atque ſæcularium fluctus abſorbuit, quòd nequaquam me ad tutiſſimi portus ſinum retorquere vela permiſit; & velut in ipſo marmore per circuitum arenarum mihi ager apponitur, dùm ne aliò progrediar, importuna me tot fratrum charitas obteſtatur. Sed, vt opinor, idcircò me Omnipotens Deus illuc permiſit accedere, vbi non debueram permanere, quatenùs dùm præruptos ſaxorum ſcopulos cernerem, rarioris ſegetis aruum non omninò deſpicabile, ac per hoc inſulcabile deputarem. Et dùm petroſus ager attenditur, in comparatione eius trigeſimi fructus terra, fœcundiſſimus noualis Africæ iudicetur. Anxiabar denique priùs vbi poſſem vberiores animarum fructus acquirere, & zelo proximorum ductus diuerſas Italiæ regiones curioſo mentis lumine perluſtrabam: dumque reuocare alios ambiebam ad rectitudinis ſtatum, ipſe paulò minùs potui vagatio-*

Digitized by Google

gationis incurrere næuum. Nunc autèm, vt ità dixerim, quaſi ſaburra quædam lembum mentis meæ præponderat, immò velut anchora affixa ſolo triplici perſeuerantiæ fune coarctat. Vnus ſolummodò ſcrupulus mihi adbuc moleſtiam ingerit, qui me, chariſſime Pater, conſilij tui manum flagitare compellit. Qui videlicèt ſcrupulus ſi tuæ reſponſionis indice à mentis meæ pede ſuccutitur, non ambigo per Dei miſericordiam, quin poſtmodùm recto firmus itinere gradiatur.

9. *Reſpondeat ergò mihi prudentia tua, quid mihi vtilius ſit: vtrum illic habitare, vbi & animarum fructus acquiritur, & deuota mihi populi reuerentia exhibetur: an illic potius, vbi ſine fructu pariter, & honore conſiſtam? Quorum mihi vtrumlibet periculoſum videtur: & dum alterum metuo, alterum quoque nihilominùs è diuerſa fronte formido. Nàm ſi infructuoſus vixero, Euangelicam mibi ſecurim ad radicem arboris poſitam expauèſco, de qua videlicèt arbore Veritas terribiliter intonat dicens: Succide, inquit,*
Luc. 13. *illam, vt quid etiam terram occupat? Si autem dum fructus acquiritur, mihi iam honor exhibetur, illam repulſionis ſententiam vix effugio, qua dici-*
Matth. 6. *tur: Amen dico vobis, recepiſtis mercedem veſtram. Hæc eſt igitur quæſtio, quam à te ſolui deſidero: hoc ſolum eſt, propter quod tibi ſcribere cuncta ſuperiùs comprebenſa diſpoſui. Sed quia, iniuncto Eccleſiaſtici Prioratus officio, te occupa-*
tum

tum noui, & reſcribendi forſitàn otium non facilè poteris reperire; ſuper hoc capitulo ego ipſe interim ſcribo, quod ſentio: nimirùm, non vt magiſtrum diſcipulus doceam, ſed vtrum mei intellectus ſententia tenenda ſit, diſcam; prudentiæ ſcilicet tuæ optione ſeruata, vt vel abnuendum proprio ſtylo coerceas, vel probandum grauiſſima tui iudicij auctoritate conſtituas.

10. Cuncta ſanè Diuinarum Scripturarum eloquia ad nil aliud, niſi ad animarum ſalutem crebris ſunt voluminibus exarata. Quidquid enim in his præcipitur, quidquid prohibetur, totum procùl dubio ad prouectum fit animarum, Paulo atteſtante, qui ait: Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Si ergò propter Scripturæ minas ſic impenſus bonor aufugitur, vt animarum quoque vtilitas negligatur; patet profectò, quia intentio, pro qua Scriptura ſeruari debuit, non tenetur. Si enim ad bunc finem omnis ſacra Scriptura refertur, vt per eam ſalus animæ requiratur, dum fugientes honorem, animarum lucra poſtponimus; id potiſſimùm, propter quod Scriptura facta eſt, non ſeruamus. Et peruerſo modo, dum obtemperare ſacris voluminibus nitimur, contra hæc eadem ſacra volumina decertamus. Qui enim dicit: Ne recumbas in primo loco, ipſe præcipit, dicens: Qui audit, dicat, veni. Et qui probibet, ne vocemini magi-

Rom. 15. Luc. 14. Apoc. 22. Matth. 23.

Matt. vlt. *magiſtri, ipſe iubet diſcipulis: Ite, docete omnes gentes.*

11. *Oportet ergò, vt dum animarum fructus exquiritur, non humana laus, non popularis fauor, non aliqua honoris reuerentia mentis intentione quæratur. Quod ſi vltrò oblatus honor nolentibus nobis ingeritur; neceſſarium eſt, vt in pauimento cordis ſub diſtricto diſciplinæ pede calcetur, & velut venenatus ſerpens in ipſo ſuggeſtionis capite ictum ſentiat, ne nos, quod abſit, in extremo bonæ operationis calcaneum mordere præſumat. Nec tamen ob id eſt animarum vtilitas deſerenda; ſed vt reuerà ſtrenui bellatores, dùm nosmetipſos humilitatis clypeo ab iniecto elationis telo protegimus, proximos noſtros ad fortiter agendum ſanctæ exhortationis vocibus excitemus. Verumtamen ſic proximos prudentiæ noſtræ clypeus protegat, ne hoſtis poſt tergum latitans, occultum ex inſidijs vulnus infligat. Sic contra noſtrum dimicemus aduerſarium, vt commilitonibus etiam noſtris prouideamus auxilium. Sic circà commilitones fraterna charitas vigilet, ne proprium latus gladijs hoſtilibus nudet. Sic ſic nimirùm duplex nobis merces acquiritur, dum ex ipſo charitatis officio, quod piè proximis noſtris impendimus, bellicus labor oritur, quem repugnando vincamus.*

12. *Sed ne argumentationi potius quàm ſolidæ veritati videamur inſiſtere, hoc, quod propo-*

ſui-

Digitized by Google

fuimus, per ſacræ Scripturæ non pigeat exempla monſtrare. Ioſeph quippè vir ſanctus, vt periculoſam populi ſubleuaret eſuriem, ſecundam poſt Regem ſuſcipere non abnegat dignitatem: & qui priùs anguſti carceris fuerat cultor, iam totius Ægypti factus eſt dominator. Vndè & fratres eius ad Iacob alacres dicunt: Ioſeph filius tuus viuit, & ipſe dominatur in terra Ægypti. Moyſes, qui dudum cognati gregem in deſerto humiliter pauit, vt melioris poſtmodum gregis dux fieret, totius Iſraelitici populi obſequium non refugit, qui nimirùm ad tanti bonoris culmen perductus eſt, vt omnis illa Hebræorum multitudo ad iuſſionis eius ſe verba ſuſpenderet, eiuſque legibus ſupplex obtemperaret. Vterque tamen quantæ manſuetudinis in ipſa ſublimitate perſtiterit, indubitanter agnoſcitur, & dùm alter ſe agnoſcendum peregrinis fratribus, cum latere potuiſſet, vltroneus offerat; alter ſuam humilitatem, velut alienam, humiliter pandat. Erat, inquit, Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Ioſue quoque, qui Moyſi miniſter extiterat, eo moriente, ſuſcipere regiminis officium non recuſat. Qui nimirùm ſi pro humilitate ſeruanda Principatus iura contemneret, numeroſis Regibus, quos peremit, perimendam populi multitudinem cunctorum reus exponeret; & dum ſibi caueret iactantiæ caſum, fratrum negligeret vitæ periculum. Quid dicam Samuel, qui quamdiù non eſt Geneſ. 41. Exod. 2. Num. 12. Ioſ. 1.

ab ipſo populo, ex Principatus arce deiectus, & excelſus videbatur in publico, & humilis erat in occulto? Qui videlicet ſuſcepti regiminis locum adeò inuitus deſeruit, vt maioribus natu ex Iſrael ſibi Regem petentibus, de eo protinùs Scriptura
1. Reg. 8. *dicat: Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eo quod dixiſſent, da nobis Regem, vt iudicet nos. Quid referam Eliam? Quid Eliſæum? Qui vt proximis potuiſſent ſua prædicatione proficere, nequaquam veriti ſunt, & multis coruſcare miraculis, & ipſis Regibus, omnique populo venerabiles apparere.*

13. *Et, vt iàm prætermiſſis tot veteris Teſtamenti Patribus, ad Euangelium tranſeam; num-*
Ioann. 1. *quid Præcurſor Domini vitare penitùs honoris reuerentiam potuit, qui ſe Chriſtum non eſſe turbis ipſum credentibus, vix negando ſuaſit? Numquid Petro popularis reuerentiæ fauor defuit, qui tot languidos ſuperfuſa ſolummodò ſui corporis vm-*
Act. 5. *bra ſanauit? Numquid Paulo non eſt honor exhibitus, quandoquidem in Liſtris mox vt debilis pedibus, eo præcipiente, ſurrexit, protinùs omnis turba*
Act. 14. *in eius laudem ſtupefacta clamauit: Dij, inquiunt, ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos; vndè*
Ibid. 5. 12. *ſicut paulò poſt ſubditur: Sacerdos Iouis, qui erat ante Ciuitatem, tauros, & coronas ante ianuas offerens cum populis, volebat ſacrificare. Sed quàm inflexibilis ille in ſuæ humilitatis arce perſtiterit, manifeſtat ipſe & Barnabas, cum, ſciſſis præ triſtitia*

ſtitia tunicis, dicunt: Viri quid hic facitis? Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines. An dilectus Domini Ioannes Euangeliſta penitùs euadere honoris reuerentiam potuit, qui vniuerſum populum virorum, ac mulierum cum hymnis, & laudibus occurrentem ſibi, dum ab exilio reuerteretur, inuenit? Cui etiam illud ſingulare Chriſti præconium non præſumptionis vitio, ſed nimio deuotionis deſiderio cantabatur: Benedictus, aiunt, qui venit in nomine Domini. An & Andreas Apoſtolus populi obſequio caruiſſe credendus eſt, quem in cruce pendentem, dum Achaici tumultuarentur eripere, ipſum quoque Prouinciæ Præſidem comminati ſunt trucidare? Et vt ex ipſo Sanctorum omnium capite allegatio noſtra firmiùs roboretur, Redemptorem noſtrum Iudæi Regem voluerunt conſtituere, niſi ille montis aufugium petiiſſet. Matt. 5. 9. Ioann. 6.

14. *Si ergò mediator Dei, & hominum ad exhibendum ſolius humilitatis exemplum, ſic hominum reuerentiam voluiſſet abiicere, vt nec miraculorum virtutes oſtenderet, neque prædicationis verba proferret, humano generi in peccatis mortuo, quid, rogo, ſalutis, quid vtilitatis impenderet? Sed idcircò voluit reuerendus, & mirabilis apparere, vt mirantium ad ſe corda conuerteret, conuerſos autem per viam, qua gradiebatur, ad Patriam reuocaret. Cum ergò magnoperè timemus hominum reuerentiam, qua & noſtra ſeſe*

vir-

Digitized by Google

virtus exerceat, & exhibentium deuotioni fructus accreſcat? Quæ videlicèt ſi quando ante mentis noſtræ ianuam vanæ gloriæ vento ſubmurmurat, ſcutum protinus humilitatis opponitur: & quò violentior ictus impingitur, eò nobis locupletius, peracta victoria, præmium cumulatur.

15. *Porrò autem niſi aliquo modo venerabilis auditoribus perſona prædicantis appareat, non admiſſus prædicationis ſermo apud eorum animum non laborat. Nàm ſi loquentis perſona deſpicitur, reſtat, vt ipſa locutio apud audientes deſpicabilis iudicetur. Neque enim laborare apud eos poterat Paulus, qui eum deſpiciebant, dicentes: Epiſtolæ,*
2. Corint. 10. *inquiunt, graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis. Apud eos autèm multùm profecerat, quibus gratias referendo dicebat:*
Galat. 4. *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, teſtimonium enim vobis perbibeo: quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Numquid Apoſtolus deſpectui volebat haberi, vndè conqueritur? Numquid ſedulitatis obſequium deuitabat, vndè gratificatur? Sed vtrumque non propter ſe. Non etiam quærebat, quæ ſua erant, ſed quæ alterius; idcircò nempè volebat à diſcipulis coli, vt attentè etiam poſſet audiri; idcircò recuſabat ab auditoribus deſpici, quia metuebat ſimul & ſermonem contemni. Hinc eſt enim quòd Theſ-*
1. Theſſal. 5. *ſalonicenſibus ait: Rogamus autem vos, fratres, cum noueritis eos, qui laborant in vos, & præ-*

ſunt

Digitized by Google

ſunt vobis in Domino, & commonent vos, vt abundantiùs habeatis illos in charitate propter opus illorum. Hinc eſt, quod de Epaphrodito ad Philippenſes dicit: Excipite, inquit, illam cum omni gaudio in Domino, & eiuſmodi cum honore habetote. Si ergò Apoſtolus reuerentiam fugiendam omninò decerneret, dùm auditoribus præcipit, vt doctori ſuo honorem exhibeant, ſuadent profectò, vt eum de ſuis finibus honore proſequentes expellant. Sed hoc monere videtur Prædicator egregius, vt diſcretus vir, & honorem ſibi delatum exteriùs pro fratrum vtilitate ſuſcipiat, & eumdem honorem intrinſecùs pro ſua humilitate contemnat; quatenùs vndique circumſpectus ſic illorum ſaluti prouideat, vt ipſe tamen elationis vitio non ſuccumbat. Philipp. 2.

16. *Neque enim vt nos valeamus ab huiuſmodi vitio cautiores exiſtere, idcircò debemus fratribus noſtris prædicationis auxilium denegare; cum Moyſes dicat: Obſecro, Domine, peccauit populus iſte peccatum magnum, fecerunt ſibi Deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facias, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Qua ergò conſcientia poſſumus priuato amori fratrum lucra poſtponere, cum iſte non dubitet pro ſalute proximorum de libro Diuinæ memoriæ funditùs deperire? Dehinc etiam Paulus dicit: Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui* Exod. 32.

ſunt

ſunt Iſmaelitæ. Cum igitur ſancti viri, vt fratribus conſulant, etiàm animarum ſuarum periculum ſubire non metuunt; quid aliud faciunt, quàm exemplum ſui capitis imitantur? Qui videlicèt pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, & vt nos à morte redimeret, mortis perferre ſupplicia non expauit. Abſit ergò, vt propter honorem, qui nobis impenditur, debeamus fratribus noſtris ædificationis verba ſubtrahere, ſed propter eorum ſalutem, ipſum acquieſcamus bonorem æquanimiter tolerare.]

Ioann. 10.

17. Sic Venerabilis Pater humilitatis ſtudio proximorum Charitatem antecellere fecit, & amorem ſequentis priori prætulit; & dùm à duobus coarctatus erat, deſiderium habens diſſolui, & abſconditus eſſe cum Chriſto in Deo, multò melius tamen ducebat permanere inter proximos neceſſarium propter illos ad profectum illorum, & gaudium fidei; vt gratulatio ipſorum abundaret in Chriſto Ieſu: in hoc enim non quærebat gloriam ſuam, ſed gloriam eius, qui miſerat eum, vt ex ore leonis, & à cornibus vnicornium innumeram eriperet animarum multitudinem.

CAP.

Digitized by Google

C A P. IV.

Charitatis eius in proximum alia argumenta.

1. [ET in hac Charitate radicatus, & fundatus, cunctos non ceſſabat ſuis ſermonibus informare, modò his, modò illis, modò communiter omnibus loquens, vt iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudarent nomen Domini, vt eſſet vnum ouile, & vnus Paſtor; vt omnes quidem currerent, ſed tamquam in omnibus vnus cuncti acciperent æternę gloriæ brauium. Et hinc demùm tabeſcere eum faciebat zelus ſuus, dùm obliuiſcebantur verba eius inimici eius, qui ideò tantùm inimici eius, quia inimici Domini ſui: & inde perfecto odio oderat dolum, ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones; quia nimirùm cupiebat in primis omnes iuſtificatos per fidem, pacem habere ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; deindè eſſe omnibus cor vnum, & animam vnam.]

Io. diſcip. in vit. cap. 18.

S. Ambroſ. in Pſ. 118. Orat. 17

2. [*Quiſquis ſe à proximo*, dicit quodam loco, *per diſcordiæ fomitem diuidit, non auis Domini, ſed terrenum animal vinum gratiæ Cœleſtis ignorat. Vndè eſt, quod Abraham cum ſacrificaret, cætera quidem animalia per medium diuidens, vtraſque partes contra ſe altrinſecùs po-*

Serm. 50. de S. Matth. Ap. tom. 2.

Digitized by Google

fuit, aues autem non diuiſit; hoc inſinuans, quia quiſquis per ſciſſurã odij à fratre diuiditur, per terram terrenus ambulat, non vt auis ad Cœlum volat; qui verò ſe virtutum pennis in alta ſuſtollit, diuiſionem neſcit.]

Opuſc.27.c.3. poſt init.to.3.

3. Et alibi: [*Non illi ſoli,* dicit, *ſchiſmatici ſunt dicendi, qui fidei vnitatem diuidunt; ſed ij etiam, qui ſe per elationis, vel auaritiæ vitium à fraterna Charitate diuellunt. Nec enim maior eſt fides, quàm Charitas: nam cum Deus ipſe ſit Charitas, & qui manet in Charitate, in Deo manet; non minùs improbandus eſt, qui excidit à Charitate, quàm qui errat à fide. Si quis enim totam legem obſeruauerit, offendat autem in vno, hoc eſt in Charitate, factus eſt omnium reus; ac per hoc etiam perfidiæ probatur obnoxius. Planè ſi iuxta Petri vocem, diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, qui fraterni conſortij caulas deſerit, vltroneus ſe cruentæ belluæ morſibus tradit. Bucula namque in armento compaſcens,*

Ibid.cap.30.

lupi non timet incurſum: cum verò ſoliuaga præſumit ſiluarum luſtra percurrere, ferarum compellitur ingluuiem ſatiare. Turmatim anſeres volitantes accipitrem paruipendunt; aliquando qui defuerit, roſtro perfoſſus, & vnguibus non euadit. Apes in aluearijs congregatæ mellificant, & quamdiù in vnum coeunt, ex eorum laboribus dulces faui Regibus apponuntur; at ſi diſſiliunt, ac relicto duce vagabundæ peruolitant, famis neceſſe eſt

inopia

Digitized by Google

inopia contabeſcant. Hoſtium vallatus inſidijs, ſi cum eo, quo conſtipatur, abſtiterit, hoſtilibus ſe iaculis præda factus exponit. Eccleſia nempè Chriſti, ſicut Prophetica teſtantur oracula, caſtra Dei ſunt; in quæ videlicet hoſtilis impetus non irrumpit, donec virtutum armis accincti in compage Charitatis, vt in vnitate ſpiritus Chriſti milites conglobantur.]

4. Monachos verò ſuos ſuper omnia docens Charitatem habere, quæ eſt vinculum perfectionis: [*Nunc autem*, ait, *fratres chariſſimi, omnes vos generaliter alloquor; omnes per id, in quo omne flectitur genu, Chriſti nomen obteſtor: in fraterna Charitate perſiſtite, in mutui amoris ſtudio, aduersùs antiqui hoſtis inſidias vnanimiter conſpirate.* (Et oſtendens, quæ vera proximi dilectio ſit:) *Tota* (ſubdit) *ſanctæ operationis veſtræ machina in Charitatis ſe baſibus erigat: omne, quod conſtruitis ædificium, ex viuis virtutum lapidibus ſinceræ dilectionis glutino coaleſcat. Arcam quippè, quæ octo animas inter cataclyſmi fluenta continuit, intrinſecùs, & extrinſecùs liniri bitumine vox Diuina præcepit. Sancta ſcilicet Eccleſia, quæ ad Reſurrectionis gloriam tendit, ſic intùs, & extra bitumine linitur, vt & foris blandiatur in fraterna dulcedine, & intùs cohæreat in dilectionis mutuæ veritate. Quiſquis enim intùs amat, ſed foris à fratribus morum inconſona aſperitate diſcordat, intrinſecùs quidem*

De perfect. Monachorum Opuſc. 13. c. 4. tom. 3.

Philipp. 2.

Gen. 6.

Digitized by Google

bitumen habet, ſed extrinſecùs non habet. Quiſquis verò ſe ſpecietenùs affabilem præbet, amicitiam ſimulat, ſed in cordis occulto veritatem amicitiæ non conſeruat, damnabiliter intùs hiat, cum forinſecùs ſuperducti bituminis ſimulatione cohæreat. Quorum videlicet à diluuiali naufragio neuter eripitur, quia duplici Charitatis bitumine, vt diuinitùs præceptum eſt, non munitur.

5. *Qui autem ſe & foris præbet amabilem, & intùs conſeruat amantem, foris cum ramis veri fructus exhibet beneficij, intùs altè radicem figit, quia medullitùs diligit; hic profectò & intus, & extra bitumine linitur, quia duplici Charitatis glutino cum proximis fœderatur.* (Et notandum, quod addit:) *Porrò autem, quia de lignis leuigatis* Gen. 6. *prius fieri Arca præcipitur, & ſic deinceps, vt bitumine liniatur; hoc profectò docetur ligna veſtra leuigari prius deberi & dolabro pœnitentiæ, ac diſciplinæ poliri; vt deindè compactæ fabricæ bitumen accedat. Enimuerò quamdiù mores hominum aſperi ſunt, & inculti, inaniter eis Charitatis gluten apponitur, quoniam ad inuicem citò diſſiliunt, dum in eis politæ moralitatis æquata confœderatio non tenetur. Eſtote igitùr læuigati per ſpiritalis exercitij diſciplinam; eſtote bituminati per Charitatis fraternæ concordiam.*] Et reuerà PETRVS mirabiliter docuit, fruſtrà Charitatem prædicari, vbi mortificatio Chriſti Ieſu non circumfertur; & vndè bella, & lites in nobis? Nonne hinc?

hinc? Ex concupiſcentijs videlicet noſtris, quæ militant in membris noſtris?

6. Ipſe verò mortificatus carne, viuificatus autem ſpiritu, & foris ſe præbebat amabilem, & intùs conſeruabat amantem, & opere implens, quæ lingua docebat, foris cum ramis veri operis fructus exhibebat beneficij, & intùs altè radicem tene-
„ bat, quia medullitùs diligebat. [Quis enim in
„ eleemoſynarum ſtudio propenſior? Quis in Io. diſcip. vit. cap. 17.
„ abluendis pauperum pedibus deuotior? Quis in
„ veſtiendis nudis, in reficiendis egenis, in viſitan-
„ dis ægrotis promptior illo potuit eſſe vmquam?
„ Ab iſtiuſmodi nempè operibus, nulla penè illi
„ dies vacabat, vbicumque hoc fieri temporis,
„ aut loci congruentia permittebat.] Numquàm pauperi negauit quod voluit, & oculos viduæ expectare fecit; neque comedit bucellam ſuam ſolus, & non comedit pupillus ex ea; nec deſpexit pereuntem, eo quòd non haberet indumentum, & abſque operimento pauperem; foris enim non manſit peregrinus, & oſtium eius viatori patuit. Et hæc Monachus, qui & à Monachis ſuis idipſum fieri omni ſtudio contendebat: vndè Damiano nepoti hæc ſcripſit: [*Commenda me fratribus, Domno Priori ex noſtra parte humiliter ſuggere, vt à* Opuſc. 47. c. 5. tom. 3. *feruore ſolito pietatis, & miſericordiæ non tepeſcat; ſed ſuſceptionibus hoſpitum, & ſubſidijs egenorum, in quantum res domeſtica patitur, inſiſtere non omittat. Sed & illi conueniens exemplum*

præ-

profero, quod huic rei, quam ſibi ſuadere geſtio, non mediocriter profuturum eſſe confido. Nam & eadem Agnes Regina illud mihi retulit, quæ ſupra: Inquit etiam, quia vir quidam in Alemaniæ partibus, auia ſaltuum, prærupta montium, opaca ſiluarum venandi ſtudio peragrabat. Hic itaque dùm anxius hucque, illucque diſcurrit, & ſollicitus curioſitatis indagine ferarum luſtra perquirit, inuenit duas mulieres matrem ſcilicet, & filiam, per illos hyemalium cumulos pruinarum, & profunda niuium rudera miſerabiliter oberrantes. Qui protinùs miſericordia ductus, comiti ſuo, qui eum ſolum inſequebatur, ait: Leuemus in equis has fœminas, ſingulis ſingulam, & ad hominum habitacula deuehamus, quia vel oberrantium fortè luporum ſunt morſibus exponendæ, vel vi nimij algoris ſunt procùl dubio morituræ. Quod comes penitùs abnegat, & hanc ſe ferre poſſe ſtomachatur iniuriam. Cui dominus: Ego (inquit) ſi tu faſtidis, ſolus vtramque leuabo, & hanc, quam dicis iniuriam, alacriter ſuſtinebo. Cumque vnam poſt ſe, & alteram, in medio reſidens poneret ante ſe; tandem ſocius mente compunctus, atque confuſus, domino ſuo ceſſit vnam, & ipſe ad ſubuehendum corripuit alteram.

Sic igitur eas per difficillima loca, & longos anfractus non ſine graui periculo detulerunt, donec ſcilicet molendinum caſu obuium reperirent, ibiq; eas deponerent. Adiecit etiam dominus, vt vni earum

rum

Digitized by Google

rum veſtem traderet, quia vim frigoris aliquatenùs temperaret. Hic aliquanto poſt tempore factus eſt Monachus, & deincèps, ingraueſcente moleſtia, ad extrema perductus eſt. Tunc fratribus, qui aſtabant cum magna cœpit animaduerſione clamare, dicens: Videtis innumerabilium dæmonum turbam, quæ me vndique circumuallat, meque terribilibus oculis intueri, & impugnare non ceſſat? Cumque continuis orationibus, & pſalmodiæ fratres inſiſterent, ille tamèn nihilominus tremefactus viſceribus formidaret; tandem ille, qui ſibi, ſicut dictum eſt, in venatione comes ex.iterat, aſſiſtens propiùs, exclamauit: Nonne vides, quod mulier illa, quam tecum ſimul ad aquimolum deuectaui, veſtimentum illud, quod ſibi tunc dedi, tenens in manibus, ventilat, & omnes in hac domo dæmones violenter exturbat? Paulò poſt: ecce Deo gratias eiecti ſunt, & à meis obtutibus, mulieris huius impulſu, prorſus euanuerunt. Sic igitur ille ſub bonæ ſpei ſecuritate defunctus eſt, & miſericordiæ fructus, quos viuus exhibuit, oblatos ſibi, dum moreretur, inuenit.]

7. Et ex relatione Sancti Hugonis Cluniacenſis Abbatis alibi narrat: [*Quia vir quidam, dum orationis ſtudio diuerſa mundi loca percurreret,* Opuſc. 9. c. 7. tom. 1. *impegit in Eremum, vbi ſanctus quidam frater in cellula morabatur, qui poſt aliqua peregrinum ſubtiliter inquiſiuit, vtrùm Cluniacenſe Monaſterium noſcet. Cui ſubſequenter & hoc intulit:*

Quæ-

Digitized by Google

Quæſo te, inquit, per Charitatem Dei, frater mi, vt ſi locum illum venerabilem te fortaſſis adire contigerit, denuncies fratribus, & Abbati, quatenus ab eleemoſynarum ſtudio non tepeſcant, ſed pietatis operibus, ſicut aſſueti ſunt, perſeueranti conſtantia vigilanter inſerueant. Hinc enim gebenna flammis vaporantibus æſtuat, & hinc animæ damnatorum, me frequenter audiente, cum magnis eiulatibus, fletuumque ſtridoribus merguntur in tartarum: ſed orationes, & eleemoſynæ præfati Monaſterij malignis ſpiritibus valenter obſiſtunt, & tamquam prædam ex eorum manibus multos eripiunt. Peregrinus itaque longo poſt tempore ad Monaſterium venit, & quæ ſibi mandata fuerant, fratribus per ordinem nunciauit.]

CAP. V.

Charitatis eiuſdem in proximum alia quædam inſignia.

1. NEc tantùm PETRVS Vir erat miſericordiæ, cuius pietates non deficiebant, & omnes ad miſericordiam prouocabat labijs Charitatis ſuæ; ſed Charitas Dei, quæ manebat in illo, non ſinebat eum claudere viſcera ſua à quouis neceſſitatem habente; itaut omnes eijcerent infirmos, pauperes, & debiles in lectulis, ac grabatis, vt, veniente PETRO, ſaltem vmbra protectionis, fauoris

ris, & feruentiſſimæ Charitatis illius, vt ita loquamur, obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab anguſtijs ſuis. Concurrebat autèm & ad terram deſertam illam, inuiam, & inaquoſam, in qua ſic in ſancto habitabat multitudo languentium, & egenorum, qui curabantur omnes; nàm omnes ipſe vlnis Charitatis ſuæ fouebat, & amplectebatur. Et ne repetamus, quod alibi diximus, ad aſtruendum quod modò dicimus, electum vnum tantùm exemplum ex millibus hìc ponere ſufficiat ex ore ipſiuſmet, quem ſcimus, quia vera dicit, vt & vos credatis. Scribit enim ad Bonifacium Albanenſem Epiſcopum, & Stephanum Presbyterum S. R. E. Cardinales pro quodam Sancti Apollinaris Monaſterij Abbate; vt ſequitur.

Vid. ſup. lib. 2. cap. 28. Epiſtol. lib. 1. epiſt. 15. ad Alexand. tom. 1.

2. [*Nolo vos lateat, dilectiſſimi mihi fratres, & domini, quia modernus iſte Iacob, Rector videlicèt Monaſterij Sancti Apollinaris, noſtri montis cacumen irrepſit; immò qui in planis, ac inoffenſis ſolitus eſt conuallibus repere, timoris calcaribus concitatus, velùt alarum remigio præruptis montium coactus eſt perniciter inuolare: & qui per plana vix claudicans reptat, ſcopuloſa montium iuga ſubſiliendo perluſtrat. Quapropter obſecro fraternitatis veſtræ clementiam, vt qui duo tamquam Petrus, & Ioannes claudum compellitis currere, non aurum ſibi, vel argentum, quod vobiſcum fortaſſe non eſt; ſed misericordiam, quam habetis, & abundanter affluitis, clemen-*

Epiſtol. lib. 2. epiſt. 4. tom. 1.

menter exhibete. Conſolidentur itaque etiam baſes, & plantæ, vt de ruina ſui loci, vel habitationis excidio non neceſſe ſit trepidare. Profit igitur illi tàm ardui montis ſubijſſe faſtigium, & ſit vndè Deo gratias referat adhuc ſuum ingreſſurus in Templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.]

3. Et reuerà, nunc Pontificibus, nunc Regibus, nunc Cardinalibus, nunc Principibus, ſedulus occurrebat, vt oraret pro gente, & vniuerſa ſancta Ciuitate Ieruſalem, vt intercederet pro peccatis omnium populorum, & eriperet pauperem de inopia, & egenum de manu fortiorum eius; vt partibus iudicantes darent locum pœnitentiæ, & veniam peccatis, nec Dominici gregis oues diſperderent; vti teſtantur eius epiſtolæ ad Nicolaum, & Alexandrum Pontifices, ad Henricum Imperatorem, ad Hildebrandum, ad Gotthefredum Ducem, & alios. Ad quem enim reſpiciebat, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu? Vt mederetur contrito corde, & prædicaret captiuo indulgentiam, & clauſo apertionem; vt conſolaretur lugentem, & daret ei coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris [*Dignas tibi, Pater chariſſime* (ſcripſit quadam vice Epiſcopo Sarſinatenſi, cui quemdam Clericum, iuuenem præclaræ indolis, ſed caſu pauperrimum, commendauerat) *gratias refero, quia pauperculum*

Ad Nicol. Epiſtol. lib. 1. ep. 7. pro Ancouit. Ad Alexand. Epiſtol. lib. 6. epiſt. 11. Item epiſt. 14. pro Rauennatib. Ad Henric. II. Imp. Epiſtol. lib. 7. epiſt. 1. Eodem lib. 7. ad Got. Duc. epiſt. 13.

Epiſtol. lib. 4. epiſt. 13. to. 1.

lum.

Digitized by Google

lum hunc, quem ad te miſeram, pro amore Chriſti, & mea charitate alacriter ſuſcepiſti, & vt reuerà gubernator pauperum, & pupillorum pater, omne ſibi humanitatis, & pietatis officium prærogaſti. Nunc itaque, dilectiſſime, reuerentiam tuam ſuppliciter obſecro, perfice quæ cœpiſti, planta in horto Eccleſiæ tuæ ſurculum, quem ab omni humani adiutorij radice præciſum ſub vmbra miſericordiæ tuæ abſconditum mori vſque modò non permiſiſti: ne quem tuæ pietatis humor ad tempus ſeruat, æſtus poſtmodum veniens nimiæ paupertatis vrat. Sed cur ego magiſtrum doceo? Sic circa illum ſatage, dilectiſſime, non vt mea balbutit ignauia petere, ſed ſicut acutiſſima tua prudentia animæ ſuæ prouidet expedire.]

4. Ex multis, quæ fecit, & ex paucis, quæ enarrauimus, cognouimus Charitatis eius ardorem; intueamur & ipſam ex vno, quod omiſit. Altizo Abbas egebat equo, vel vehiculo ad faciendum iter, & cum ſe non habere cum Sancto Viro, obiter inter loquendum, conquereretur; tamen alibi cogitatione intentus, ſuos equos ei, nec exhibuerat, nec obtulerat PETRVS. Vix autem ab eo diſceſſerat Abbas, cum ille reuerſus in ſemetipſum, conferens in corde ſuo ſermones, quos cum Abbate habuerat, recordatus eſt verbi, quod de equi deficientia dixerat ipſi; vndè nimio dolore perculſus, quaſi magnum aliquod peccatum feciſſet, qui dolum non habebat in ore ſuo; hanc illi ſtatim ſcripſit epiſtolã.

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 7. 10. 1. 5. *[Chariſſime, melius mihi videtur nullam Charitatem habere, quàm fingere: & tolerabilius puto Charitate quemlibet vacuum eſſe, quàm eius plenitudinem ſimulare. Vbi enim nulla Charitas eſt, poteſt per Diuinam gratiam naſci: vbi verò ficta eſt, quo veritatem ſub figmenti colore mentitur, eo aut numquàm, aut difficiliùs emendatur. Nouerit ergò dulciſſima ſanctitas veſtra, quia multum me pœnituit, quoniam cum vos conqueri caballorum indigentiam audiui, de meo protinùs non deſcendi, non vltroneus ambos obtuli: & velle, nolle, te ſuſcipere non coegi. Sed inter hæc illud quoque non ſine cauſa conſidero, quià dudùm nunc cor meum ex hac culpa tanto pœnitentiæ ardore decoquitur, & non impleſſe Charitatis officium ſuſpirando, & conſcientia remordente, tamquàm verme rodente, grauiſſimè lamentatur. Poſt tranſitum huius vitæ quid faciet, qui tempus impendendæ Charitatis effluxiſſe deflebit, & tamen negligentiam ſuam emendare non potuit; quia tempus acceptabile, & diem ſalutis amiſit? Si enim* 2. Cor. 6. *tam graue, & amarum menti noſtræ videtur hìc peccaſſe, vbi poſſumus adhùc peccata corrigere; quid illic agendum erit, vbi reatum ſuum nemo poterit emendare? Sed hæc alias. Nunc autem, dilectiſſime, ſi equum habes inuentum, Deo gratias: alioquin ſi adhùc deeſt, mitte ad nos cum tuis litteris Monachum, qui omnes noſtros & equos, & mulos ſolerter aſpiciat, & qualem ſibi placuerit,*

tol-

tollat. Pallium etiam optimum habemus, quod per eumdem nuncium vobis allatum loco pignoris ponite, & equum vobis alterum prouidete. Neque enim decet, vt qui ſpiritu Deo ſeruimus, propter rei temporalis inopiam donis prauorum hominum noſtras animas inquinemus. Vt autem quæ dicimus, ſimulata non credas, ſi aliundè non habes: & quæ libenter offerimus, noſtra non tollis: vt de teipſo quoque debeamus abſque vlla dubietate præſumere, fiduciam ſubtrahis. Abſit enim, vt cum quo mihi mens eſt vna, terrena ſubſtantia ſit diuiſa; & illi exteriora quælibet denegem, pro quo etiam mori meritò non ambigerem, ſi neceſſitas immineret. Quæsò autem, vt breuiculus iſte non pereat, ſed in libro quolibet tranſcribatur, vt deuotionis meæ circà vos memoria conſeruetur.]

6. Et ò quam exoptandum eſſet, vt hanc epiſtolam perpenderent, qui quotidie vendunt verba pauperibus, & diuitibus promiſſiones! non vt impleant, quæ promittunt Charitatis officia; ſed vt tamquàm plenos beneficio, vacuos dimittant ſolo vrbanitatis officio. Qui onera quælibet grauia ex proximorum Charitate, & beneuolentia extrinſecùs ſibi ipſis imponere prædicant, & iactant; vt decipiant pauperem in abſcondito cordis ſui, dùm intrinſecùs nec digito ſuo volunt ea mouere. Quibus ſanè penſandum eſſet Apoſtolicum illud:
„ [Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, Ioann. 1. c. 3.
„ ſed opere, & veritate.] Dicunt enim, & non faciunt. Deni-

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 6. tom. 1. Et ibid. epiſt. 2. ad Cluniac.

7. Denique ad fouendam mutuam Charitatem, aliquandò accipere, aliquandò etiam proſequi munuſculis fratres, Vir Beatiſſimus conſueuit: vt patet ex eius epiſtolis, quas hìc referre breuitatis ſtudio, omittimus. Et ideò per temporale munus victoriam, & honorem ſpiritualem acquiſiuit, & animas abſtulit accipientium. Prætereundum tamen non eſt quod ipſe de Charitate diſſerens docuit, illud Canticorum exponens: [Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me Charitatem.] [*Non ait*, inquit, *dedit, quam non reperit, ſed ordinauit, quam inordinatam inuenit. Nonnulli namque in principali cordis ſui loco habent vxores, filios, prædia, vel honores; in ſecundo autem quodammodò Deum ponunt, dum eum minus diligunt. Hi nimirùm videntur quidem habere Charitatem, ſed inordinatam: nec illum ſeruant ordinem Charitatis, quem veritas ipſa diſpoſuit, cum dicit: Diliges Deum tuum ex toto corde; hoc eſt maximum, primumque mandatum; ſecundùm autem ſimile eſt huic: vt diligas proximum. Non ergò ſe iactet quis habere Charitatem, ſi ordinata non eſt, ſicut nec etiam fidem, ſi ſine operibus, ac per hoc otioſa eſt.*]

Prou. 21. & 9.

Cantic. 2.

Ex Serm. in Natali Virg. tom. 2.

CAP.

Digitized by Google

C A P. VI.

Charitas PETRI DAMIANI *in defunctos.*

1. VIdimus Charitatem PETRI cum viuentibus, quæramus modò viuentem cùm mortuis. Reuerà enim hæc cum illo creuit miſericordia, & de vtero matris ſuæ egreſſa eſt ſecum. Dum (vt ſupra retulimus) cum adhùc puerulus in ſumma omnium rerum ægeſtate porcos paſceret, reperto quadam die nummo argenteo, illud tradidit Sacerdoti, qui rem ſacram pro anima patris ſui faceret. Io. diſcip. vitæ cap. 3.

2. [*Felices*, dicebat, *diuitiæ Charitatis, quæ gratis ſe non modò viuentibus ingerunt, ſed & mortuos proſequuntur. Felices, inquam, quæ illic nobis ex aliena bonæ voluntatis vbertate ſuccurunt, vbi proprij operis ſupplementa deficiunt, & cum iàm diſtrictè à nobis non habentibus, quidquid debemus, exigitur, ex fraternæ Charitatis abundantia debiti noſtri libra completur.*] Opuſc. 14. to. 3. poſt med.

3. Et alibi [*In hac regione* (inquit loquens de Purgatorio) *benignus Pater examinat filios rubiginoſos, ſicut examinatur argentum: ducit per ignem, & aquam, vt inducat in refrigerium eos, qui mortalia quidèm commiſerunt, ſed circà mortem pœnituerunt, pœnitentiam non explentes, indi-* Serm. 59. de S. Nicol. to. 2.

indigni, vt ſtatim gaudeant, nec digni, vt ſemper ardeant, loca purgatoria ſortiuntur, in quibus flagellantur, ſed non ad inſipientiam ſibi, vt extorti transferantur ad Regnum. Pro his, qui in Cœlo ſunt, non orandum, quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his, qui in inferno ſunt, ſuſpendendæ ſunt preces, quibus clauſa eſt miſericordiæ ianua, & totius ſpes intercluſa ſalutis. Pro illis tantùm vigilandum eſt in orationibus, ſubueniendum ſacrificio ſingulari, qui locis purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitentiam eorum in ſatisfactionem, ſatisfactionem in glorificationem citò conuertat. Curre iterùm per iſtos intuitu pietatis, & fac ſarcinam tuam affectum compatiendi.]

4. Benè ergò, & religioſè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos, qui obierant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) hoc potiſſimum ſuis Eremitis præcepit. [*Cum frater* (eius ſunt verba) *quiſpiam ex noſtris* Opuſc. 15. c. 13. tom. 5. *obierit, qui videlicèt nobiſcum degunt, pro eo vnuſquiſque ſeptèm dies ieiunat, ſeptèm diſciplinas cum millenis ſcoparum ictibus accipit. ſeptigentas metanæas facit, triginta inſuper Pſalteria ex more decantat, & vnuſquiſque Sacerdos ſeptem Miſſas illi pro ſua perſona perſoluit, ſaluo eo, quod continuis quoque triginta diebus pro eo Miſſarum ſolemnia in Conuentu communiter celebrantur. Hæc igitur huius loci regula nulla voti varietate poſtponitur; hæc conſuetudo circà de-*

fun-

Digitized by Google

functos diſtrictum prorsùs, & inuiolabili ſemper obſeruatione tenetur. Si autem quis fortaſsè nouitius, vel quolibet modo iniunctam pœnitentiam morte præuentus conſummare non potuit; mòx, vt ad fratrum notitiam res patefacta peruenerit, cum magno feruore tota pœnitentia, parili facta inter eos diuiſione ſuſcipitur, & quantalibet ſit, breui ſpatio per diuerſos afflictionis modos ouanter expletur.]

5. Sed cum hæc eius ardentiſſimæ Charitati minimè ſufficerent, ipſis & hæc addidiſſe, alibi fatetur. [*Nimirum, quod quælibet*, inquit, *animæ defunctorum, ſecundùm virorum illu-* Opuſc.33.c.50 tom.2. *ſtrium pias opiniones, atque ſententias, in diebus Dominicis requieſcunt, atque à ſupplicijs feriatur; ſecũda verò feria ad ea, quibus aſſignata ſunt pœnarum ergaſtula reuertuntur. Idcircò ipſo potiſſimùm die Angelis Miſſarum honor impenditur, vt & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defenſio procuretur*:] Et iterùm quaſi hæc etiam parua eſſent, addidit & maiora, vt ibidem poſt Ibid. vt ſup. cap. 70. multa ille fatetur, dicens: [*Deuotionis quoq; defunctorum hoc nouiter ſuperaddunt, vt charioribus quibuſcumque defunctis octauas ſemper anniuerſarias faciant; & non vno tantùm depoſitionis die, ſed per hebdomadam potiùs annualis ſibi memoriæ vota perſoluant.*] Quas quidèm laudabiles institutiones pro requie fidelium defunctorum, non tantùm Caſſinenſes Monachi, quibus ſcripſit,

Digitized by Google

Vid. ſup. lib. 1. cap. 32. ſed vniuerſalis ipſamet Eccleſia comprobando recepit, vt alibi diximus.

6. Si quæ ergò conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium Charitatis, ſi quæ ſocietas ſpiritus, ſi quæ viſcera miſerationis; totum id ergà animas in Purgatorij carcere detentas, Beatiſſimus Vir habebat, vt liberaret eas à preſſura flammæ, quæ circumdabat eas, & illas erueret à portis tribulationum. In memoria enim ſermonum illius examinabantur, & velociter ſaluabantur, ne in altam incidentes obliuionem, non poſſent alicuius vti adiutorio. Et in hoc tàm ſtrenuus erat, atque ſollicitus, vt audiens quemdam Monachum ex ſuis indiſcreto Charitatis feruore alienas culpas expiandas ſuſcipere, quo, cuidam impoſſibilitati explendi aſſumptum onus ſeſe exponebat, & ex hoc diutiùs eaſdem culpas expiandi gratia Purgatorij pœnis ſe magis obnoxium reddebat; hanc ad illum ſcripſit epiſtolam.

7. [*Quod præſens ſæpiùs inculcaui, nunc* Epiſtol. lib. 6. epiſt. 20. to. 1. *abſens ſcribo: & ne fluctuantis materia more decurrat, funiculum ſcriptionis innecto, videlicèt vt implere valentis pœnitentiam nullatenùs inordinata Charitate ſuſcipias: quod ſi ſuſceperis, inſtantiſſima, prout vires ſuppetunt, agilitate perſoluas. Porrò cum Canonica vetet auctoritas, vt pœnitenti Sacerdos vnius diei ieiunium non relaxet, niſi ad præſens digni pretij taxatione per eleemoſynam compenſet: qua conſcientia tàm metuen-*

da

Digitized by Google

dæ alienæ cautioni obligamur, qui quàm ſit propinqua vitæ noſtræ meta, non nouimus? Dominus planè Martinus, qui in Camaldulenſi Eremo commoratur, vir videlicèt diuerſis virtutibus adornatus, & præcipuè iugibus lacrymarum fluentis irriguus, mihi retulit quod narro: Monachus erat, inquit, in maritimi territorij Cœnobio, quod dicitur ad Pinum, multis peccatorum nexibus inuolutus, cui cum iuxtà quantitatatem lapſuum, auſterior, ac longa nimirùm pœnitentia fuiſſet indicta; ille fratri cuidam, cui complex in amicitiæ familiariùs adhærebat, ad comportandum pœnitentiæ pondus auxilium petijt. Quod frater ille deuotè ſuſcipiens, condictam pœnitentiæ partem tulit, atque perſoluendo huius debiti Canone ſecurum manere præcepit. Sed dùm ille partito leuigatus onere, à diſtrictioris vitæ cenſura remittitur; iſte ad ſolutionem debiti prolixioris ſibi vitæ ſpatium pollicetur; aliquanto poſt in ægritudinem cecidit, atque ſubitò mortem, quam procul eſſe ſperabat, incurrit. Fuerat autèm ille frater quantum ad ſe, irreprehenſibilis vitæ, & opinionis inter fratres honeſtæ; non multis verò poſtmodum diebus pœnitenti Monacho in ſomnis apparuit, quem ille protinus inquiſiuit: Quid ergà te, frater, agitur? Quomodo tibi eſt? Malè, inquit, & durè, ſed propter te; nàm liber à proprijs, quia tuis me vinculis innodaui, & alienæ cautioni obnoxius non reddidi, nec perſolui, flagellis atteror, & amara ſatis ani-

animaduerſione coarctor: vndè quæſo te, & qua valeo ſupplicatione depoſco, vt vigiles pro te, ac liberes me: vade itaque, & ſanctum huius loci precare Conuentum, vt debita meæ ſponſionis à me neglecta perſoluant: ſicque me, quæ præſto ſunt, ſupplicijs eruant. Expergefactus ille, fratribus, quod viderat, retulit: quod audierat intimauit, preces expoſuit, efficaciter impetrauit. Porrò autem cum iam fratres præfixam illius pœnitentiæ quantitatem diuerſis argumentorum ſpecialium exercitijs expleuiſſent: præfato Monacho frater ille per viſum rurſus apparuit, eique feſtiuitatem fereni ſatis, & alacris vultus oſtendit. Interrogatus iterùm quid haberet; reſpondit, ſe per orationes fratrum, non modò pœnalibus incommodis erutum, ſed etiam ad electorum ſortem mirabili dexteræ Excelſi immutatione nuper translatum. Benedicta Diuinæ clementiæ diſpenſatio, quæ per mortuos etiam inſtruit viuos: & dùm alios verberat, alios qualiter à verberibus eripiantur, inſtruit. Audiſti, frater, hiſtoriam: eſto prouidus ad cautelam.] Hucuſque epiſtola PETRI, cuius tanta hæc erat ſollicitudo, ne ſuorum aliquis mitteretur in caminum ignis ardentis, neuè Purgatorij flamma fidelium animas, in quantum poſſibile erat, tangeret, & contriſtaret, vel quidquam moleſtiæ inferret.

8. Sed, vt pleniùs videamus conſolationem, qua conſolabatur eas, & referamus eius deſiderium,

Digitized by Google

eius gemitum, eius fletum, eius æmulationem pro illis; vndè & quanti valeant ſuffragia, ſed præcipuè ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium pro mortuis agnoſcatur; ponendum eſt quod ſcripſit ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, qui (vt ſupra diximus) per internuncium cõminatus illi fuerat quod, niſi ad ſuum Monaſterium viſendum quamprimum veniret, ſi ſe viuente decederet, à Caſſinenſibus Monachis orationum ſuffragia non habiturum. [*Noli enim* (inquit) *noli, pie Pater, inminarum, quas intentaſti, perſeuerare ſententiæ: noli ægrotanti filio, ſiuè viuenti, ſiue poſt obitum, orationis tuæ ſubtrahere medicinam. Porrò autèm quia infelix ego dùm viuo, præ deſidiæ torpore non ſemino; poſt obitum meum, ſi ſuperuixeris, de manibus tuis alimoniam ſpero: quatenùs oblationis tuæ Sacramentum animæ meæ vertatur in epulum, & orationis tuæ Sacrificium mihi vitale ſit alimentum. Et quid mirùm, ſi ſacræ oblationis hoſtia refectio creditur eſſe defunctis, cum in alimenta vertatur aliquando viuentibus etiam in periculis conſtitutis? Nàm venerabilis ſenex Petrus Sacerdos, & Monachus, qui iàm ſeptuaginta fermè annos ſub iure Nonantulani Monaſterij religiosè vixit, nunc etiàm in hac Eremo vitam ducit Angelicam, mihi ſæpè narrauit, quod ipſe quoque fratrum à Comani lacus confinio venientium relatione cognouit. Ait enim, quia latomi quidam apud Clauennam montem de ſaxea terræ* Opuſc. 33. c. 5. tom. 3.

vena

vena lebetes exculpſerant, & expleto labore iàm egreſſi redire parabant. Quorum vnus dum ferramentum quoddam ſe per obliuionem reliquiſſe cognouit, in concauam montis ſcrobem iacturam ſuam recollecturus immerſit. Sed eccè poſt ſe pars ſpecus in minima concidit, eumque lapidea ruderum moles eatenùs, vt nequaquam reuerti poſſet, incluſit. Cumque collaboratorem eius crebris effoſſionibus ſocij attentarent, vt vel dilaceratum, atque contritum extincti cadauer educerent, iamque omnis eorum labor incaſſum cederet, tandem defeſſi, ac funditùs deſperantes ad propria repedarunt. Poſtmodùm verò necdùm labentis anni prorsùs euoluto circulo, amici, vel affines eius quodam intimi feruoris inſtinctu animantur, vt eum ſollicitiùs quærant, quatenùs ex eius oſſibus, vel extrema quædam valeant reperire veſtigia. Cum diuerſis itaque montem foſſorijs adeunt, hinc indè ſcrutantur, & curioſiùs obeuntes rimæ latentis aditum quærunt. Egeſtis itaque non ſine graui labore ruderibus, adhuc fodientes anhelant, & excauati montis adhuc viſcera penetrant. Cum eccè hominem, quem vix mortuum reperire ſe poſſe ſperabant, repentè ſanum, & incolumen cernunt, eumque velut è ſepulchro cum hymnis, & laudibus exultationis educunt. Cumque requireretur quomodò ſine alimentis tam longo tempore viuere potuiſſet, reſpondens: Ex quo, inquit, in illa ſcrobis anguſta ſum cauerna concluſus, quotidiè mibi

mihi breuis auicula, columbæ ſimilis aduolauit, & in ore ſuo niuei mihi panis oblatiunculam detulit. Quo videlicet cibo ita totis viſceribus obdulcatus ſum, & refectus, vt Regalibus, immò Cœleſtibus me delicijs arbitrarer impletum. Solo autem vno die, quoniam ad me dapifera mea conſueta non venit, intolerabilis me famis inopia cruciauit. Vxor enim eius quotidie fecerat pro eius anima Sacramentum hoſtiæ ſalutaris offerri, vno autem die, inhorreſcente brumalis inclementia temporis, attingere limen Eccleſiæ ſuperſedit. Quapropter illis mutuo conferentibus liquidò patuit, eum illo die ſignanter inedia tabefactum, quo pro ipſo non fuerat ſacrificium laudis oblatum.]

9. Et poſt nonnulla, quanta ſit, oſtendens, virtus eleemoſynæ pro animabus defunctorum. [*Eleemoſyna,* inquit, *animas hominum in tenebras ire non patitur, terreniſque munuſculis ſyderea Regna mercatur. Vndè nonnulla in noſtris partibus Monaſteria præclaram nuper inſtitutionis normam ſibimet indiderunt, vt præter cætera pietatis opera, etiam tres pauperes cum priuata menſa ſemper iuxtà ſe Abbas habeat, eiſque ſingulis menſuram cibi, quem quiuis habet frater apponat. Nam cum regularis norma præcipiat, vt Abbatis menſa ſemper ſit cum hoſpitibus, hoc modo nouiter vtrumque completur, vt & Abbatis menſa non ſuperbis ſæculi, ſed ſanctis hoſpitibus hæreat, & ipſe conueſci fratribus non omittat. Enimuerò vt copio-* Ibid. vt ſup. cap. 7.

ſiora

ſiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monaſterijs, & Eremis decimæ quorumque prouentuum, & non modò pecorum, ſed & ornicum, pariter & ouorum.]

10. Ad aſtruendum quoque quàm bona ſit cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur, mirabile illud alibi narrat, quod hìc quoque prætereundum non videtur.

In calce ad Opuſc. 34. c. 5. tom. 3.

11. [*Rainaldus*, inquit, *Comanus mihi narrauit Epiſcopus, quòd frater quidam non quotidiano, non certè ſolemni Sanctorum, ſed ſolo vtebatur, & delectabatur officio defunctorum. Cumque conditionis humanę debitum ſoluens, tribunali ſuperni Iudicis aſtitiſſet; cœpit turba dœmonum vehementer hoc illi crimen impingere, quod Eccleſiaſticæ inſtitutionis regulam negligens, per aſſuetę ſynaxis officia vota Deo reddere contempſiſſet. Tunc Beata Regina mundi ſemper Virgo Maria, & omnes Sanctorum Chori cum ea valenter occurrunt, ſeſeque ad illius auxilium concorditer interponunt. Hic, inquiunt, noſter Capellanus, ac miniſter extitit: quòdque defunctorum ſemper exequijs libenter interfuit, nobis omnibus procùl dubio miniſtrauit. Abſit igitur, vt in impiorum manus iſte deueniat, qui pijs erga nos, dum aduiueret, ſtudijs inſudabat. Sic itaque Beatiſſimæ Virginis precibus, omniumque ſupplicatione Sanctorum, in eorum meruit tranſire conſortium.*]

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

Charitas in PETRO DAMIANI patiens eſt; benigna eſt in infirma ſemper corporis valetudine.

1. [CHaritas autem patiens eſt, benigna eſt;] quia nimirùm ſi tollitur Charitati patientia, deſolata non durat; ſi tollitur ſuſtinendi, tolerandique ſubſtantia, nullis indicibus, aut viribus perſeuerat. Non ergò mirum, ſi corde bono, & optimo PETRVS DAMIANI verbum Charitatis retinens, fructum attulit in patientia. S. Cyprian. de dono patient.

2. Quis autem credet auditui noſtro, ſi brachium Domini ſuper eum ſemper extenſum reuelabimus? Et tamen reuerà vidimus eum virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Tamquàm aurum in fornace probauit enim eum Dominus perpetuis doloribus, aſſiduis infirmitatibus, & à planta pedis vſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas; vt adimplerentur in eo, quæ deerant paſſionum Chriſti; & vt ille, quem Deus elegerat, vt portaret nomen ſuum coràm Regibus, & Principibus, & filijs Iſrael, haberet theſaurum iſtum in vaſe fictili; vt ſublimitas eſſet virtutis Dei,

& non ex illo, & non glorietur caro illius in conſpectu eius.

3. Ille autem placens ſibi in infirmitatibus ſuis pro Chriſto, tribulationem carnis ſuæ referens: [*Si autem ſcire dignemini*, (ſcribit Alexandro Papæ) *quæ circa me ſunt, ſeptuaginta fermè dies ſunt, ex quibus vix iacere, vel ſedere, quanto minùs ſtare, niſi cum difficultate poſſum. Quid autem dicam, quia vinũ ſtomacho nauſeante, faſtidio? Qui diuerſa quoque mellitæ, ac pigmentatæ potionis genera perborreſco? Sed hæc vberiùs non exaggero &c.*]

Epiſtol. lib. 1. epiſt. 11. to. 1.

4. Et vocatus à Fauentinis poſt eorum Epiſcopi mortem, excuſat ſe, quòd in præſentia, præteritis languoribus valdè debilitatus & laſſitudine, ad eos accedere non poſſet; dicens: [*Venerabilis autem filius noſter, Abbas ſcilicet, quem ad me direxiſtis, ita me reperit non modò præteritis languoribus, ſed & quibuſdam laboribus conquaſſatum, atque confractum, vt nunc tam citò ad vos venire non poſſim.*]

Epiſtol. lib. 5. epiſt. 10. to. 1.

5. Alibi etiam tamquam alter Gregorius ſe ſtomachi, & vocis ægritudine laborare teſtatur, dicens: [*Ego autem, cui per Sacerdotalis Ordinis gradum iniunctum eſt prædicationis officium, vocis incommodum patior, atque ideò ad ſatisfaciendum plurimæ plebis auribus non aſſurgo; ſed dùm Apoſtolicæ gratiæ Sacerdotes, Gregorium videlicet, & Ambroſium fractum ſtomachum, vociſque defectum*

Epiſtol. lib. 8. epiſt. 1. to. 1.

Digitized by Google

fectum conquerentes attendo, deſperatione poſtpoſita, mentem in ſtatum viuidæ conſolationis attollo, nec erga me deputo tremendi Iudicis iram, quòd tam ſublimibus viris ad humilitatis arbitror perueniſſe cuſtodiam.]

6. Nec tantùm, cum tribulationem, & dolorem inueniebat, Vir Beatiſſimus nomen Domini inuocabat; ſed inſuper gloriabatur in infirmitatibus ſuis, vt maneret in ſe virtus Chriſti. Et hæc erat illi conſolatio, vt affligens Omnipotens eum dolore, non parceret, ſed circumdaret ſe lanceis ſuis, conuulneraret, & concideret ſe vulnere ſuper vulnus. Et licet nec fortitudo lapidum fortitudo eius, nec caro eius ærea eſſet; tamen non erat illi auxilium in ſe, & neceſſaria quoque elongabat à ſe, tollens à corpore ſuo miſericordiam, ne timorem Domini derelinqueret: vnde & Diuina virtute conualeſcebat ex infirmitate, & fortis reuertebatur ad bellum. Totum hoc ipſe refert in epiſtola ad Rodulphum, & Ariprandum Monachos, quamdam infirmitatem referens, quam inter cæteras paſſus erat, in qua mira Dei virtus ipſum mortificauerat, & viuificauerat, & ad inferos deduxerat, & reduxerat: dicit igitur.

7. *Vnanimis amicitiæ proprium eſt, vt cum fratre frater & proſpera communicet, & aduerſa,* Epiſtol. lib. 6. epiſt. 19. to. 1. *quatenùs fideliter animus, ſicut referenti in aduerſitate compatitur, ita nihilominùs & in proſperis vnanimiter collætetur. Ego verò cumulatus vtro-*

Digitized by Google

que, beatam vobis refero meæ calamitatis hiſtoriam, vt & ſuperno verbere me patiamini vehementer attritum, & per eiuſdem Dei noſtri potentiam congaudeatis etiam clementer ereptum. Caſtigans enim caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Pſalm.117. *Oraueram planè quam ſæpè, vt in me Cœleſtis diſciplinæ vigor irrueret, & petulantem mei corporis inſolentiam non leui languoris ægritudine caſtigaret. In quo me Diuina clementia non deſpexit, ſed vltrà ſpem precibus annuens, non ſine fœnore mea vota compleuit. Dedit enim mihi Pentecoſten lugubrem, non Paſchalem: &, vt ita dixerim, contulit mihi Iubilæum, non Sacerdotalium tubarum clangoribus intonantem; ſed ſuſpiriis potiùs, ac gemitibus lacrymabiliter obrepentem. Dominico nimirùm die febricitans in lectulum decidi: ſeptemque tranſactis hebdomadibus, æquè Dominico die, qui nimirùm quinquageſimus erat, Deo me reſuſcitante, ſurrexi. Verumtamen lege dietæ, vt aſſerebant medici, per incuriam violata, vix tres, ſiuè quator dies ſub coloratæ ſanitatis lenocinio mihi malè blanditi ſunt: & ecce in recidiuam corruens, per viginti poſtmodùm dies eiuſdem valetudinis laborare moleſtia non ceſſaui. Sic itaque poſt Iubilæum non quietis, ſed turbinis impleta eſt quodammodò ſeptuageſima captiuitatis. Porrò autem dùm me tantæ paſſionis ardor exureret, dùm mixtum flegmati ſanguinem ſpuerem, dùm tot certè imminentis obitus*

ſigna

ſigna prætenderem, vt medici quoque circumſtantes propè modum deſperarent, hoc mihi dedit Omnipotens Deus, vt in nullius querelæ murmur excederem, ſed cuncta libenter, & ex animo tolerarem.

8. *Gratias, inquàm, ago tibi miſericors Deus, quia cum dignatus fueris ſub peccatorum meorum ruderibus ad ſupplicium rapi, dignatus es me paternæ ſeueritatis igne decoquere, & animę meæ rubiginem tamquàm mallei cudentis impactione purgare. Quamobrem non mea voluntas fiat, Domine, quæ praua ſemper eſt, & iniuſta; tua potius, quæ Cœli virtutibus, & hominibus eſt humiliter adoranda. Vre, ſeca, concide, omneſque vulnerum meorum ſinus, ac latebras perſcrutare; nihilque prorsùs in me lateat putridum, quod curationis tuæ præteruolet ferramentum. Nec tamèn, dum os diſciplinæ Cœleſtis ictus æquanimiter fero, meæ patientiæ, quod abſit, adſcribo. Tu nimirùm, Domine, tu ſic flagella tua, dùm cædis, attemperas; vt dùm ad ſummum doloris, & anguſtiæ perferor, itaut ſpaſmum patiens, penè mox expirare compellar, illicò ſentiam pondus intimi doloris imminui, & cædentis manum diſpenſatiua quadam lenitate ſuſpendi; vt tamquam quadrifidam quis ſcuticam in verbere teneat, & interim pietate ductus, vnum ex his lorum à cæde compeſcat. Non ego itaque, ſed tu clementiſſime, huius patientiæ auctor es, qui ſub tanto moderamine motus*

tus

tus tui flagella diſponis. Licèt enim elegiacum quid, & lugubre nimietate languoris aliquandò depreſſus, effutire compellar, ardeo, morior, intercidor; hoc ſimplex corporis gemitus, non querulæ mentis eſt murmur. Vnum prӕterea te rogo, piiſſime, vt modo vitӕ meӕ terminum ponas, nec me vlteriùs viuere in conſuetӕ ignauiӕ tempore permittas. Quod ſi placet incomprehenſibili tuӕ Maieſtatis arbitrio, me in huius carnis ergaſtulo diutius protrahi, da mihi, quӕsò, potiorem amoris tui vim, vel vberiorem compunctionis gratiam, aut certè cuiuslibet virtutis augmẽtum, quod hactenùs non habuerim; alioquin numquam clementiӕ tuӕ placeat, vt euadam, niſi quantulacumque mihi virtutis gratia, quam necdùm ſum conſecutus, accreſcat.

9. *Dùm hæc, & his ſimilia frequentius itero funereӕ mihi parantur exequiӕ, ſacrati olei delibutione perungor: in cineris, ac ciliciј ſtrato, tamquàm illic emoriturus, exponor. Sicut enim fracta videlicèt oui teſta, & rotante cultello, vitellus egreditur ſic anima mea carnis vulſa viſceribus, exitium minabatur. Intereà frater quidam, Leo nomine, erat in Eremo, grandæuus quidem ætate, ſed venerabilior diſtrictӕ conuerſationis ſtudio, & ſimplicis animi puritate. Huic itaque per viſum vir ſplendidus, ac prӕclarus apparuit, eumque quid ageret inquiſiuit. Cui ſe frater ille dormire quidem, ſed triſtem nimis eſſe de imminenti Prioris*

ſui

Digitized by Google

ſui morte perhibuit. Et ille: Dic, inquit, PETRO DAMIANI, de quo loqueris, nullam in medicis ſpem ponat: centum tantummodò pauperes paſcat, & protinùs ſe conualeſcere de languore, quem patitur, non diffidat. Cui cum ille de meliori vtique vita ſollicitus, diceret: Habebit ille, Domine, Paradiſum? Reſpondit: In Paradiſo quidem quantocyùs eſt; ſed dic illi, quia mox, vt pauperibus alimenta contulerit, reſumpta protinus incolumitate, gaudebit. Euigilans itaque continuò frater ad Eccleſiam pergit; quam dum ingredi, conticinio noctis abnuente, non potuit, viſione tamen attonitus ad cellulam non rediuit. Quid plura? Viſionem frater fratribus retulit, eleemoſynam indigentibus ardenti deſiderio fraterna Charitas miniſtrauit; quibus etiàm ex abundanti nummos adhibuit: & ſic ego die altero, valetudine recedente, conualui. Reparatio itaque ſanitatis fidem præbuit viſioni; ſed cum piſces omninò deeſſent, &, langueſcente ſtomacho, capere alimenta non poſſem, cœperunt fratres importunis precibus vehementer inſiſtere, vt ſaltèm triduo eſum carnium reparationi tabeſcentis & effęti corporis indulgerē. Quorum vtique ſi precibus acquieſcerem, quodcumque illis pœnitentiæ vellem, pondus iniungerem; pollicebantur vltroneæ ſe deuotione perferre. Quibus ego quod olim Pharulphus Vrbis Veteris Comes, qui centum millia manſos habere dicebatur, egerat, dedi ridiculæ deluſionis exemplū. Enim-

uerò

uerò, ſicut mihi relatum eſt, dùm ad menſam Comes ille diſcumberet, quidam illi Monachus aſſidebat, quem rogare cœpit; vt, quia piſces deerant, dictante neceſſitate, carnibus veſceretur. Primò quidem ille negare, deindè ſenſim, paulatimque molleſcere, poſtremò cœpit animum, hortatibus delectabiliter impellentibus, inclinare. Verrinus intereà callus apponitur, & hoc non eſſe carnem, ac per hoc irreprehenſibiliter comedi poſſe, vecors Monachus fallaciter adhortantium lenocinio ſuadetur. Fit itaque de illo, quod de ſtulto viro, atque à meretrice decepto, per Salomonem dicitur: Irretiuit, inquit, eum multis ſermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum; ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans, & neſcit, quòd ad vincula ſtultus trahatur, donèc transfigat ſagitta iecur eius; velùt ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quia de periculo agitur. Hoc itaque modo captioſis, atque blandiloquis perſuaſionibus frater ille pellectus impingitur, & velut auis mollis viſcarij compedibus irretitur. Verecunda denique prius ora rubore ſuffundens, ac intuentium ſe per circuitum oculos expaueſcens, ſummotenùs primò ligurire cœpit: deindè ſemèl edendi libertate concepta, prurientis gulæ fræna laxauit. Cumque iàm ſatiatus exiſteret, & carnalis illecebræ vota compleſſet; ecce permaximum lucium dapifer attulit, & in ſe conueſcentium oculos, & ora conuertit.

Cum-

Digitized by Google

Cumque hunc & Monachus miraretur, & oculos in eum inhianti curioſitatis auiditate defigeret, ait Comes: Quia carnes tamquam laicus comediſti, piſcem tamquàm Monachus cur attendis? Planè ſi hoc tibi licuerit, verſiculum illum congruè decantabis: Meus eſt Galaath, & meus eſt Manaſſes? Porrò autem ſi carnibus abſtinuiſſes, piſcis iſte tibi de induſtria ſeruabatur; ſed quia carnibus appetitum carnis impleuiſti, fauces tuas piſcis hic poſt alimenta carnalis ingluiei non tranſibit. Huius itaque non immeritò confuſionis ignominia dignus extitit, qui robur ingenui rigoris degeneri malè blandientium ſuadela molliuit: dignèque pertulit manifeſti pudoris opprobrium, dùm illicem, & occultiùs titillantem carnis non cohibuit appetitum. Sic, inquàm, ſic fortè mihi faciet Dominus, fratres mei, vt cum obtinueritis edendis me carnibus acquieſcere, dignetur mihi benedictionem piſcium exhibere, & hoc modo pœniteat me per impatientiam, gulæ violaſſe propoſitum, dùm mihi videam ex Dei munere piſcium exuberaſſe prouentū. Dictum, factumque eſt: nàm tertio die, poſtquàm hæc dicta ſunt, & à Guidone Cornelienſium Comite, & ex Fauentina Vrbe tot mihi delati ſunt piſces, vt eorum mihi per plurimos dies edulium non deeſſet; ſic itaque per Pharulphi Monachum deludentis exemplum, deterioris euaſi confuſionis opprobrium; tolerabilius quippè eſt ab hominibus deſpici, quàm coràm Diuinitatis Maieſtate confundi.

10. *Hæc vobis, dilectiſſimi, tamquam complicibus, & amicis, amicus expoſui: meæque viſitationis ſeriem, velùt vterinis fratribus, vnanimi familiaritate digeſſi. Omnipotens Deus ſanctis precibus veſtris in anima quidèm me reddat incolumen, corpori autem meo dignam meæ prauitatis inferat vltionem: quatenùs clementiſſimum Iudicem, quem hìc ſenſero per verbera duriora commotum, illic merear inuenire tranquillum.*]

11. Hæc benè patiens PETRVS annunciabat, leuans caput, ſaturatus afflictione, & miſeria; immò pro eo quod laborabat anima eius, videbat, & ſaturabatur; & dùm pauperes manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis; Beatus ille, qui eſurijt, quoniam ſaturatus eſt. Nimio patiendi deſiderio, vel potiùs Diuina Charitate vulneratus languebat; ſed ipſa Charitas in egenos liberauit animam eius à morte, oculos eius à lacrymis, pedes eius à lapſu. Quam benè miniſtrauit in fide ſuauitatem, in ſuauitate virtutem, in virtute autèm ſcientiam, in ſcientia autèm abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autèm pietatem, in pietate autèm amorem fraternitatis, in amore autèm fraternitatis Charitatem. Quàm malè, cum hæc nobiſcum non adſint, & ſuperent, vacuos, & ſine fructu nos conſtituunt in Domini Noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim, ſicùt & PETRO, non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, obli-

obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.

CAP VIII.

Charitas in PETRO DAMIANI patiens eſt, benigna eſt, & in ægritudinibus, & in calumnijs, licet ipſe ad iracundiam pronus. Inſigne patientiæ exemplum.

1. IN multo igitùr experimento tribulationis, abundantia gaudij ipſius fuit, vndè poſteà rectè docere potuit, quòd verè Diuinæ diſpoſitionis ordo laudabilis eſt, quia dùm ſecat, curat: dùm percutit erudit: medetur, dùm vulnus infligit. [*Ad hoc enim te* (Epiſcopum alloquitur, qui à graui quodam morbo, Dei gratia, conualuerat) *venerabilis Pater, Diuina ſeueritas corporalis moleſtiæ verberibus cinxit, vt tamquàm docilem puerum à leuitate compeſceret: idcircò te malleo diſciplinæ percuſſit, vt vas vtile in domo Domini à ſcabreſcentis ſcoriæ, vel ſuperductæ rubiginis ſquallore purgaret.*] Et alibi: [*Ad hoc enim aurum malleus tundit, vt ſcoriam faber eijciat: ad hoc lima frequenter eradit, vt vibrantis vena metalli rutilantiùs eniteſcat. Vaſa ſiquidem figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis: vndè & per Beatum Iacobum* Opuſc. 40. c. 11. tom. 3. Epiſtol. lib. 5 epiſt. 6. tom.

Digitized by Google

dicitur: Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Illis quippè iure gaudendum eſt, quibus & pro malis ſuis hic afflictio temporalis infertur: & pro bonis, quæ geſſerant, præmia in Cœlo ſempiterna ſeruantur. Felix ſanè commercium preſſuris hic temporalibus atteri, & in illa poſtmodùm perpetuæ lucis amœnitate lætari: carnis nunc ſubiacere moleſtijs, & ad Angelicæ poſtmodùm transferri gloriam dignitatis. Vbi nimirùm non languor quemlibet aggrauat, non tremula ſenectus incuruat, non amiſſarum rerum damnà diſcruciant, non acquirendarum æſtus inflammat: ſed flos perpetuæ iuuentæ viget incolumis, & ſic conſpicua beatè viuentium ſpecies incorruptibiliter vernat, vt viua venuſtatis gratia iugiter in ſua viriditate permaneat, & cum ad nutum cuncta pro deſiderijs affluant, non amittendi ſollicitudo perturbat vbi ſine fine fruendi ſecuritas perſeuerat.]

2. Et demùm in Sermone de Sancto Anaſtaſio: [*Notandum*, inquit, *dilectiſſimi, quia inter cætera ſpiritualium dona virtutum, quærentibus Deum duæ propenſiùs neceſſariæ probantur eſſe virtutes, Charitas videlicet, ac patientia, vt per quæ reconciliati ſumus gratuito Diuinæ miſericordiæ munere, per ea potiſſimùm conſummemur ex proprij quoque arbitrij libertate. Per Charitatem quippè Dei filius ad noſtra deſcendit; per patientiam verò ſuſceptam noſtræ ſubſtantiæ veritatem,* Serm. 1. tom. 2

calca-

Digitized by Google

calcato mortis imperio, ad paternam gloriam ſublimauit. Et quia per Charitatem ad nos conſubſtantialis Patris Filius venire dignatus eſt, ſufficit vnum Ioannis exemplum, quo ait: In hoc apparuit gratia Dei in nobis, quoniam Filium ſuum miſit in mundum, vt viuamus per eum. Quod autem homo factus, ad Patrem per patientiam rediit, tota diſpenſatio humanitatis aſſumptæ liquidò confitetur. Omnis igitùr anima, quæ his duabus, Charitate ſcilicet, & patientia, velut quibuſdam ſubſtentaculis non innititur, funditùs labitur, etiam ſi cæteris virtutibus fulciri videatur.]

3. Ipſe autem Vir Venerabilis quotidiè à geminis his virtutibus euectus, videbatur aſcendere per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ; nàm corpore fracto, & animo inuicto ſemper cor, & corpus ſuum dirigebat in Charitate Dei, & patientia Chriſti, nec vllo vmquam tempore, vel à colloquiis Diuinis, vel oratione ceſſabat. [Vndè (vt ſupra retulimus) prodiderunt diſcipuli eius ſæpè accidiſſe, quòd cum propter nimium ſermocinandi laborem, nocte deindè febri laboraſſet: nihilominùs manè, miſſarum ſolemnibus expletis, vſque in horam ſextam rurſus habere ſermonem numquàm reliquerit; magnum ſæpènumero de ſe præbendo miraculum, dùm ſemper quaſi renouatus à Charitate oculis omnium appareret, quandò propemodùm periturus eſſe crederetur.] Ex Aug. Fort. hiſt. Camald.

Nec

4. Nec tantùm cum infirmabatur, tunc fortior erat, ſed in omnibus exhibebat ſe Dei miniſtrum in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs. Maledicebatur, & benedicebat, perſecutionem patiebatur, & ſubſtinebat, blaſphemabatur, & obſecrabat. Vndè cum à calumniatoribus apud Leonem Papam Nonum, illi grauiſſima crimina falsò illata fuiſſent; & ideò Pontifex auertiſſet faciem ſuam ab illo, & factus eſſet conturbatus; tamen Leoni ipſi, admirabili animi firmitate, inter alia (quæ ſupra retulimus) hæc ſcripſit: [*Verumtamen in his ad conſcientiam redeo, ad mentis meæ ſecreta recurro, certus, quia niſi pro amore Chriſti, cuius ego malus ſeruus ſum, nullius mortalis hominis gratiam quæro, nullius iracundiam pertimeſco. Quapropter ipſum conſcientiæ meæ teſtem inuoco, & humiliter peto, quem in ſacrario veſtri pectoris habitare, pium eſt credere, vt ſi ſaluti meæ congruere iudicat, vos mihi miteſcere ſua protinùs auctoritate præcipiat, & ſerenitatis veſtræ vultum mihi placabilem reddat, quatenùs ipſe me in veſtra reconciliatione confœderet, qui me ad quærendam clementiæ veſtræ gratiam, ne ſtem rigidus, terret. Alioquin ſi adhuc duriſſimo auerſionis veſtræ flagello me verberandum eſſe decernit, liuentes ſcapulas humiliter ſubdo, ori meo digitum ſuperpono, nihil conqueror, ſed ad ipſum ſpei meæ oculos leuo, cuius hæc erga me fieri iuſta occulti examinis diſpoſitione*

Vid. ſup. lib. 1. cap. 23.

Epiſtol. lib. 1. epiſt. 4. to. 1.

per

perpendo.] Et quia, vt vidimus, nec his faciem Leonis placauit; obmutuit, & ampliùs non aperuit os ſuum, ſed in humilitate ſua patientiam habuit.

5. Et pari modo in omnibus ſeſe geſsit: quod tantò mirabilius eſt; quantò PETRVS ad iracundiam erat procliuior, vti ipſe teſtatur his verbis: Opuſc. 40. c. 9.
[*Porrò autèm & me naturalis iracundiæ conſperſio ſtimulat, ac ſæpè leuiſſima quælibet offenſio concuſſa meæ quietis arcana perturbat; vt in me plerumque, quod vix eſt acu, vel ſpina leuiter punctum, phalarico telo mihi videatur eſſe perfoſſum; leuem virgam iudico trabeam, tolerans ſuſpiro plumbatam. Sed hæc intrinſecus, quantùm verò ad opus, dicat ira quod vult, frendeat, fremat, dentibus ſtrideat: in omnibus his, quæ mibi interiùs ſuggerit, in quantum negare potuero, meum extrinſecus adiutorium non habebit: licèt inflata turgeat, ſufflet, furiat, ſæuiat, intumeſcat, ego ſibi membra mea non dabo, vt per ea quaſi per arma, quod conatur, efficiat. Nolite, inquit, Apoſtolus exbibere membra veſtra, arma iniquitatis peccato. Non enim illi do manum meam, vt per eam inflata percutiat, vel aliquid rapiat. Non linguam, non labia moueo, vt per ea ſui fellis amaritudinem fundat.* Rom. 6.

6. *Dùm ego itaq; ſæuienti iræ penitùs hęc auxilia denego, neceſſe eſt, vt mox velùt ſine pabulo flāma flacceat, aut prorſùs intereat, aut tamquam ven-*

ventus inoffenſo aere inaniter tranſeat, dùm obſtaculum deeſt, in quod præcipitanter impingat. In ſemetipſam ſcilicèt infracta reliditur, dùm materia fomitis, in qua ſe valeat exercere, fruſtratur. Hoc enim reſpondeo iræ, quod titillanti luxuriæ. Aliquando me libido ſuccendit, inflammat, viſcera concutit, genitalia ſubrigit: ſed in his omnibus faciat ipſa ſuis viribus contenta, quod poteſt: nàm meæ cooperationis auxilium habere nonpoteſt. Clamat iracundiæ furor, audio: æſtuat libidinis ardor, ſentio: ſed nec illis clamoribus auxilij manum porrigo, nec iſtis furentibus flammis pabuli fomitem ſubminiſtro: illis opem vlciſcendo non fero, iſtis per effectum libidinis non inſufflo. Hoc itaque modo neceſſe eſt, vt iræ furor inaniter euolet, ac deficiat: & ardor libidinis ſeſe, dùm materiæ fomes non miniſtratur, extinguat. Naturam quippè poſſum ex ratione compeſcere, non omninò delere: poſſum lenire, non prorsùs extinguere. Faciat in me vnuſquiſque quod vult, mihi neceſſe eſt intra me metipſum patientiam quærere, nec debeo fructum ex alienæ virtutis mercede ſperare. Nàm vbi deſunt bella, quæ prouocent, non offertur victoria, quæ coronetur. Incaſſum clypei tegmen opponitur, vbi iaculi, vel mucronis acies non vibratur. Si flamma fornacis emoritur, metalli puritas non probatur; ita me non aliena manſuetudo faciet patientem, ſed intra me debent erigi propugnacula turrium, quæ procul abijciant,

ciant,

Digitized by Google

ciant, ac propellant ingruentium turbines iaculorum.]

7. Ex his manifeſtiſsimè comprobatur non ſemper nobis, aliorum vitio, commotionum ſtimulos excitari, ſed potius noſtro, qui reconditas in nobiſmetipſis habemus offenſionum cauſas, ac ſeminaria vitiorum, quæ, cum mentem noſtram tentationum imber alluerit, in germina confeſtim, fructuſque prorumpunt. Numquam enim quis alterius vitio laceſsitus peccare compellitur, ſi repoſitam materiam delictorum in ſuo corde non habeat. Ideoque Creator omnium Deus opificij ſui curationem præ omnibus noſcens, & quia non in alijs, ſed in nobiſmetipſis offenſionum radices, cauſæque ſubſiſterent, non deſerenda præcipit fratrum conſortia, nec vitari eos, quos læſos à nobis, vel à quibus nos arbitramur offenſos, ſed deliniri iubet; ſciens perfectionem cordis, non tam ſeparatione hominum, quàm patientiæ virtute conquiri. Quæ firmè poſseſſa, ſicut poteſt nos etiam cum his, qui oderunt pacem, pacificos conſeruare, ita ſi parata non fuerit, ab his quoque, qui perfecti, ac meliores nobis ſunt, facit iugiter diſsidere. Occaſiones enim commotionum, ob quas eos, quibus iungimur deſerere feſtinamus, in conuerſatione humana deeſſe non poterunt, & idcircò triſtitię cauſas, ob quas à prioribus ſeparamur, non euadimus, ſed mutamus. Vnde, vt docuit, & fecit Beatiſsimus PETRVS, procurandum nobis eſt, vt noſtra potius

Ex Io. Caſſia. Inſtit. lib. 9. c. 5

Ibid. vt ſup. cap. 6

Ibid. cap. 7.

Ibid. vt ſup. cap. 8.

tius emendare vitia, & mores corrigere feſtinemus: quæ procul dubio ſi fuerint emendata, non dicam cum hominibus, ſed etiam cum feris, & belluis facillimè nobis conueniet, ſecundùm illud, quod in Libro Beati Iob dicitur: Beſtiæ enim terræ pacatæ erunt tibi. Extrinſecùs quippè venientia non verebimur offendicula, nec vlla poterunt ſcandala nobis de foris inferri, ſi in nobiſmetipſis intùs radices eorum receptæ, inſertæque non fuerint: Pax enim multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.

Iob 5. Pſalm. 118.

8. Non ergò mirùm ſi ille, qui tam fortiter in ſe iram comprimebat, & paruulam allidebat ad petram; tàm ſapienter deindè docere valuerit Epiſcopum huic obnoxium paſſioni, qui cum nullis precibus ad deponenda odia, & ſimultates induci potuiſſet, graui poſtea morbo à Deo correptus, cum inimicis ſuis ſe reconciliauerat: [*Sequeſtri planè* (ad ipſum ſcripſit) *functus officio frequenter inſtiteram, vt cum inimicis tuis rediuiua pace componeres, vt ſororibus tuis, te iniuſtè lædentibus ſacerdotaliter indulgeres; ſed animi tui motus, quos homo blandiens lenire non potuit, auſteritas Diuina perdomuit: &, vt ita loquar, iram tuam iraſcendo placauit. Sæuire ſcilicet in te voluit, vt ſæuitiam tolleret: ſpiritum vltionis effudit, vt manſuetudinis in te ſpiritum reformaret.*

Ibid. cap. 12.

9. (Pergens deindè, & iræ mala oſtendens; addidit:) [*Quanto planè ſtudio vitium iracundiæ*

Ibid. cap. 20.

Digitized by Google

diæ ſit vitandum, nunc prudentiæ tuæ liquidò valet probare iudicium. Nàm qui tunc tibi videbantur amari, tuæque familiaritatis acceſſu prorſùs indigni, dulciſſima nunc eorum affabilitate perfrueris, teque in eos ſecurè proijciens, quodammodò iucundis amicitiæ conſtrictus amplexibus delectaris. Tunc enim meritò dicebas: Turbatus eſt præ ira oculus meus; nunc autèm alacri potes voce cantare: Iuſtitiæ Domini rectè lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Præceptum quippè Domini Charitas eſt. Hoc eſt, inquit, præceptum meum, vt diligatis inuicèm. Hoc ſanè præceptum oculos cordis illuminat, ſicùt è contrario liuor, & odium cæcat. Quiſquis enim (ſicut ait Ioannes) odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò vadat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius. Quo contra Dominus ait: Ego lux in hunc mundum veni: & omnis, qui credit in me, in tenebris non manet. Enimuerò ſi omnis, qui credit in Chriſtum, non manet in tenebris: & omnis qui odit fratrem ſuum, iuxtà Ioannis vocem, in tenebris eſt, ille profectò non credere in Chriſtum maniſeſtè conuincitur, qui feralis odij tenebris excæcatur.

Pſalm. 6. Pſalm. 18. Ioann. 13. Ioann. 2. Ioann. 12.

10. *Per iram prætereà lux veritatis amittitur; & obtenebratæ mentis obtutibus inoccidui Solis radius occultatur. Vndè dicit Apoſtolus: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nàm* Ibid. cap. 3. Epheſ. 4.

Digitized by Google

cum iracundia menti confuſionis tenebras incutit, huic Deus illicò radium ſuæ cognitionis abſcondit. Per iram certè Sancti Spiritus ſplendor excluditur, cuius ſcilicet habitaculum fieri mens improba non meretur. Vndè per Prophetam dicitur: Super Iſai.66. *quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Nàm cum humilem dixit, quietum conſequenter addidit: quia dum ira menti quietem ſimul, & humilitatem ſubtrahit, ſuam Sancto Spiritui protinùs habitationem claudit: dumque ſe per furoris inſaniam eleuat, ne ad ſe Spiritus Sanctus introeat, ſemetipſum mens velut obſeratis foribus damnat. Et ſciendum, quòd ira ſæpè tranquillitatis mentita colorem, ſuperficiem quietis oſtendit, dùm in furoris indignationem apertè non proſilit: ſed interim, dum intra mentem velut in clibano vehementiùs æſtuat, licet extrinſecùs taceat, clamoſas intra forum conſcientiæ voces format. Vndè per Salomonem dicitur: Præſtolatio impiorum furor. Et Sapiens quidam ait: Cogitationes iracundi vipereæ ſunt generationes, mentem comedunt matrem* Prou.11. *ſuam. Tradunt autem Phyſici, quod anima hominis tripartita ſit. Eſt enim, vt aiunt, rationalis, iraſcibilis, concupiſcibilis.*

II. *Non ergò ſine magno labore compeſcitur, quæ non per accidens oritur, ſed naturaliter inſita perhibetur. Verumtamen aduersùs hoc vitium, ſicut nec aduersùs concupiſcentiam, nequaquam debe-*

debemus deſperare victoriam. Natura quippè noſtra, cui ſcilicet iſta dicuntur originaliter inſita, ex primi quidem Parentis eſt tranſgreſſione corrupta, ſed ad ſtatum incolumitatis priſtinæ per noſtri Redemptoris eſt gratiam reformata. Et licet lex carnis cum ſpiritus lege confligat, facilè mens noſtra vetuſtatis ſuæ tenebras ſuperat, ſi in eo, quem renouata concepit, vigore Cœleſtis gratiæ perſeuerat. Nàm ſi ira, vel concupiſcentia, quæ nobis dicuntur naturaliter inſitæ, per vigorem ſpiritus ſuperari non poſſent, nequaquam impoſſibilia perciperentur. Superari enim per Diuinam gratiam poſſunt, quæ ſuperare per Diuina mandata iubentur.]

12. His denique, quæ Vir mitiſsimus docuit, addendum videtur memorabile patientiæ, & manſuetudinis exemplum, quod ab ipſo tali pacto refertur. [*Adoleſcentem me*, inquit, *in Fauentina vrbe propter litterarum ſtudia conſtitutum audire contigit, quod enarro: Inter duos ſibimet conuincaneos, obortis inuicem ſimultatibus, alterius oculos alter effodit. Cœcus itaque poſtquam ſe mundo nimium inutilem vidit, Monaſterium petijt. Poſtmodùm verò, cum & ipſe illator iniuriæ languore correptus, conuerſionis habitum anxiè quæreret, ſed ad idem Monaſterium deferri propter illum, quem crudeliter attrectauerat, incongruum iudicaret, Monachis ſuper hac re ſecretò muſſitantibus, tandem fama negotij ad acutiorem videlicet* Opuſc. 51. c. 13. tom. 3.

cet

cet non videntis peruenit auditum. Cumque ille, quod imminebat, pleniùs didiciſſet, mox cœpit obnixè depoſcere, & quibus valebat precibus, inſtantiſſimè flagitare, vt illum fratres cum omni charitate ſuſciperent, ſemetipſum inſuper cuſtodem ſcilicet, ac miniſtrum eius obſequijs inſudare iuberent. Importunis ſanè inſiſtens precibus tandem obtinuit; & ei, quem carnis lumine videre non poterat, perſpicuo Charitatis oculo miniſtrabat. Decumbenti itaque ſedulus miniſter aſſiſtere, tegminibus confouere, neceſſaria quæque porrigere, percipiendis etiam alimentis ſuaſoriè prouocare. Nam & ad digeſtionis occultum, vt dicebatur, ſæpè ſe ferre, & referre gaudebat ægrotum. Sic nimirùm, ſic qui geminum lumen carnis amiſerat, Charitate ſimul, & patientia, quaſi duobus in animæ facie oculis reſplendebat.]

CAP. IX.

Charitas in PETRO DAMIANI non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa; vndè mira eius humilitas.

1. CHaritas igitur in Beatiſſimo Viro [patiens erat, benigna erat] nec æmulabatur, quoniam alterius bonum diligebat, vt ſuum,

ſuum, nec agebat perperàm, ideſt peruersè: quia quò ſe in ſolum Dei, ac proximi amorē dilatabat, quod à rectitudine diſcrepat, ignorabat. Sed [nec inflatur] nàm non intumeſcebat de temporali felicitate, vel carnis generoſitate, vel ſcientia, ſeù qualibet alia re: quia cum præmium æternæ retributionis anxiè deſideraret, bonis exterioribus, aut tranſitorijs non ſe exaltabat; immò quantò maior erat, ſe humiliabat, & deprimebat in omnibus.

2. Ex hoc ſibi Vir Dei peculiare peccatoris nomen aſſumpſerat, quaſi vt alter Paulus, blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus fuiſſet, & in ſe primo, peiore videlicet, oſtendiſſet Chriſtus Ieſus omnem patientiam; & multa cordis humilitate, & contritione peccata ſua, & ignorantias ſuas confitebatur; docens, quod quiſquis vult ædificium condere, quod facilè ruinæ non ſit obnoxium, neceſſe eſt eum, non lateres, & bitumen habere, quæ repentè diſſiliant, ſed lapides potius, ac ſaxa, quæ parietes erigant; & calcis, ac ſabuli nimirum humilitatis cæmentum, quod ipſos parietes inuiolata lapidum compage coniungat. Epiſtol. lib. 8. epiſt. 11. to. 1.

3. [*Sed heu me miſerum* (ſcribit Damiano fratri) *atque inexhauſto lacrymarum fonte lugendum! qui omnia mala commiſi, & per tam annoſæ vitæ ſpatia nullum penè mandatum Diuinæ legis impleui. Quæ enim miſer homo mala non feci? Quibus me vitijs, quibus me criminibus non inuolui? Confiteor: Cecidit in lacum miſeriæ* Epiſtol: lib. 5. epiſt. 2. to. 2.

ſeriæ vita mea: perempta eſt in iniquitatibus meis anima mea. Superbia, libido, ira, impatientia, malitia, inuidia, gula, ebrietas, concupiſcentia, rapina, mendacium, periurium, ſtultiloquium, ſcurrilitas, ignorantia, negligentia, ſeù cæteræ peſtes ſupplantauerunt me, atque omnia vitia velut frementes beſtiæ deuorauerunt animam meam. Pollutum eſt cor meum, & labia mea. Contaminatus ſum in viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu. Et omnimodis, cogitatione, locutione, ſiue actione perditus ſum. Et hæc quidem omnia mala commiſi. Sed heu! Proh dolor! dignos pœnitentiæ fructus numquam attuli.]

4. Et ideò, dùm tàm importabili culparum ſarcina ſe grauatum credebat, cuncta ſe mundi aduerſa meritò pati, ac æterni Iudicis iuſtitias iudicantis ſibi aſpectum fore timendum, necnon Purgatorij pœnis excruciandum, ſuis ſceleribus exigentibus, mirum non eſt, ſi pro certo habebat. Vndè Hugoni Cluniacenſium Abbati ſcribens. [*Non excidit*, inquit, *ſanctæ prudentiæ tuæ, venerabilis Pater, quia cum iam me ſenectus incurua deprimeret, & effœto viribus corpore nutabunda gradientis veſtigia ſub incertis greſſibus vacillarent; ego ad tuæ iuſſionis imperium animam meam, vt ita loquar, in manibus tuis poſui, æſtiuis adoperta niuibus Alpium prærupta conſcendi, & pro vtilitate venerabilis Monaſterij tui propinqua ſatis Oceano Galliarum intima penetraui.* (Epiſtol. lib. 6. epiſt. 2. tom. 1.)

Pro

Pro cuius impenſione laboris, hoc potiſſimùm petij, quatenùs incomparabilis ille tuus, ſanctuſque Conuentus, tecum ſimul per litteralium adſtipulationum mihi rata promitteret, quod per omnes ſuccedentium viciſſitudines temporum anniuerſarium mei obitus rediuiua ſemper memoria coleret, meque tremendo Iudici pijs precum exequijs commendaret. Cui tunc ſponſioni & hoc additum eſt, vt vnum ſine intermiſſione pro me pauperem, & alimentis ſimul, & indumentis iugiter ſuſtentaret. Hic mei laboris eſt fructus, hæc merces operis, hæc redhibitio talionis. Vndè ſanctæ Charitatis tuæ, venerabilis Pater, imploro clementiam, vt illud veſtræ ſponſionis indiculum, ſicut in ſancto Cluniacenſi Monaſterio ſcriptum eſt, ita nihilominùs & in reliquis, quæ diſciplinæ veſtræ ſubijciuntur imperio, conſcribatur. Adhuc pietati tuæ familiariter prodo, veſtigia tua ſancta fuſis lacrymis prouolutus amplector, vt quod mihi per ſeriem memorialis articuli dignatus eſt polliceri, iubeas etiam per reliqua Monaſteria, quæ tuis ſunt legibus ſubiecta, tranſcribi. Quod ſi petitionis huius effectum ruſticus ſermo nō impetrat, Spiritus Sanctus, qui tui pectoris ſacrarium poſſidet, precibus te meis annuere clementer inſpiret. Vt ſicut ego pro vobis non dubitaui corpus meum crudelibus offerre periculis; ita per vos ſuperna clementia dignetur animam meam ab infernalibus liberare tormentis, & per veſtræ ſcriptionis ar-

Digitized by Google

ticulum conſcribi merear in ſorte iuſtorum.]

5. Poſt obitum verò Hugonis ad ipſos ſcribens Monachos Cluniacenſes, eamdem reiterat petitionem; immò durus exactor, ſolutionem ſponſionis, quaſi ſub anathematis comminatione repetens, inquit: [*Rogo per Ieſum, qui ſub Pontio Pilato teſtimonium reddidit: per terribilem iudicium eius, quo viuos, & mortuos iudicabit: per Angelos, & Archangelos: per Petrum, & omnes Apoſtolos, ac Martyres deprecor: per ſanctæ Homouſion Trinitatis nomen obteſtor; vt & vos, & poſteri veſtri mei memoriam in veſtris ſanctis orationibus habeatis: & quod à vobis mihi per intentationem anathematis ſcriptum eſt, veraciter impleatis; quod vt faciatis, huius quidem vobis oſtentationis adiurium pono: ſi verò non feceritis; cum per auctoritatem Apoſtolicæ Sedis competenter id poſſem, tamen ſuper Angelicæ militiæ chorum tàm terribilis ſententiæ iaculum non intento. Sit tantùm, qui mihi in hac petitione mea fauere contempſerit: ſit, inquam, reus mendacij; ſit debitor violatæ ſponſionis in vltimo iudicio veritatis. Titillat, vt addam, deleatur de libro: ſed dùm reuerentiam veſtram præ oculis habeo, proferre, quod mens ſuggerit, non præſumo.*]

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 4. to. 1.

7. Similiter ad Pompoſianos ſcripſit: [*Vndè vos, dilectiſſimi, lacrymabiliter obſecro, & ad ſancta veſtigia veſtra me proſtratus aduoluo, vt pro me ſeruo veſtro ſemper orare dignemini; &* *præ-*

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 6. to. 1.

Digitized by Google

præcipuè cum mortuus fuero, quidquid de veſtræ Congregationis Monacho facitis, hoc etiam de me miſero facere ſtudeatis.] Adeò enim ſe miſerum, & miſerabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum agnoſcebat, vt omnium egere ſe crederet, vt eriperetur de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, vt ſtatueret ſuper petram pedes ſuos, & dirigeret greſſus ſuos.

8. Quia enim reſpexit humilitatem Serui Dei Deſiderius Abbas Caſſinenſis, vt eum ad ſuum attraheret Cœnobium in funiculis Charitatis, nil aliud egit, niſi minitari ſubtrahere auxilium ſuum ab illo, nec amplius velle manum ſuam ipſi inopi aperire, nec palmam ſuam extendere ad pauperem. Et reuerà, vt hæc audiuit mendicus, & paruulus in oculis ſuis, qui ſibi videbatur plenus vlceribus (vt diximus) ſtatim ſurrexit, & venit ad eum; nam erat in oculis ſuis ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Vndè habere non credebat botros ad comedendum, & præcoquas ficus deſiderabat anima eius.

9. Et quoniam ſe in catenis peccatorum eſſe, & vinciri funibus paupertatis credebat; ideò die, ac nocte clamabat ad Dominum, dicens: [*Porrige mihi manum tuam Domine Deus meus, & eripe me de profundiſſimo lacu iniquitatum mearum. Eripe lapſum, ſolue compeditum, illumina cæcum, ſana me mille malignorum ſpirituum vulneribus ſauciatum. Heu me miſerum, heu me perditum,*

Oper. S. Petri Dam. tom. 4. or. 1. ad Deum Patrem.

Digitized by Google

ditum, heu me indeficienti lacrymarum fonte lugendum! qui dùm ſpurciſſimæ carnis meæ legibus vixi, numquàm te de me gaudere permiſi, ſed ſemper te reprobæ vitæ meæ flagitijs ad amaritudinem prouocaui. Sed ſcio, Domine, quia in voluntate tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Si enim decreueris ſaluare nos, continuò liberabimur. Produc Domine de ſaxea cordis mei duritia lacrymarum abundantiam, qui de rupe deſerti largiſſimam profluentis aquæ copiam prodire iuſſiſti. Domine Ieſu Chriſte, ſi tu es lux vera, & ego colo te, cur pateris in tenebris eſſe me? Veh mihi! lumen adoro, & tenebras perfero; veritati deſeruio, & per inanium cogitationum figmenta deludor. Domine, qui cauernas tartari Diuinitatis tuæ radijs illuſtraſti; qui denſas Ægypti tenebras Moyſis famuli tui precibus effugaſti, reſpice chaos illud, & tenebroſum mei cordis infernum viſitationis tuæ luce perfunde; vt animam, quam tu dignatus es, lux æterna, redimere, tenebrarum auctor nequeat in obſcuritatis ſuæ caligine poſſidere.] Hæc PETRVS in humilitate ſua, vt Dominus ei miſereretur, & benediceret illi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X.

Charitas, quæ in PETRO DAMIANI non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, ſuperbiam agnoſcit, & coercet.

1. HVmilis verò humilitatis ſectator humilia reſpiciens, alta à longè cognoſcebat; vndè cum Gebizoni Monacho ſuo Eremitarum ſuorum curam tradidiſſet, & ille, vt alteri Monaſterio recenter à ſuo fratre conſtructo præeſſet, (ad hoc videlicèt vt Monachorū Inſtitutor appellaretur,) infirmæ valetudinis prætextu commiſſum ſibi regimen primum depoſuiſſet, & ſecundum deindè ſuſcepiſſet; verus humilis fictam Gebizonis humilitatem detegens, hæc ad eum ſcripſit.

2. [*Prodigium, atque portentum, frater, videtur eſſe quod agis: immeabile eſt iter, quod nouus nunc viator ingrederis. A me planè iuſſus, immò rogatus, & à fratribus indifferenter electus, Eremi regimen ſuſcepiſti: ac poſtmodùm tamquàm æger, & languidus, tantiſque laboribus imparem aſſerens, ſuperimpoſiti oneris ſarcinam abieciſti; nunc autèm alibi rector effectus, euidenter oſtendis, quia ſub aliena cenſura tenere regimen dedignaris; ne videlicèt ſub alieno nomine ſobolem procrees, & dùm propriæ familiæ nomen extendere niteris, defuncto fratri ſemen ſuſcitare* Epiſtol. lib. 6. epiſt. 9. to. 1.

con-

Geneſ. 38. *contemnis: Onam ſcilicèt Iudæ filium imitatus, qui iuxta ſacræ hiſtoriæ ſeriem introiens ad vxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Sed nota, quod ſequitur: Idcircò, inquit, percuſſit eum Dominus, eo quod rem deteſtabilem faceret. Horres enim, atque faſtidis, vt qui ſunt Gebizonis, Petri dicantur eſſe diſcipuli: & qui ſingularem gloriam quæris, famam tui nominis cum alio participare, cæteros deſpiciens, erubeſcis.* Can. Requiſiti 33. par. 2. *Enimuerò ſacris Canonibus cautum eſt, vt quiſquis frigidus cum vxore coire non præualet, hac ſpreta repudio, ad ſecundas nuptias non tranſmigret. Figmentum quippè fuit cum prima non potuiſſe concumbere, ſi valet cum altera conuenire. Tu etiam, ſi illic ſufficis congregationem regere, hìc etiam potuiſti: ſed hanc cum gerere potuiſſes, adulterino perfugio ad alienæ te congregationis regimen tranſtuliſti. Vndè non debes tenere, quam habes, qui legitima vxore contempta, meretrici copulatus adhæres.* Text. in cap. Quanto de tranſl. Epiſc. *Præſertim cum Canonica rursùs decernat auctoritas, vt qui de vna Eccleſia tranſmigrat ad alteram, & illa careat, quam contempſit: & eam nullatenus teneat, quam nouiter acquiſiuit. Ambis planè priuatum propriæ gloriæ nomen acquirere, dedignaris alieno nomini ſobolem procreare. Sic & ille, cui iure propinquitatis accipere Ruth competebat vxorem: Cedo, inquit, ad Booz iure propinquitatis; ne enqueim poſteritatem familiæ meæ delere debeo.*

Digitized by Google

debeo. Ille quippè vanus, & gloriæ cupidus proprio nomini poſteritatem familiæ conabatur extendere, Booz autem, vir bonus, & iuſtus famam proprij nominis paruipendens, Diuinæ tantummodò legis contentus eſt mandata ſeruare. Sed ecce illius, qui ſuam poſt ſe memoriam anhelabat in poſteritate relinquere, ne nomen quidem agnoſcitur: hic autem non ſolum in Patrum, ſed in Patriarcharum catalogo cum gloria numeratur. Ille poſteritatis famam, cui prouidit, miſit; iſte paternum nomen, quod pro ſacræ legis obſeruatione ſpreuit, accepit. Ille neſcitur parens eſſe ſaltèm quorumlibet hominum; iſte præpotentium frater factus eſt Regum. Ille dum poſteritatis memoriam concupiſcit, de memoria corruit; iſte, qui propagando ſuo nomine generi non conſuluit, per Dauidicæ ſtirpis traducem totius mundi genuit Saluatorem. Deſine frater, deſine ceruicem cordis arroganter attollere, teque tàm euidenter in ſuperbiæ cornibus exaltare. In cuius enim corde radicem ſuperbia fixerit, licèt quibuſdam ſuperductæ humilitatis aliquando bracteolis coloretur, nequaquam tamèn ne vel tenuiter effluat, ac latenter erumpat, vndique cohibetur. Memento, frater, quia dùm in Capitulo nuper fratribus conſideres, in hanc vocem velùt conſulens erupiſti: Eſt ne, Pater, retributio, ſi ſolatiamur Monaſterio conſtruendo? Et hoc non vt ſcirpi nodum, quo liberat, abſolueres, ſed vt viam verbis ſequentibus

bus aperires. Quis enim hoc neſciat, niſi qui pietatis cultum prorſus ignorat? Sed vt efflueret, quod ſcatebat, protinùs intuliſti: Frater enim meus, Sancti Laurentij Monaſterium à ſe conſtructum nuper, vt dedicaretur, effecit: & duodecim ibi pallia munificus obtulit. Quid enim ad nos in tam terribili loco, vel quid tuus obtulerit frater, audire, vel ipſum oblationis calculum ſupputare; niſi tantùm, vt tu generoſus, atque ſublimis in fratre, & frater tuus videretur opulentus, ac liberalis in munere? Eiuſdem quoque monetæ fuit & illud, quod paulò poſt fabricans addidiſti: Frater meus talis Vaſſi vnicam filiam ſibimet in matrimonium copulauit; atque illicò ſubdidiſti: Vnicam, inquam, aliam quippè Vaſſus ille ſobolem non habebat; vt niſi pudor ora ſuffunderet, deprehendique timeres conſequenter adijcere, ſi ſpiritum, quo mens turgebat, efflares: neque enim ille dotali ſibi eam iure coniungeret, ſi in ſucceſſione parentum cohæredes haberet. Hoc porrò verbis non expreſſiſti, ſed accuratè nobis, vt ſubintelligeremus, perſpicuum reliquiſti. Quidquid autem homo per oris organum promat, ſcrutator renum Deus, mentis dumtaxàt arcana conſiderat; & auribus occulti Iudicis non tam ſtrepitus vocis, quàm
Pſalm. 7. clamor inſonat cordis. Hinc eſt, quòd per Prophetam dicitur: Deſideria cordis eorum exaudiuit auris tua. Hinc eſt, quòd de ſuperbo Nabuchdonoſor Rege Daniel ait: Reſpondenſque Rex ait: Pſalm. 9.
Non-

Digitized by Google

Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domo Regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cui, rogo, ventoſus, & arrogans iſte reſpondit per verba prolatæ ſuperbiæ, niſi tumidæ cogitationi, quæ ante iam vociferabatur in mentem? Nàm & perditionis ille ſpiritus, qui dixiſſe legitur: In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero Altiſſimo; nequaquàm hæc labijs protulit, nimirum qui carne non tegitur, ſed in cogitationem ſacrilegam tyrannus erupit. Si ergò ſublimis ille Angelus idcircò irrecuperabilitèr perijt, non quia contra vniuerſitatis Auctorem protulit quælibet praua, vel fecit; ſed tantùm quia per nequitiam cogitationis intumuit: quid nobis prodeſt in veſtimento, vel verbo nos velut humiles deijci, intùs verò de proauorum titulis, vel faſtu ſapientiæ ſingularis ſuper cæteros arrogantèr extolli? Nitimur humiliter loqui, humiles videri? Euellatur ex corde radix infixa ſuperbiæ, & mox etiam, ſi noſtra deſit induſtria, videbitur humilitas in ſermone. Sed vbi liquor aceſcit in vegete, ſuaue vinum in poculo nullus valet haurire. Quis enim de furfure conficiat pollinem? Quis de vena ferri, argenti fabricet claritatem? Immò vt ad Euangelicum recurramus exemplum: Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?

Dan. 4. Iſai. 14.

Non enim, vt illic ſequitur, poteſt arbor mala fructus bonos facere. Arbor ſanè voluntas intelligenda eſt, non perſona; nam eadem perſona hominis, & bona operari valet, & mala: ſicut ex eadem terra, & ficus profertur, & ſpina. Sed ſicut mala arbor numquàm bona germinat poma: ita de ſuperba voluntate, quæ procùl dubio mala eſt, numquam mera, vel incontaminata procedit humilitas. Et ſicùt radice læſa, totius arboris rami conſequenter areſcunt, ſic ex mente ſuperba, ſi quid boni operis ad tempus vireſcere cernitur, velùt humore conuallis exhauſto, in prærupti ſaxi ariditate ſiccatur. Reuerſi ſunt autèm, vt Lucas Euangeliſta teſtatur, ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo. Quid ad hæc ille, qui cordis Luc. 10. *attendit arcana, reſpondit? Videbam, inquit, Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem. Ac ſi dicat: Videte, ne dùm nequitiæ ſpiritus veſtris ſubduntur imperijs, mentes veſtræ iugo premantur elationis. Quia ſi Satanas per ſuperbiam Cœlum perdidit, quod tenebat: homo ſuperbiens nequaquàm valet inuenire, quod ſperat.*

3. *Certè cum Ioab contra Raboath Regem* 2. Reg. 12. *Ammon robuſtè confligeret, vrbemque Regiam obſidione vallaret, nuncios ad Dauid ordinat, eumque, vt veniens victoriam in ſuum transferat nomen, inuitat: Dimicaui, inquit, aduersùs Raboath, & capienda eſt vrbs aquarum; nunc*

igitùr

igitùr congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo adſcribatur victoria. Militaris homo ad Regalis gloriæ famam gaudet ſui laboris transferre victoriam; & ſeruus Dei in regendis fratribus præceptori ſuo dedignatur impendere clientelam? Herodes, & Philippus vrbes proprio labore conſtructas ad honorem alter Auguſti, alter Tiberij Cæſareas appellarunt: & nos, qui vitæ huius pompam abiecimus, immò qui mundo nos mortuos fore iurauimus, vani nominis gloriolas concupiſcimus, & de rumuſculis friuolæ laudis inflamur. Caue, frater, ne quę dicimus, mens tua grauiter ferat, nec ſub correctionis malleo pulueſacta diſſiliat, & hoc eſſe, quod reprehenditur, per hoc etiam clariùs innoteſcat. Humanam quippè mentem ſuperbia vitream reddit, vt correptionis ictum per impatientiam ferre non poſſit. Vitrum nempe dicitur, quia viſu penetratur, atque ideò ſi robur haberet ſoliditatis, cæteris poterat eminere metallis: ſed quia citiùs rumpitur, vili pretio taxatur. Ità qui ad correptionis ictus per impatientiam frangitur, etiam ſi cæteris virtutibus polleat, ſoliditatem virium ſe non habere demonſtrat. Hinc eſt, quòd de ſuperba Iſraelitica plebe, & impatientiæ morbo laborante, per Prophetam Dominus dicit: Verſa eſt mihi Domus Iſrael in ſcoriam. Scoria planè metalli cuiuslibet, ſi malleo tundente feritur, protinus in puluerem

Ioſeph. lib. 1. cap. 10. de Bell. Iud. & lib. 18. c. 3. antiquit.

Ezech. 22.

contrita redigitur. Mens igitùr tua, ne ſe coràm Domino in ſcoriam vertat, amicæ redargutionis ictus æquanimitèr ferat. Vt autem epiſtolam ſententiæ promulgatione concludam, aut ad id, quod ſpreuiſti, te regimen redige: aut propria ſalute contentus, ſub Priore Monachus viue; quatenus aut caſti Prioratus labor legitima te ſpiritualium filiorum educatione fœcundet, aut veræ humilitatis abiectio coràm obtutibus humiliati pro te Redemptoris exaltet.]

4. Sic PETRVS contra humiliantem ſe nequiter, cuius interiora plena erant dolo; qui etiam inſigne illud Opuſculum de ferenda æquanimiter correptione ad Ariprandum miſit; quo eum docuit, ne humilitatis ſtudio correptiones aliquando grauiter ferret, nec qualibet occaſione redargui à ſuis quoque iunioribus erubeſceret. Quia ad hoc homo de ſæculo magiſterij regularis diſciplinæ ſubmittitur; vt rubiginem, quam de mundo blandiente contraxerat, aſperæ correctionis lima detergat.

Opuſc. 46. cap. 10. 3.

5. Hinc cum timore, & tremore operari iuſtitiam humilis magiſter docebat; & de falſæ iuſtitiæ ſingularitate lenocinanter inflari, & bona, quæ aguntur, prædicare, & aliena facta iudicare, vt perſpicuæ ſuperbiæ indicia, prohibebat: [*Nàm, dùm de fucato*, dicebat, *vacuæ iuſtitiæ veſtræ nitore præſumitis, & cæteros de ſuis exceſſibus iudicabiles ſubmordetis; & iuſtitia veſtra per elatio-*

Serm. 51. de S. Matt. to. 2.

tionem in peccatum vertitur, & illorum perpetrata nequitia ad obtinendam veniam per humilitatis gratiam reparatur.] Et alibi Theuzoni Eremitæ: [*Qui aliorum vitia*, ſcripſit, *ex more libenter carpit, peccati maculam non euadet; quia licet zelo iuſtitiæ ferueat, aliquando neceſſe eſt, vt in laqueos detractionis impingat. Plane niſi multùm noſtra nobis vita ſplendeſceret, non tantoperè noſtris oculis aliena conuerſatio diſpliceret. Si diſtricti circa nos eſſemus, vt dignum eſt, iudices, non tàm rigidos experiretur aliena culpa cenſores: in alios ſcilicèt diſciplinæ noſtræ vigor extenditur, dùm circa exceſſus proprios ſola pietatis, & manſuetudinis iura ſeruantur. Sed quorſum iſta? Quia diceris omnes fratres tuos tàm auſtera, tàm ſuperciliofa dijudicare ſententia, vt per totius anni circulum, nonniſi ſemel, & tunc non à tui Monaſterij Sacerdotibus, ſed aliundè quæſitis, Diuina percipias Sacramenta. Dico quod dicis: Quis hunc Presbyterum ordinauit? Reſpondetur, ille Epiſcopus. Et ipſum ais, ad Epiſcopatus officium qualiter, aut quis promouit? Papa ſcilicèt, qualiter autem, ipſi viderint: moxque ſubiungis: Eſtò tandèm quòd Papa gratìs Epiſcopum conſecrauit; numquid & Papa ipſe ad Apoſtolicæ Sedis apicem gratìs aſcendit? Hac igitur inter mirabilium quæſtionum pernicioſa caligine, quantum in te eſt, ſæculum omne confundis; & velùt mare de temetipſo tempeſtatem generans, nec ipſe quieſcis, nec*

Opuſc. 51. cap. 10. tom. 3.

alios

alios viuere in tranquillitate permittis. His enim, & huiuſmodi ineptis hæſitationibus hæreſes ſæpè, & ſchiſmata peſtilenter emergunt; quæ incautas hominum animas à Catholica vnitate præcidunt. Vt enim verbis te Apoſtolicis alloquar: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Suo enim Domino
Rom. 4. *ſtat, aut cadit; ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Non omnes, qui in prætorio ſunt, promouendi iudiciales calculos archiſterium ſortiuntur: neque omnes, qui ſunt intra Eccleſiam, claues Eccleſiæ ſuſceperunt. Cum ad aliena iudicanda quis arroganter extenditur, ad ea profectò conſideranda, quæ ſua ſunt, obtuſior inuenitur. Tunc enim ſocialis vitæ congruenter eſt ordo diſpoſitus, ſi vnuſquiſque proprij iuris limite ſit contentus: vbi autem alter alterius terminum ſupergreditur, omnis profectò rectè viuendi linea neceſſe eſt confundatur. Sufficiat ergò nobis conſiderare quæ noſtra ſunt, ne dùm aliena immoderatè perſequimur, à noſtri laboris fructu, & digna mercede vacuemur. Qui enim totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus omnium reus. Et Paulus: Modicum, inquit, fermentum totam maſſam corrumpit.*

Ibid. vt ſup. cap. 11. 6. *Vidi nempè Monachum Eremitam, vitam diſtrictè ſatis, & rigidè perferentem, qui nimirùm & vultu pallidus, & corpore vehementer afflictus, fixis in terram oculis, mundo mortuus videbatur; vinum quòque per vndecennium non guſtaue-*

Digitized by Google

ſtauerat. Sed ò terribile Dei iudicium, & profundam ſummæ diſtrictionis abyſſum! Tædet dicere: Hic aliquando in phreneſim decidens, atque in bellnini furoris rabiem immaniter efferatus, ex manibus in diuerſa nitentium, & vinculis, quibus nectabatur, ſe repentè proripuit; & vbi plurimus rotabatur vortex, in ſpumoſi fluminis voraginem merſus interijt. Sed quamquam quouis mortis articulo meritum ſuum, cuique perire non poſſit, ad hoc tamen iſta præmiſimus, vt in quibuslibet noſtris bonis operibus numquàm pertinaciter confidamus: ſed metuentes ſemper quid ſuperna de nobis ſententia ſtatuat. De his, qui nobiſcum ſunt, iudicare mens noſtra temerè non præſumat; & ſi enim videmus in præſenti quo gradimur, ignoramus tamen, quo curſus noſter fine claudatur. Patet via, quæ teritur, ſed occultum eſt quò peruenitur.]

7. Et reuerà nonnulli reperiuntur tàm ſuperbè, & impudenter aliena facta dijudicantes, vt ipſum Iob, quem Veritas dixit abſque comparatione iuſtum, aſſerere etiam auderent abſque comparatione peccatorem. Sed hæc eſſe propria arrogantium ſolent, vt proximos, vel etiam afflictos magis diſtrictè corripere appetant, quàm blandè refouere. Plus enim ſtudent, vt mala obiurgando increpent, quàm bona laudando confirment. Superiores quippè videri deſiderant, & magis gaudent, cum eorum animum ira eleuat, quàm cum Chari- Ex D. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 9.

tas

tas exæquat. Semper inuenire optant, quæ increpando rigidè feriant; vndè ſcriptum eſt: [In ore ſtulti virga ſuperbiæ:] quia videlicet percutere rigidè ſcit, ſed compati humiliter neſcit: ipſum enim non iuſtitia ſtimulat, ſed ſuperbia inflat. Sumunt quippè arrogantes viri à ſanctis aſpera verba correptionis, & ſumere ab eis veraciter neſciunt preces humilitatis; quia magis terribiles eſſe volunt, quàm mites, & idcircò diſcunt vndè ſe erigant, & diſcere negligunt, vt animum ſubmittant. Cumque admonere delinquentes placidè neſciunt, nimio rigoris vſu per inuectionis iracundiam, etiam contra rectè agentes effrænantur: quia enim aliena eſt à veritate ſuperbia, mox & ad falſa prorumpit; nam qui idcircò loquitur, vt ſemetipſum oſtendendo ſuperbiat; quid mirum, ſi in altero fingit, quod reprehendat? Quomodo enim veritati cohæreat in verbis increpationis, quem intra ſemetipſum longè ab eadem veritate dirimit tumor mentis?

Prouerb. 14.

Ibid. vt ſup. cap. 10.

8. Planè (vt admirabilis PETRVS animaduertit) niſi multum noſtra nobis vita ſplendeſceret, non tantoperè noſtris oculis aliena conuerſatio diſpliceret. Si diſtricti circa nos eſſemus, vt dignum eſt, iudices, non tam rigidos experiretur aliena culpa cenſores: nam qui coram facie ſua ambulat, & veraciter ſe ante ſe ponit, explorando videlicet qualis ſit in ſuis moribus, & actibus; in ipſis ſe tamquàm alium attendit. Nam ſunt multa peccata, quæ committimus, ſed idcircò nobis grauia

Ex D. Gregor. lib. 1. in Ezechiel. Homil. 4. & 8.

uia non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clauſis nobis oculis in noſtra deceptione blandimur. Vndè fit plerumque, vt & noſtra grauia leuiter, & proximorum mala leuia grauiter iudicemus: ſcriptum quippè eſt: [Erunt homines ſe-ipſos amantes.] Et ſcimus, quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus. Ex quo fit, vt hoc, quod nos agimus, & graue eſſe non exiſtimamus, plerumque agatur à proximo, & nimis nobis deteſtabile eſſe videatur. Sed quare hoc, quod in nobis leue eſſe videbatur, graue eſſe videtur in proximo; niſi quia nec nos ſicut proximum, nec proximum conſpicimus ſicut nos? Si enim nos ſicut proximum aſpiceremus, noſtra reprehenſibilia diſtrictè videremus; & rursùm ſi proximum aſpiceremus vt nos, numquam nobis eius actio appareret intolerabilis, qui ſæpè fortaſſe talia egimus, & nil nos proximo intolerabile feciſſe putabamus. Hoc malè diuiſum mentis noſtræ iudicium corrigere per Legis præceptum Moyſes ſtuduit, cum dixit, vt iuſtus deberet eſſe modius, æquuſque ſextarius. Hinc Salomon ait: [Pondus, & pondus, menſura, & menſura, vtrumq; abominabile eſt apud Deum.] Scimus, quia in negotiatorum duplici pondere aliud maius, aliud minus eſt. Nam aliud pondus habent, ad quod penſant ſibi, & aliud pondus, ad quod penſant proximo. Ad dandum pondera leuiora, ad accipiendum verò grauiora præparant. Omnis itaque homo, qui aliter penſat ea, quæ ſunt

2. Timot. 3.

Leuitic. 19.

Prouerb. 20.

Digitized by Google

proximi, & aliter ea, quæ ſua ſunt, pondus, & pondus habet; vtrumque ergo abominabile eſt apud Deum: quia ſi ſic proximum vt ſe diligeret, hunc in bonis ſicut ſe amaret; & ſi ſic ſe ſicut proximum aſpiceret, ſe in malis ſicut proximos iudicaret.

9. De iactantibus verò bona opera ſua: [*Quid miſeri dicturi ſumus* (inquit in Sermone de Sancto Barbatiano) *quid facturi in diſtricto examine tremendi iudicij ſumus, qui & virtutem non habemus, & tamen de meritorum excellentia antè humanos oculos ſuperbimus? Qui ſanctitatem habere antè interni arbitrij oculos nullo deſiderio quærimus, & ſanctitatis nomen apud humana iudicia nobis fallaciter vſurpare gaudemus? Quantos enim hodiè cernimus, qui ſi de virtutibus admirabilis huius viri vel vltimam particulam attingere potuiſſent, ad Cœlum ſe in ſuperbiæ cornibus exaltarent, qui ſæpè fortè aliquid de virtutibus faciunt, ſed per hoc non Cœlum, ſed terram petunt. Affectantes nimirùm laudes hominum, in ſemetipſis diſſipant fructus laborum; cumque ſe oſtendere alienis oculis appetunt, antè Diuinæ Maieſtatis intuitum damnant omne, quod agunt.*]

Serm. 65. de S. Barbat. to. 2.

10. Ad commendandum demum humilitatis ſtudium, & ad conſolationem infirmorum, prætereu[n]da non ſunt duo verè mirabilia teſtimonia eius, quæ nimirùm me conſolata ſunt in humilita-

te

Digitized by Google

te mea, quia eloq uium eius viuificauit me: [*Conſiderare libet*, inquit, *intrà munitum gratiæ ſinum, quanto Deus miſericordiæ fauore nos continet. Ecce qui ſe de virtutibus extollit, per vitium aliquando ad humilitatem redit. Qui gratiæ acceptæ virtutis extollitur, non gladio, ſed, vt ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid enim virtus, niſi medicamentum? Et quid vitium, niſi vulnus? Quia ergò nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum; vt qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in vſus vitiorum, ille vitiorum mala aſſumit in arte virtutum; vt qui humilitatem curantis fugimus, ſalutem concedenti inſeparabiliter hæreamus.*] Serm. 18. de S.Vital. to. 2.

11. Aliud verò conſolatorium verbum, quod dicit, eſt huiuſmodi: [*Non conqueramur, fratres mei, ſi ad votum mox cuncta non vincimus, ſi in ſpiritualis conflictatione certaminis, ærumnas, labores, anguſtias, & grauiſſimum ſæpè fluctuantis animæ tædium ſuſtinemus. In hoc enim Diuina nobis diſpenſatione proſpicitur, ne de repentina victoria in arrogantiam noſter animus extollatur, & de altitudine ſua profundiùs corruat, ſi non Auctori Deo, ſed ſibi victoriæ ſuæ vires aſcribat. Hinc eſt etiam, quod ſæpè mens, quæ multa in ſe, & fortia ſuperat, vnum quid fortaſsè minimum, quamuis ſolerter inuigilet, non expugnat. Quod nimirùm Diuina diſpenſatione*] De ſpiritual. certam. ſerm. 74. tom. 2.

tione agitur, ne humana conditio vndique virtutibus ſplendens in elatione ſubleuetur: vt in eo, quod ſe ſuperaſſe fortia quæque conſiderat, dùm paruum non poteſt diu conando ſubigere, non ſibi, ſed illi victoriam tribuat, cuius munere potuit, quæ ſubiecta ſunt, ſuperare. Vndè illic dicitur: Iudic. 3. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem. Iſrael namque reſeruatis gentibus eruditur, dùm mens noſtra in paucis ſibi reſiſtentibus diſcit, quia nequaquam ex ſe maiora ſubiecit.*]

C A P. XI.

Charitas, quæ in PETRO DAMIANI non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, bonum nomen cuſtodit.

Tom. 4. orat. 1. ad Deum Pat.

1. NOtandum verò, quod verus humilis, & mitis corde, qui cum loquebatur ad Dominum, in oculis ſuis ſibi videbatur ſtercus, & vermis, puluis, & cinis, cuius omnis gloria ab intùs in teſtimonio conſcientiæ ſuæ; qui humiliauit ſe Deo, & expectauit manus eius; numquàm tamen ſeductus in ſtultitiam ſe humiliauit, nec fuit humilis in ſapientia ſua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeduceretur. Sed ſciuit & humiliari, & abundare; & prouidens bona non tantùm coràm Deo, ſed etiàm coràm omnibus hominibus, plus duxit

Digitized by Google

duxit nomen bonum, quàm diuitias multas: gloriam ſuam alteri non dedit; ſed ad exemplum Domini ſui iniuſtè percuſſus, manſuetè reſpondit; cum ea, quæ in ipſum fiebant, non eſſent iudicium, ſed ſeditio, & tyrannis. In Caten. D. Thom. in c. 18 Ioann.

2. [*Studeat fraternitas tua* (ſcribit Alberto Epiſcopo, qui olim ex ſuis diſcipulis fuiſſe creditur,) *& religioſam ducere vitam, & honeſtam habere famam. Vitam pro te, famam pro te, & me: immò non tam pro nobis, quam pro his etiam, qui commiſſi ſunt nobis. Nàm ſi nomen tuum, quod abſit, fœda laboret infamia, & in meum protinus redundat opprobrium, & ijs, quos ad virtutes informare ſtuduimus, velùt cancer perniciosè pullulat in exemplum.*] Epiſtol. lib. 4. epiſt. 10. 2.

3. Et quià calumnia conturbat ſapientem, & perdit robur cordis illius; ideò ſe oppoſuit calumnijs hominum, vt cuſtodiret mandata Dei ſui: ſeruans in corde humilitatem, & ore teſtimonium perhibens veritati; cuius rei duo tantùm ſat erit referre exempla.

4. Gotthefredi Hetruriç Ducis Capellani, iniqua calumnia calumniati ſunt eum occaſione, quæ ab eodem PETRO hoc pacto ipſiſmet ſcribente narratur. [*Miſſarum mihi myſteria celebranti*, inquit, *vxores Principum, Ducis ſcilicet, & Marchionis, Byzanteos obtulerunt. Quos vtique Monachus noſter Paulus expletis myſterijs apud Altare, nobiſcum foras prodiens, dereliquit.* Epiſtol. lib. 5. epiſt. 1 p. 101.

Vnus

Vnus autèm ex veſtris, vobis tamen non modò rem ignorantibus, ſed etiàm abſentibus, cleptica fraude ſubripuit, & vobis nihil omninò peccantibus, quia tamen veſter erat ſocius, quodammodo næuum reatus induxit. Qui mox in crimine deprehenſus, & minaci terrore Beatricis excellentiſſimæ Ducis, & animoſæ viraginis violenter oppreſſus, aurum fratri noſtro latenter attulit, atque vt pro ſe ſupplicaretur, orauit. Quam ſanè ſummam mox, vt reſciuimus, eidem Clerico reddi præcepimus: atque, vt de reſtituenda ſibi Dominæ ſuæ gratia non diffideret, exhortati ſumus. Quam ille pecuniam dùm vehementer inſiſteret, & nullis omninò precibus nobis ingerere potuiſſet, altero tandèm die fratri noſtro clàm dedit, ſicque ſe mordacis conſcientiæ pondere læuigauit.

5. Cum igitur res ſeſe ita habuiſſet, & neſciente PETRO, diſcipulus eius vltrò coactus pecuniam tandèm à fure Clerico eam importunè ingerente recepiſſet; Clericus ipſe ambulans duabus vijs, quia fictè cupiebat recipi, quod auidè ſubſtulerat, & tenaciſſimè poſſidebat; vnà cum ſocijs pecuniæ cupidum diffamauit Hominem Dei, qui ideò calumniantibus ſe ſuperbis, hæc reſcribere compulſus fuit.

Ibid. vt ſup.

1. Corint, 4.

6. *[Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed cur auaritiæ accuſatis, quem pecuniæ quæſtum tantoperè contempſiſſe cogno-*

Digitized by Google

cognoſcitis? Cur aduersùm me linguas acuitis, & non repugnanti mordentis obloquij vultus infligere feſtinatis? Nàm & Salomon dicit: Iaculum, & gladius, & ſagitta acuta homo, qui loquitur contrà proximum ſuum teſtimonium falſum. Et Pſalmiſta: Filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, lingua eorum machæra acuta. Ego ne cupiditatis arguendus ſum, qui recipere ſurreptæ contempſi, crimen indulſi; ac pro malis bona reſtituens, herilem reo gratiam reformaui? Ego, inquàm, auaritiæ notandus ſum, qui iacturam æquanimiter pertuli, an illum, qui ſacrum de ſacro ſurripiens, Sacerdotij, quo fungebantur, officium profanauit? Aduersùs quem videlicèt, fratres, hoc ego ſermone non inuehor; ſed veſtra prouocatus infamia, me tantùm purificare compellor. Piſcatorum ſum planè diſcipulus, ideoque non mare Demoſthenis, nec torrentem commoueo Ciceronis. Et quia delinquenti fratri compaſſionem debeo, ad referendam digni talionis iniuriam non anhelo. Hoc tantum mihi dicere liceat, quia ſi à contubernalibus, & familiàriter coniunctis, ſicut oratores, ac rhetores perhibent, trahenda ſunt argumenta, non meritò nobis auaritiæ crimen impingitur, quorum frater pecuniam quaſi paruipendens, atque deſpiciens, in Eccleſia dereliquit. Sed ſi liceat dicere, vobis potius adſcribendum eſt, quorum ſocius, quod alienum erat, callida machinatione ſurripuit.]

Secun-

7. Secundùm exemplum ſimile huic habetur in epiſtola, quam ad Hildebrandum miſit, cuius nimirùm auris malignantes in PETRVM audierat; calumniantibus quibuſdam, & aſſerentibus eum in alieno ſolo Monaſterium conſtruxiſſe; dicit enim.

Epiſtol. lib. 2. epiſt. 9. 10. 8.

8. [*Vberes ago gratias, venerande frater, quia cum ad Regalis aulæ contenderes apicem, æſtuantem circà me vapore perſenſi de ſacrario tui pectoris Charitatem. Nec mirum, cum Deus ignis dicatur eſſe conſumens, ſi Sancti Spiritus habitaculum, quibuſdam ſcintillis erumpentibus, videatur ignitum. Nam vbicumque illius itineris mentio mei nominis incidit, memoria mea penes te in benedictione fuit. Quod factum & amicorum meorum mentes erexit, & detrahentium labia dignæ reſponſionis obicibus oppilauit. Verumtamen fertur Florentiæ mens tua, quæ contra vaniloquos, ac mendaces cauta conſueuit eſſe ſemper, & rigida, delinifica quorumdam obtrectatorum eſſe perſuaſione mollita. Comitis quippe Guidonis aſſeclę cum grege ſeruili calumniabantur me conſtruxiſſe Cœnobium ex bis vtique prædijs, quæ in clientelæ ſuæ ſtipendium ex berili dudùm liberalitate conceſſerant. Cur, quæſo, illius tunc ſententiæ recordatus non es, qua dicitur: Cibaria,* Eccleſ. 33. *& virga, & onus aſino; panis & diſciplina, & opus ſeruo? Vbi mox ſequitur: Laxa manus illi,* Ibid. V. 26. *& quærit libertatem. Cur & ille tibi verſiculus exci-*

excidit: Iugum, & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ? Cur etiam illud tua memoria non recoluit: Seruo maleuolo tortura, & compedes; mitte illum in operationem, ne vacet? Sed quid mirùm, ſi te licèt prudentem, & ſanctum virum potuit artifex ſeruitus, & verſuta decipere, cum & prophetico pleno ſpiritu Dauid, Siba ſeruus Saul callidè mentiens, compulit à iuſtitia declinare? Tu, inquit, & Siba diuidite poſſeſſiones. Ille quidem innocentem Miphiboſeth mentitus eſt contra Regiam agere maieſtatem; iſti me conditionem perhibent proſcripſiſſe ſeruilem. Sed quæſo, frater, numquid Tethgrimus Guidonis huius patruus, qui ſinè liberis obijt, de tot agris, ac villis perexigua ſaltèm, quæ videbantur eſſe contermina Monaſterio, legare non potuit? An adhuc obſequentis cunei iudicabitur indignus, cui cum ex hac ipſe vita deceſſerit, poſteritas ei nulla ſuccedit? Huic etiam, qui adiuuit; quia clientes omnia poſſident, aliquid Deo conferre de ſui iuris allodio non licebit? Cenſebis, vt ij, qui rotandis ad ignem verubus, vel abluendis ſunt lebetibus deputandi, ſic herilia bona poſſideant, vt eorum Domini recedentes è ſæculo, ſanctis Eccleſijs ſui iuris impendia non relinquant? Dignumne perhibes, vt mancipia noſtra gerant ora flammantia, vt pretioſi cultus induant ornamenta, nos æſtuantis auerni tolerare ſupplicia? Proh pudor, vt illi fluant, & nos inopia coarctemur!

Ibid. V. 28.

2. Reg. 19.

mur! Illi ructent pridiana conuiuia, nos quæramus apud inferos micam? Meritò perdit hæreditatem, qui ſeruum relinquit hæredem. Excludi meretur à numero filiorum, qui propria ſalute contempta, ſibi ſubſtituit ſeruile mancipium. Obſtruatur igitur os iniqua loquentium; & iuxtà Prophetam, ſepiantur aures ſpinis à verſipellium Eccleſiaſt. 28. *mendacijs detractorum. Qui ad faciem quidèm blanda prætendunt, ſed intrinſecùs virus malitiæ contegunt: & velut apes ore mella ferunt, ſed aculeis pungunt. Et quid mirum, ſi nos, qui ad terram melle manantem contendimus, apum circumuolantium ſtimulis laceramur? Ad quam profectò terram feſtinabat ille, qui dicebat: Circumdederunt me ſicùt apes, & exarſerunt ſicùt ignis* Pſal. 117. *in ſpinis. Quid itaque de te dicam, qui quamquàm primò fœderatæ concordiæ circà me iura ſeruaueris, quandoque tamèn & oblatrantium canum neglexiſti rictus infringere, & fidem non horruiſti detrahentibus adhibere? Vituli multi, & tauri pingues obſederunt me, & tu patienter audiſti? Dicam itaque de ſummo ſedis Archidiacono, quod de Iacobo tunc dicebatur Apoſtolo: O, & iuſtus errauit. Sed quoniam & pro fauentibus, & pro lædentibus indifferenter orandum eſt depoſitæ querelæ calumniam orationis fine conclu-* Fr. Egyp. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 22. *dam. Deus Omnipotens, venerabilis frater, & ex impenſæ Charitatis officio multiplex tibi præmium reddat, & quod detractoribus conſenſiſti, clementer indulgeat.*]

Sed

9. Sed & alibi habuit iuſtas querelas (vt vi- Epiſt. lib. 2. epiſt. 1. tom. 1.
dimus) de eodem Hildebrando, dolens nimirum, [quòd cum quilibet ſermo de ſe fortè oboriretur; mox paruitatis ſuæ nomen exploderetur, conſpueretur fama, leuitas irrideretur, ac talia de illo proferrentur, quæ & inimicis ſuis iucunda eſſent fabula, & ſibi confuſio luctuoſa.] Et licèt ab Hildebrando hæc prodirent ex zelo boni totius Eccleſiæ, cuius Sanctus Antiſtes erat ſicut murus, ex quo factus fuerat coram ea in munere Sacerdotali, quaſi pacem reperiens; tamen de quo meritò iſte conquereretur, adhuc habebat: & de hoc ipſo meliùs nonnulli vſque modò dolent, dum non ab Hildebrando viro ſanctiſſimo, nec ſolo Religionis intuitu, ſed zeli tantùm obtentu à quærentibus, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, ideoque nullam curam habentibus de bono nomine fratris, taliter exagitantur. A quibus ſanè ediſcendum eſſet, quod PETRVS docuit; videlicèt: [*Quòd non eſt* Opuſc. 51. c. 10 tom. 3.
medicina laudabilis, quæ ſic putrida reſecat, vt ſimul etiam ſana corrumpat. Et quòd noxius ignis eſt, qui ſic nititur vepres exurere, vt inſiliat etiam domos globis furentibus conflagrare. Enimuerò qui aliorum vitia ex more libenter carpit, peccati maculam non euadet; quia licet zelo iuſtitiæ ferueat, aliquando tamen neceſſe eſt, vt in laqueos detractionis impingat.] Sicut etiam ſapientis monitum illud: [Quæ viderunt oculi Prouerb. 25.
tui ne proferas in iurgio cito, ne poſteà emendare

non poſſis, cum dehoneſtaueris, amicum tuum.]

10. PETRVS igitur licèt cum his, qui oderant pacem, eſſet pacificus, quibus cum loqueretur, impugnabant eum gratis; tamèn ad linguas doloſas ſemper appoſuit ſagittas potentis acutas cum carbonibus deſolatorijs: & quamuis verus humilis non ſe iuſtificaret antè Deum, quoniam agnitor cordis eius ipſe erat; tamen fecit, quod monuit: quòd ſcilicet: [*Minus ſe proximum amare conuincitur, qui perlatæ læſionis iniuriam ſic in auctorem expoſtulare diſſimulat, vt omninò ſe ſub ſilentij cenſura conſtringat. Nam dum ſibimet quaſi ex virtute patientiæ conſulit, lapſo fratri ſalutiferæ correptionis manum porrigere paruipendit; dumque patientiæ immoderatæ deſeruit, imminutæ charitatis ſententiam non euadit. Non enim dicit Dominus: Si peccauerit in te quis, patere, & tace: ſed ſi peccauerit in te, inquit, frater tuus, vade, & corripe eum, vt videlicet correptus ad cor redeat, & corrigens quod errauit, ad eius, vndè peſſundatus fuerat, rurſus Charitatis celſitudinem conualeſcat. Sunt ſiquidem duo, lapſus, & læſus. Charitas ergò, quæ inter vtrumque dijudicat, ſic debet iuſtitiæ lances appendere, ſic inconcuſſo examine æquitatis inter eos iura ſeruare; quatènus non modò enixius ſtudeat, ne læſus, quod abſit, per impatientiam corruat, quàm vt per ſatisfactionis dignæ commercium & is quoque, qui lapſus eſt, ſurgat:*] Quod, inquam,

Opuſc. 51. in præf.

Matt. 18.

Luc. 17.

ſem-

ſemper egit Vir Dei, ſicut non tantum ex allatis, ſed ex quamplurimis alijs eius epiſtolis colligi poteſt; modò pro anima ſua laborans, vt iuſtificaretur in operibus, & ſermonibus ſuis, & vinceret, cum iudicaretur; modò è contra cognitum faciens delictum ſuum, & iniuſtitiam ſuam non abſcondens, ſi fortè in aliquem verè ſe peccaſſe comperiſſet; vt ſe ſe geſſit cum Epiſcopo quodam, qui interdicto Eccleſiaſtico Eccleſiam ſui Monaſterij ſuppoſuerat eo quòd ab Epiſcopo Foroſempronienſi eam conſecrari paſſus eſſet, cum ad ipſum potius ius eam conſecrandi, vtpotè in eius Diœceſi conſtitutam, ſpectare videretur; ſequentem enim ipſi ſcripſit epiſtolam, in qua mirabilem ſuam & humilitatem, & prudentiam oſtendit.

11. *[Chariſſime Pater, quòd Eccleſiam ab Epiſcopo Sempronienſi conſecrari paſſus ſum, teſtis eſt mihi conſcientia, non cauſa veſtræ derogationis feci, ſed quia conſuetudinem licèt nouam ab incolis ſui deceſſoris audiui. Fatebantur enim, quia ex quo maſſam Sorbituli prædictus Epiſcopus introiuit, habita conſuetudine, ipſe Eccleſias conſecrauit. Et ego quis eram, qui ſuper vnum poſſeſſorem ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum alium ſuperinducerem, & Monachus inter duos Epiſcopos iurgia ſeminarem? Porrò non dubitabam, quia neceſſe erat, vt venirent ſcandala, ſed timebam quod ſequitur: Veh illi, per quem ſcandalum venit; & certè hoc ſcandalum cuicumque videatur* Epiſtol. lib. 4. epiſt. 20. Matth. 5.

ad-

aduerſum, in quantùm cum Deo, & cum iuſtitia fuerit exequutum; mihi fuerat non mediocriter neceſſarium. Ex quo enim vos in hunc Epiſcopatum, Deo auctore, veniſtis; interrogate ſi verum eſt, ego cum Sempronienſi Epiſcopo Charitatem habere non potui: & qui mihi eatenùs fuerat deuotiſſimus, iàm non occultus, ſed manifeſtiſſimus factus eſt inimicus. Felicem me tali infortunio! Vndè enim aduersùs me veſter animus commouetur, indè mihi, qui inimicum fugere geſtio, fructus vtilitatis acquiritur. Eſt namque Saul, Dauid neſciente, peremptus; eſt etiam Peccator Monachus nullo proprio ſtudio, ſed ſolo Dei nutu de Sempronienſi Epiſcopi laqueo liberatus.] Sic epiſtola.

CAP. XII.

Charitas quæ in PETRO DAMIANI non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, immoderata humilitate, regiminis iura non ſoluit.

S. Greg. Mor. lib. 16. cap. 19. tom. 2.

1. ILlud quoque Vir Sanctus ſibi præcauit; ne dùm immoderatè cuſtodiret virtutem humilitatis, ſolueret iura regiminis; vndè Monachus adhùc, Claſſenſi Abbati, qui (vt ſupra innuimus) Monachum à ſuo Monaſterio transfugam, & multis excommunicationum vinculis obſtrictum

Digitized by Google

ctum detinebat, hæc pro ſui iuris defenſione ſignificauit.

2. [*Miror ſanctam prudentiam tuam, venerabilis frater, quia cum tota terra repleta ſit Monachis, tu meum aduerſùm me Monachum foues, toties me apud te expoſtulante, requiſitum, tot Apoſtolicæ Sedis, Romanorumque Pontificum excommunicationum iaculis ſauciatum. Enimuero primus humani generis parens, cum ſibi comedere de cunctis, præter vnam, Paradiſi liceret arboribus, cæterarum quidem arborum poma contempſit, illam verò ſolam, quæ ſibi prohibita fuerat, ex qua veſceretur, elegit. Ita tu, cum eos fortè, quos licet ſuſcipere, non admittas; illum, qui tibi tàm terribiliter prohibetur, adſciſcere non formidas: atque vt tu dumtaxàt eum ſub tuo iure poſſideas, ſi perit anima, pro qua Chriſtus mortuus eſt, omninò non curas. Apud Salomonem nempè meretrix, quæ alienum ſubduxerat fœtum, malebat eum Regio mucrone ſecari, quàm maternis vberibus reddi: paruipendebat ſiquidem perniciem morientis, dummodò vocabulum ipſa non amitteret matris. Tu etiam ad huius exemplum cur lactas, quem non genuiſti? Vel more perdicis, cur foues quem non peperiſti? Hoc eſt enim naturale perdicis, vt aliena furtìm oua ſurripiat, eaque tamquàm propria eò vſque confoueat, donec fœtus erumpat; ſed cum pulli vocem matris audiunt, eam naturæ docentis indicio recognoſcunt, & falſa matre con-* Epiſtol. lib. 6. epiſt. 15. to. 1.

tem-

tempta, protinùs ad veram perniciter reuertuntur. Vndè & Ieremias ait: Perdix fouit, quæ
Ier. 17. *non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum ſuorum relinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens. Nempè ſaluo eo, vt de his, qui alienos furantur alumnos, hoc poſſit intelligi; videtur tamen de totius auctore nequitiæ principaliter dici. Diabolus enim tamquàm doctor in cathedra peſtilentiæ, ſuper homines ſibi magiſterium vſurpauit, quos ipſe non condidit: & errorem nos docendo, quaſi fouit, quos creando non peperit. Fecit itaque diuitias, & non iudicio, quia dùm rebus alieni iuris diteſcere voluit, æquitatis iudicium temerauit. Sed in dimidio dierum ſuorum relinquet eos; diabolus enim quaſi adhuc viuit, dùm eum vltimi iudicij gladius necdùm transfodit. Nondùm itaque mortuus ſuas diuitias iam relinquit, quoniam ad Creatorem ſuum genus humanum ex maxima parte iàm redijt. In nouiſſimo autem ſuo erit inſipiens, quem ſicùt Apoſtolus ait: Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Et Propheta: Spiritu, inquit, labiorum ſuorum interficiet impium. Homo igitur magiſtrum deſerit abuſiuum, & redit ad proprium; cum nouum damnat errorem, & ad ſuæ reuertitur conditionis originem. Vndè illic aptè ſubiungitur: Solium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ, expectatio Iſrael.*

Deus

Digitized by Google

Deus itaque, qui eſt principium gloriæ, ipſe eſt expectatio Iſrael; quoniam à quo genus humanum prodijt, per conditionis reuertitur Sacramentum. Qui ergò ſedebat in ſolio gloriæ altitudinis à principio, & hominem edocebat, ipſe eſt expectatio Iſrael, vt in loco ſanctificationis noſtræ, ideſt in Sancta Eccleſia eumdem hominem iterum doceat. Vndè per Pſalmiſtam dicitur: Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius omnes patriæ gentium. Quiſquis ergò alienum tollit violata fide diſcipulum, Antichriſti procul dubio imitatur exemplum. Et ſicùt ille, quod alienum eſt, more perdicis amittit; ſic iſte, quod vſurpatum eſt, æquitatis interueniente iudicio, non tenebit.

3. *Recordare, venerabilis Pater, quia te præſente, frater ille & prius ante Sanctum Altare Eccleſiæ, & poſtmodùm ante Crucem cellulæ ſub excommunicationis ſe deuotauit elogium, ſi noſtri Prioratus obedientiam ex induſtria vlterius violaret. Caue ergò, ne tàm ſanctum, tàm venerabile Monaſterium is, qui tot excommunicationum vinculis inuolutus eſt, polluat: & per tam religioſum, ſanctumque Conuentum lethalis lepræ ſe prurigo diffundat. Sicùt Iſraeliticæ plebi Diuina vox ait: Anathema in medio tui eſt, Iſrael, non poteris ſtare contra hoſtes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere. Egò autem, qui lapſi fratris mortem ſitire non debeo, eius cala-*

Digitized by Google

mitati compatiens commotis viſceribus ingemiſco: & non modò ſibi venialiter indulgere, ſed ſi reſipiſcat, paratus ſum pro ſalute illius etiam animam ponere. Pro Charitate igitur veſtra, ſanctorumque fratrum veſtrorum, quorum ego ſeruus ſum, cum veſtris ad me tantummodo litteris veniat, & me circa ſe manſuetum fore, mitem, atque beneuolum non diffidat: alioquin Romana Synodo iam propinquante, ſi..., ſed nolo minas inferre, ſufficiat tantummodo, ne mihi præiudicium fiat, interim cum humilitate depoſcere.]

4. Ex his colligi poteſt, & quàm humilis corde, & quàm erectus fuerit Vir Beatiſſimus pro iuſtitia. Sicut enim inter hypocritas iure deputatur, qui in ſimulatione diſciplinæ miniſterium regiminis vertit in vſum dominationis; tamen nonnumquàm grauiùs delinquitur, ſi cum peruerſis plus æqualitas quàm diſciplina cuſtoditur. Hinc Paſtores increpat per Prophetam Dominus, dicens:

In D. Gregor. Paſtor. par. 2. cap. 6. tom. 3.

» [Quod fractum eſt, non alligaſtis: & quod ab- » iectum fuerat, non reduxiſtis.] Abiectum enim reducitur, cum quiſque in culpam lapſus, ad ſtatum iuſtitiæ, & Paſtoralis ſollicitudinis vigorem reuocatur. Fracturam verò ligamen aſtringit, cum culpam diſciplina deprimit; ne plaga vſque ad interitum defluat, ſi hanc diſtrictionis ſeueritas non coarctat. Vir igitur Beatiſſimus, & quod infirmum erat, conſolidauit, & quod ægrotum, ſanauit, & quod confractum, alligauit, & quod abie-

ctum,

Digitized by Google

ctum; reduxit; & quod perierat, quæſiuit, & ſui Prioratus iura defendit, & cordis humilitatem non amiſit.

CAP. XIII.

Charitas non quærit, quæ ſua ſunt in PETRO DAMIANI; & primò in corpore; vndè illibata corporis eius integritas.

1. CHaritas patiens fuit, benigna fuit; non æmulata fuit, non egit perperàm, non inflata fuit, non fuit ambitioſa in PETRO DAMIANI; ſed [nec quæſiuit quæ ſua erant,] quia cuncta, quæ hic tranſitoria poſſedit, velut aliena neglexit; cum nihil ſibi eſſe proprium, niſi quod ſecum permaneret, agnouit: Quia ipſe, & corpus ſuum per continentiam, pœnitentiam, abſtinentiam, ſilentium; & omnia exteriora per paupertatem, & ſæculi contemptum; & ſuam ipſam voluntatem per obedientiam Deo obtulit in odorem ſuauitatis; vndè cuncta perfectè abnegans, quæ ſua erant, Dauidicum illud perfectè aſſumere potuit: Tuus ſum ego, ſaluum me fac; quia verè benedixit Domino anima illius, & omnia interiora illius nomini ſancto eius.

S. Anſ. in c. 13. epiſt. 13. ad Corinth. 1.

S. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 8. pag. 452. 2. ad Reſp.

2. Quò enim ad eius admirabilem Caſtitatem, vſque adhuc benedicunt ei omnes Chriſtifi-

Digitized by Google

fideles, vna voce dicentes: Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quòd caſtitatem amaueris; ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedictus in æternum. Et ipſe Summus Sacerdos, Sanctus Leo Papa Noſtrus benedixit ei, dicens: [Subegiſti carnis barbariem, qui erexiſti brachium ſpiritus aduersùs carnis obſcœnitatem. O fili chariſſime, inenarrabiliter gaudeo, quia exemplo tuæ conuerſationis inſtruis, quidquid oratoria facultate docuiſti. Plus eſt enim opere docere, quàm voce.]

Epiſt. Leon. IX ante Opuſc. 7. tom. 3.

3. Tamèn ò quoties ille ipſe, alter Hieronymus in Eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ horridum Monacho præſtabat habitaculum, putabat ſæcularibus intereſſe delicijs! Sedebat ſolus, quia amaritudine repletus erat: horrebant ſacco membra deformia; & ſquallida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidiè lacrymæ, quotidiè gemitus, & ſi quando repugnantem, ſomnus imminens oppreſſiſſet, nudus humo vix oſſa hærentia collidebat. De cibis verò, & potu taceamus, cum vt vidimus, etiam languens, aqua frigida vſus fuit; & coctum aliquid accepiſſe luxuriam duxit. Ille igitùr ipſe, qui ob gehennæ metum tali ſe carcere damnauerat, ſcorpionum tantùm ſocius, & ferarum; ſæpè choris intererat puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens deſi-

Ex D. Hieron. ad Euſtoch. de cuſtod. virgin.

Digitized by Google

derijs æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Hæc omnia ad proximorum ædificationem ipſemet tali pacto referens, dicit.

4. [*Memini planè, quia cum apùd Parmenſe oppidum liberalium artium ſtudijs docendus inſiſterem, dùm adhuc videlicèt in ipſo adoleſcentiæ flore, & noua pubertas indueret faciem, & æſtus libidinis accenderet carnem; Clericus quidam Zeuzolinus nomine, pellicem ſuam iuxta meum habebat hoſpitium, vt aiunt, aſpectu lubricam, & inhoneſto ſatis decore venuſtam. Hic itaque nitidulus, & ſemper ornatus, atque conſpicuus incedebat, itaut caput eius numquàm niſi gibellinica pellis obtegeret, indumenta carbaſina, atque niuentia ſiligio per artem fullonis inficeret; calceus poſtrema ad aquilini roſtri ſpeciem non falleret. Erat illi prætereà vox gracilis, ſuauis, ac tinnula, adeoùt in Eccleſia modulans audientium corda mulceret, & aſtantium in ſe plebis ora conuerteret. Affluebat vterque delicijs, rubebant ora inflammantia; quotidie cachinnis inuicem, atque ludibrijs, oculorum nutibus, & ſcurrilitatis illecebris feſtiuis applaudebant.* Opuſc. 42. c. 7.

5. *His ergò furijs, ac perditis moribus, quia corpore contiguus aderam, mente longinquus eſſe non poteram. Quid dicam? Quia dùm hæc cernerem, titillantis luxuriæ moleſtias pertuli; cum etiam poſtquàm ad Eremum veni, eiuſdem lenocinij*

cinij memoria me ſæpiùs colaphizare non deſtitit; ſæpè, fateor, mihi malignus hoſtis hoc ſchema propoſuit, & illos eſſe felices, ac beatiſſimos, qui tàm iucundè viuerent, perſua dere tentauit. Sed huius beatitudinis initium diximus, conſequenter etiam quo fine concluſerint, attexamus. Nàm dum per quinque ferè annorum luſtra in hac luxurioſa voluptate vixiſſent, ante annum, cum commune ipſius vrbis flagraret incendium, in vna domo reperti, vterque ſimul igne conſumpti ſunt. Sic ſic nimirùm flamma libidinis ignem meruit combuſtionis; & quid dulcis vita contulerit, amarus, proh dolor! exitus demonſtrauit.]

6. In paucis ergò iſtis vexatus, & in multis benè diſpoſitus, quoniam Deus tentauit eum, & inuenit illum dignum ſe; magnus factus eſt PETRVS, & præclarus vniuerſæ terræ Iſrael, eo quòd eſſet virtuti eius caſtitas adiuncta; ſed & eloquia eius, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum, quibus ſtuduit caſtam ſuam docere generationem cum claritate; vndè immortalis eſt memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.

Opuſc.49.c.1. tom.3.

7. [*Primò omnium* (ſcribit, fratrueli ſuo, Claſſenſi Monacho, tunc puercul) *ſit tibi caſtitas ſemper in corpore, ſit ſemper in mente: quatenus ſic lilia indiſciplinatæ carnis, velut exaratæ terræ cultura candeſcant; vt radix quoque in ſui viroris gratia inconuulſa permaneat. Carnis titillata ille-*

illecebra, ſurgunt libininis incentiua, ad Apoſtolica mox tela proſilens, Euangelicum quoque gladium bellator feruidus arripe, & frementes cuneos hoſtiumque barbariem, duce Chriſto, facilè poteris obtruncare.]

8. Et Damiano nepoti: [*Caſtitatem,* ſcribit, *non in membris tantùm ſtudeas ſeruare corporeis, ſed hæc eadem permaximè regnet, ac vigeat in viſceribus cordis. Nulla quippè virtus eſt, quæ in adoleſcentiæ flore grauiora certamina perferat, quam videlicèt velut in camino ſurgentis incendij, titillantis illecebræ genuinus ardor impugnat. Sed cum ſuper hoc themate nobis vberiùs diſputare non liceat, quia præ nimia celeritate non vacat, quid mihi Imperatrix Agnes, olim ſcilicèt aureo quidem diademate coronata, nunc autem multò fèlicius, & incomparabiliter eminentiùs in Regis æterni thalamo collocata, heſterno iam veſpertini temporis elabente crepuſculo, retulit, hìc annotare ſuccinctè, raptimque non pigeat; vt apud animum tuum non tam lacinioſa loquendi prolixitas, quàm inſignis exempli dignitas conualeſcat. Porrò dum præfata Chriſti Sponſa, & Beati Petri filia in omnium diſpoſitione virtutum delectabiliter paſcitur, in tractanda tamen caſtitatis, pudicitiæque munditia propenſius immoratur. Vndè factum eſt, vt dùm nonnulla de ſalute animarum mutuis confabularemur eloquijs, & precipuè quaſi quoſdam verſaremus in manibus vernantis floſculos* Opuſc. 47. c. 1. tom. 3.

Digitized by Google

ſculos caſtitatis, illa hoc in medium protulit: Poſtquam Imperator, inquit, Otho Regnum Italiæ Berengario victor eripuit, captas illicò duas eius filias in Teutonicas partes exilio tranſmigrauit. Quæ nimirùm dum venuſti vultus ſpecie, & inſigni corporum pulchritudine Regum referrent generis dignitatem; cœperunt multi Regni proceres Adelaidæ Auguſtæ vehementer inſiſtere, vt tam elegantis formæ decus dotali ſibi mererentur copula ſociare. Quæ nimirum puellæ, dùm omnes procos æqua prorsùs dedignatione contemnerent, & mortale coniugium ſanctæ ſuperbiæ ſupercilio faſtidirent; vna illarum duos pulcinos ſuis vberibus ſuppoſuit, & tamdiù inter veſtem, & carnem, donec omninò putreſcerent, occultauit. Cumque conſpiceret, homines ad ſuum venire colloquium, laxabat occultè veſtem, & naribus colloquentium gaudebat exhalare fœtorem. Cumque colloquentes ei hanc quotidiè narium paterentur iniuriam; tandem ceſſauit deluſa ſollicitudo quærentium, & virgo Chriſti per ſimulatam carnis alienæ putredinem, inuiolabilem ſui corporis ſeruauit integritatem. Vndè factum eſt, vt vtræque poſtmodum ſorores eligerent ſanctimoniale propoſitum; & vſque ad finem vitæ Monachicum ſeruarent irreprehenſibiliter inſtitutum.]

9. *Quamobrem pudeat vel, ò fili, vitio libidinis eneruiter, vel in cogitatione ſuccumbere, de quo cernis infirmiorem, & fragilem ſexum cum* tanta

Ibid. vt ſup. cap. 3.

tanta

tanta gloria triumphare, & vt frementem beſtiam valeas, vt ita loquar, agro tui iuris expellere, ſatage te, frater, iàm quotidie Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione munire. Videat occultus hoſtis labia tua, Chriſti rubore rubentia, quæ territus perhorreſcat, & mox in tenebrarum ſuarum latibula paueſcendo diffugiat. Quod enim tu per viſibilem panis, ac vini ſpeciem ſuſcipis, ille, velit, nolit, Dominici Corporis, ac Sanguinis intelligit veritatem.].

10. Et quia deploratiſſimo illo ſæculo (vt ex dictis) corrupta erat terra coram Deo, & repleta iniquitate; incongruum non videtur, ſi ad hæc, quæ diximus, alia ſuperaddamus, quæ Vir admirabilis docuit, quibus contra erumpens diluuium carnis, quaſi ſibi, & illius temporis animabus, & nobis inſuper fecit arcam de lignis læuigatis, bitumine linitam intrinſecus, & extrinſecus, vt ferretur ſuper aquas, & vt ingredientes eam nos, & filij noſtri, non demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat profundum, neque vrgeat ſuper nos incontinentiæ puteus os ſuum.

11. [*Inprimis* (ſcribit Stephano Monacho) *igitur, fili, quicumque manus ad confligendum paras cum inuiſibili hoſte conſerere, ſatage mentem tuam ab omni ſuggeſtionum obrepentium impetu peruigli cuſtodia communire: & ſicut quiſquilias, & quæque purgamenta, quæ de operibus manuum tuarum decidunt in ignem, protinus* Opuſc. 15. c. 16

abijcis ; ita nihilominus cogitationum tuarum motus in Deum proijce. Et quoniam ipſe ignis conſumens eſt, illi ſuperflua cordis tui ad conſumendum trade; memorans illud Apoſtolicum: Omnem ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis. Et Propheta: Iacta, inquit, cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Vnum quippè viriliter decertanti, è duobus deeſſe non poterit, vt videlicèt ſuggeſtionibus, aut ingredi tentantibus vigil ſemper obſiſtas, aut ingreſſas eliminare contendas. Sed facilius eſt hoſtiles impetus in veſtibulo frangere; quàm ad miſſos extra mœnia propulſare. Tutius eſt arcere præforibus, quàm laribus intromiſſos in terga compellere.

12. *Pone itaque tentationem, quaſi ſerpentem, ſerpens nempè ſi ab ipſo auditu præſtò repellitur, ſana ſunt omnia: nil omninò corrumpitur, nil eorum, quæ intus ſunt, inquinatur. Si autem ſemèl fuerit admiſſus, tametſi quauis inſtantia poſtmodum cogatur abſcedere, de veneno tamen eius, vel ſquamis neceſſe erit aliquid vel per exiguum remanere. Ergò ſollicitus eſto ſemper, vt tentationi principio naſcenti, velut armatus, & expeditus occurras, & paruulos orientium cogitationum motus ad petram, qui eſt Chriſtus, allidas. Crede frequenter experto, ſæpè tentationem, quaſi deliberantes admittimus, nobiſcum videlicet primùm paciſcentes, quòd eam quantocyus*

ege-

egeremus: ſed licèt ſuggeſtionem illam poſtmodum per egreſſum confeſſionis emittimus, licèt pœnitentiæ noſmetiſpſos afflictione punimus, neſcio, quo pacto, quibuſdam pollutionis excluſæ reliquijs, diù poſt carere non poſſumus; & iuſto iudicio, qui prius volentes vano phantaſmate iactabamur, nolentes poſtmodum acrioribus mordacis conſcientiæ ſtimulis pungimur.

13. Et Deſiderio Abbati Caſſinenſi [*In quodam nempè monte Orientis*, inquit, *lapides ſunt igniferi, qui maſculus, & fœmina nuncupantur, & dicuntur Pyroboli. Qui nimirum cum à ſe inuicem procul ſunt, non accenduntur; ſi verò fœmina appropinquauerit maſculo, protinus ex eis ignis egreditur; itaut omnia, quæ circa montem ſunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipſis ergò lapidibus edocemur, vt ſi conſumi libidinis incendio nolumus, muliebris aſpectus ſpeciem declinemus, ne de conſpecta forma flamma proſiliat, quæ in nobis non montis, ſed mentis fruteta peruadat. Ad extinguendum itaque libidinis incentiuo operæ pretium eſt, vt etiam caſtoris imitemur exemplum; cuius ſcilicet teſticuli medicinabilibus curis ſunt per maximè neceſſarij. Caſtor itaque, cum ſe videat à venatore propter genitalia perſequi, hæc mordicùs abſcindit, & ante venatoris faciem proijcit. Sic illicò venator abſcedit, dum id, propter quod eum perſequebatur, extorſit. Si verò contigit, vt alter eum rurſus venator inue-* Opuſc. 52. c. 5. tom. 1.

niat, eumque acriùs, & inſtantiùs perſequens, euadendi aditum iàm iàm penitùs deſperare compellat; in alto ſitus, in os ſe venatoris erigit, ſibi deeſſe virilia, propter quæ perurgetur, oſtendit. Sic ſic ab inſectantis venabulo liberatur, dum oſtendit deeſſe ſibi, quod quæritur. Tu quoque ſi vis caſſes intimi venatoris eludere, ſolerter à te ſtude titillantes illecebroſæ libidinis fomites amputare. Præcide à pectore tuo omne luxuriandi propoſitum, & ſic quaſi radicem luxuriæ verenda repellis, dum libidinis actum cum ipſa penitùs voluntate deponis. Et dum malignus ſpiritus tamquam improbus venator telis aduersùm te luxuriæ dimicat, tu in vires te protinus erige, ac deeſſe tibi luxuriandi materiam teſtones oſtende, dicens illi: Cur me perſequeris? Cur me propter rem, quæ in me iàm non eſt, irretire conaris? En ego verenda non habeo, dum amputato luxuriæ ſeminario, caſtitatis propoſitum inuiolabiliter ſeruo.
Iſai. 56. *Dicit enim per Iſaiam mihi Dominus meus: Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus Deus, Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus. Ego ſiquidem ex ipſis ſum, de quibus per ſemetipſum in Euangelio dicit: Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Cœlorum. Hoc itaque modo ſollicitè cauendum eſt, ne verſu-*

ſutus hoſtis tentationum ſuarum aculeis corda noſtra transfigat, & caſtitatis, ſiue cuiuslibet boni operis fructum, aſtutæ fraudis arte decerpat.]

14. Sciebat profectò Vir Beatiſſimus, quòd humani generis Creator, & Conditor Deus, opificij ſui naturam præ omnibus, emendationemque cognoſcens, illic curam adhibuit medicinæ, vnde cauſas morbi principaliter nouerat emanare: [Quicumque, inquiens, viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo;] petulantes oculos notans, non tam eos arguit, quàm illum interiorem ſenſum, qui officio eorum malè vtitur ad videndum. Cor namque eſt ægrum, & ſaucium libidinis telo, quod ad concupiſcendum videt: beneficium intuitus rectè ſibimet à Creatore conceſſum, ſuo vitio ad operum prauorum miniſteria contorquens, & in ſemetipſo reconditum concupiſcentiæ morbum contemplationis occaſione producens. Idcircò ergo huic præcipitur ſalutare mandatum, cuius vitio peſſimus languor viſus occaſione procedit. Non enim dicitur: Omni cuſtodia ſerua oculos tuos, quos vtique oportuit principaliter cuſtodiri, ſi ex ipſis concupiſcentiæ prodiret affectus: nihil enim amplius oculi, quàm ſimplex animæ præbent viſionis officium; ſed dicit: Omni cuſtodia ſerua cor tuum: illi potiſſimum impoſita medicina, quòd vbique abuti poteſt oculorum miniſterio. Ideò præfatum Marinum fratruelem caſtiſſimus Pater admonens:

Ex Io. Caſſian. Inſtitut. lib. 6. c. 12.

Matt. 5.

Prouerb. 4.

Digitized by Google

nens : [*Abigendis quoque cogitationibus* (ſcripſit) *ſollicitus ſemper inuigila, quia non enixiùs expedit carnem ab illecebroſa titillatione reprimere, quàm mentem quoque à turpium cogitationum phantaſmate cuſtodire. Noui fratrem in Chriſto, qui diſtrictam hanc mentis ſuæ regulam iugi, ac peruigli ſeruat intuitu, vt quotieſcumque libidinis ſuggeſtio ſubrepit, mox cogitationi ſuæ velut expeditus ad proficiſcendum dicat: Eamus, inquit, ad circam; illicò omnia cœmeteria, ac ſepulturas imaginando perluſtrans, putreſcentium virus, ſaniemque cadauerum, ſcatentes quoque vermes, & fœtentium ius carnium, curioſo rimatur intuitu: cumque conſiderat; quia olim carnes illæ in ſua viriditate florentes, his ſubiacuere moleſtijs, corpus etiam ſuum paulò poſt futurum eſſe non ambigit, quod illas eſſe iam cernit. Compendium dat luxuriæ, qui præbet oculum corruptelæ; nec eſt libidini diuerſorium, in qua verſatur mente ſepulchrum. O quoties ille frater candentem cultrum, & vomerem, quaſi cauterium quoddam genitalibus impreſſit, itaut crepitante quodammodò præfixæ carnis incendio, ad nares vſque fumus per energiam exhalare videretur.*

Vt ſup. opuſc. 49. c. 3. 10. 3.

15. *Cum neceſſitatis aliquando caſus exegerit, vt tuum fœminæ colloquium negare non poſſis, limis ſemper oculis, & velùt aliorsùm intentus abſentem tui præſentiam exhibe: longinquius alloquere, confabulator abſiſte, terræque defixis obtuti-*

tutibus, neque pallentem, neque rubentem eius faciem poſſis iudicare. Beatus aliquando Romualdus rediens à Sibyllæ Comitiſſæ colloquio; comitanti fertur callidè dixiſſe diſcipulo: Quam elegantis, ait, & venuſti vultus fœmina, niſi, prob dolor! vnius oculi diſpendio laboraret. Cui diſcipulus: Abſit magiſter, inquit, ſicut decora certè facies, ita quoque oculi, prout ſagaciter deprehendi, nihilominus incolumes vigent. Quem magiſter acerrima protinùs animaduerſione corripiens: Et quis te, inquit, in facies fœminarum reſpicere docuit? Tunc ille circumuentum ſe eſſe reſpiciens, pœnitentia ductus erubuit, & de cætero cautiorem ſe fore obſtinatiſſima pollicitatione deuouit. Verſutus namque aduerſarius pictor eſt, ſed qui facilè quidèm poſſit ad memoriam viſa reducere, vix autem in parietibus mentis noſtræ ignotarum nobis ſpecierum lineamenta formare.]

CAP. XIV.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in corpore: vnde mira eiuſdem afflictatio, & iugis abſtinentia.

1. Illud verò potiſſimùm ad conſeruandam mentis, & corporis puritatem neceſſarium duxit, vt mortificarentur membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, quod ille nimirùm docuit mirabi-

rabiliter verbo, & mirabiliùs exemplo; dum non ſolùm curam carnis numquàm habuit in deſiderijs, numquam quæſiuit, quæ ipſius erant; ſed inſuper admirabili abſtinentia, vigilijs, ſilentio, & inauditis tormentorum generibus eam ſpiritui ſubdidit.

2. Vt enim prætereamus, quòd ipſe primus fuit ex Chriſtifidelibus, qui cœpit dimicare contra carnis illecebras, apprehendens in eam Diſciplinam, & fundam hanc manu tulit, & proceſſit aduersùs Philiſtæum corporis ſui; certè non fuit in obliuione coràm Domino, quòd dùm adhùc in ſæculo verſaretur, ſub mollibus veſtibus cilicium induebat; & quòd calente iuuenta, dùm ſtimulis acriter vrgeretur carnalibus, medijs noctibus è ſtrato conſurgens, aquis ſe fluuialibus immergebat, in quibus tamdiù nudo manebat corpore, donec algentia membra rigerent, noxio recedente calore.

Joann. diſcip. Aug. Fortun. Hieron. Rub. in vita S. Petri Damiani.

3. Eremiticum verò poſtquàm arripuit Inſtitutum, tantis illicò ieiuniorum, vigiliarum, cæterarumque afflictionum laboribus ſe cœpit atterere, vt ij, qui diuturnis iàm ſtudijs exercitati fuerant, illius mores, & vitam intuentes, ſua cogerentur acta contemnere. Nàm dùm inolitum vitiorum funditus certaret exulare, cunctis moralium ipſius loci exercitiorum genera, totis geſtiebat viribus indefeſſo operis labore complere; metanæis, palmatis, prolixis vlnarum extenſionibus

bus ſedulò incumbens. Et dùm alij vigiliarum hunc morem ſeruabant, vt ſigno temporis perſonante, totum poſt Synaxim Pſalterium antè lucem complerent; PETRVS hoc commune ſignum longè vigilando præueniens, quidquid tamen noctis poſt Synaxim reſtabat, continuatis excubijs tranſigere ſatagebat; vndè & factum eſt, vt dùm huiuſcemodi pernoctaret excubijs, tantam læſi cerebri paſſionem contraxerit, quòd vix vel modico ſomno iàm refici poſſet. Inſuper graui ad carnem induebatur lorica; & ferreis ſuper nudo catenis, multis maceratum modis conſtringebat corpus; itaut ferreorum vinculorum nexu vndique ſic attrito, vix inueniri poſſet modus, quò eius imbecillitas foueretur, & caro infirma ad obſequendum ſpiritui prompta redderetur, & cum tàm durè debilia membra fatigaret, non cubabat in plumis, neque ſtramentis; ſed ſuper nuda crate ſomnum, qui erat illi parciſſimus, capiebat.

4. Quotidiano ſe præter dies feſtos ieiunio macerabat; idque ieiunium nimis erat durum, ac rigidum: dùm aſpero veſcebatur pane, & externam bibebat aquam. In Quadrageſimæ quoque vtriuſque initio, triduo penitùs abſtinebat, immò per quadraginta dies aliquando nil, quod per ignem tranſit, in cibum ſumpſit, ſed tantùm pomis, crudiſque terræ naſcentibus abſque omni prorsùs potu contentus fuit; aliquando totidem diebus nullo ſe refecit cibo, niſi parco leguminis infuſidario; ferè

Digitized by Google

ſemper nudis abſque vllo calceamento incedebat pedibus. Quæ omnia, & alia, quoniam ſparſim ſuprà enarrauimus, hìc repetenda non ſunt; ſicut hæc perpauca hic obiter reuocare ad legentis memoriam duximus, vt ex his agnoſcatur Beatiſſimum Virum & feciſſe, quod docuit, & non niſi ea docuiſſe, quæ fecit.

Opuſc. 49. c. 2. to. 3. 5. [*Sobrietas* (ſcribit enim Marino, de quo ſupra, fratrueli ſuo) *quotidie tibi comes ſit indiuidua, nec aliquando à tuo ſit collegio, gula pruriente, diuulſa. Vbi enim viſcerum pori ciborum repleti ſunt, ſuum illic proculdubio robur ſibi vindicat flamma libidinis. Hæc enim peſtis ariditate repellitur, & vbi effœti corporis humor deficit, hæc etiam areſcendo marceſcit. Planè vt ignis aquæ, ſic luxuria inimica eſt frigori; atque ideò vbi genuinum carnis ardorem ciborum fomenta deſtituunt, feruor quoque luxuriæ neceſſe eſt extinguatur. Nolo ergò cibis lautioribus inhies: nolo vino affluenter indulgeas, ſiue de eius coloris, ſaporiſue diſtantia aliquandò diſputare præſumas. Hoc tenuis lageos horror exaſperat; illud venachorica debilitatis eneruat; iſtud porrothaſiam rubet; illud autem aureo Mareotidis decore flaueſcit; probibetur lectio; nauſeanti vappa eſt, Baptiſmus irrepſit; expectaui quidè m vinum, ſed huic aquæ perexiguum vini videtur admixtum; huic ſanè vino Aminæa quidèm vitis plurimum contulit, ſed Rhetica prope modum ſuper are contendit. Noli*

ita-

itaque callere quid Arigitis, quid Rhodia ſapiat; quem ſuauitatis acrorem cum purpureis Precijs, Pſytijſque componat. Hæc enim omnia gulæ philoſophantis ſunt argumenta, & ingurgitationis abominanda materia. Inſumendis ergò alimentis parcitas aſperitatem mitiget, vulgaritatem delibatio caſtigata commendet. Nec ſufficit in eſculentioribus cibis cohibere crapulam, niſi & in ipſis groſſioribus nouerit quis tenere menſuram. Sic enim vulgari quolibet cibo crapulantis aliquandò gulæ culpa committitur, ſicùt & in deformi ſcorto coeundi voluptas expletur. Qui verò conſueuit ventrem breui panis aridi menſura conficere, non facilè de inadipatis nouit edulijs iudicare. Qui timet aquam ad ſatietatem bibere, mulſi ſe potionibus ingurgitare non quærit. Si vis ergò inter delicias ſub ſobrietatis legibus viuere, caue quoque inter ipſa ſimplicia alimenta edacitatis fræna laxare. Suauem verò cibum cur debeamus expetere? Qui quantislibet apparetur impendijs, & antequam in os intret, nobis non ſapit: & poſtquam, flumine glutiente, traijcitur, venter, cui illapſus eſt, non diſcernit. Totius autem noſtræ voluptatis iter, cui tanta ambitione ſeruimus, breuiſſima vnius palmi ſumma concluditur. Qui enim Chriſtum deſiderat, & ipſo pane veſcitur, nimirùm qui de Cœlo deſcendit, de quàm pretioſis cibis ſtercus conficiat, magnoperè non diſcernit. Quidquid ergo non ſentitur poſt gulam, idem tibi ſit,

Digitized by Google

quod panis, & olera. Nam ſi gula non tibi theſaurizat, ſed ventri; cur ipſa quid quaſi delicatius eligit, quod venter idem indifferenter admittit? Vt ergò non ſentiat pudicitia periclitatæ naufragium, inter fluctuantis huius vitæ diſcrimina ſobrietas magiſtra tui corporis teneat clauum.]

6. Et docens, qua conſideratione eſculentioribus aſſueta cibis, poſſet Blanca ex Comitiſſa Monialis ſe aſſueſcere groſsis, & rudibus, dicit:

Opuſc.50.c.10 tom. 3. [*At fortaſſis è contra dicitur, quia corpuſculum tuum gracile nimis, & delicatum ab ipſis lactantis infantiæ rudimentis eſculentiſſimis, ac penè Regalibus fuit epulis molliter enutritum; nec ſororum potes nunc menſulis eſſe contenta, quæ magnificis olim fueras ferculis aſſueta; ſed nec olere quidem, vel communibus cum eis vti potes eduliȷs, exquiſitaſque delicias Indicis aſſueueras infercire pigmentis. His itaque malè blandientibus ſuadelis, immò litis melle ſagittis ex diabolica pharetra manifeſtè vibratis, tu diſcipula Crucifixi prudenter occurre, eaſque à te conditionis tuæ ſedula conſideratione repelle. Perpende igitur, quia caro, quæ nunc accuratis dapibus enutritur, paulò poſt vermibus ſcaturire compellitur; ipſaque tunc ſit eſca rodentium, quæ nunc delectabiliter ſaginatur iucunditate ciborum, ac tantò grauiorem exhalat putrefacta fœtorem, quantò ſuauiorem ſibi procurauit educata mollitiem. Ecce dum iſta conſcribimus,*

Digitized by Google

mus, Sophia nobis ad memoriam redit, duorum ſcilicèt Marchionum, Vguzonis ſoror, Rainerij filia, quæ ante hoc ferè ſexennium, dum ſana adhuc eſſet, & incolumis, ab Abbate Monaſterij Sancti Chriſtophori Martyris, vt ſibi ſepulchrum conſtrueret, petijt; illoque renitente, eamque delirare perhibente, difficiliùs impetrauit. Factumque intra Monachorum clauſtra ſepulchrum, mox vt ingreſſa conſpexit, neſcio quo iudicio, in ægritudinem corruit, ac paulò poſt abortijt, & obijt. Cuius profectò tumulus, cum eſſet gypſeus, artificioſiſque cæmentariorum ſtudijs vndique communitus, tantam fœtoris illuuiem per continui circiter anni circulum exhalauit, vt tolerari vix poſſet, nec fratres quieſcere in tota illius clauſtri medietate permitteret. Et cum multa circumquàque ſepulchra ſubſiderent, eademque minora ſatis impendia percepiſſent, nullum, præter hoc ſolum, moleſtias naribus ingerebat; vt luce clariùs innoteſceret, quoniam humana caro quantò teneriùs, ac molliùs educatur, tantò deteriùs in putredinem, ac nauſeam vertitur. Enimuerò, fratres cum me, cur id fieret, inquiſiſſent; quod videbatur, expoſui: Hoc, inquàm, vt opinor, ad ſalutem veſtram diuinitùs agitur, vt in illo vno corpore, quod tàm pulchrum, venuſtumque vidiſtis, quid etiam de cæteris mulieribus in tentatione luxuriæ ſentiri debeat, liquidò colligatis; quoniam caro illa & tunc putredo veraciter erat, cum ad ſe-

ſpe-

ſpectandā lubricos intuentium oculos prouocabat: quid enim tunc fuerit, nunc euidenter oſtendit. Et qualibet hominis caro, quæ nunc virere conſpicitur, nequaquam de ſe poſt obitum putredinem generat: ſed quæ ſemper fuerat, tunc ſe tantummodò putredinem manifeſtè declarat.]

Opuſc. 13. c. 12 tom. 3.

7. Et hoc ipſo mortificationis ſpiritu ductus admonuit, ne Monachus ſcire deberet diſputare de coquis, ſed vt ignoraret eſculentiores preferre rudioribus cibis. Plerumque enim conuenientibus in vnum (vt verbis Apoſtolis vtar) religioſæ vitæ ſectatoribus, iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Panem quippè Cœleſtem nemo eſt, qui requirat, nemo, qui tribuat. Nihil de ſcripturis, nihil de ſalute animarum, ſed nugæ, & riſus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantùm fauces dapibus, tantùm aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum neſcias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro ſolis carnibus, à quibus aliquando abſtinetur, grandia piſcium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris ſatiatus, ſi ſecundos attigeris, videberis tibi necdum guſtaſſe piſces. Tanta quippè accuratione, & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor, aut quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouiſſima, nec ſatietas minuat appetitum. Palatum quippè dum nouellis ſeducitur condimentis, paulatim diſſueſcere cognita, & ad ſuccos extraneos, veluti adhuc ie-

1. Corint. 11.

Ex D. Bernar. Apologia ad Guiiel.

ieiunum, auidè renouatur in deſideria. Venter quippè, dum neſcit, oneratur, ſed varietas tollit faſtidium. Quia enim puras, vt eas natura creauit, epulas faſtidimus, dum aliæ alijs multifariè permiſcentur, & ſpretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibuſdam adulterinis gula prouocatur ſaporibus: tranſitur nimirùm meta neceſſitatis, ſed necdum delectatio ſuperatur. Quis enim dicere ſufficit quot modis (vt cætera taceam) ſola oua verſantur, & vexantur: quanto ſtudio euertuntur, ſubuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nunc ſigillatìm apponuntur? Vt quid autem hæc omnia, niſi vt ſoli faſtidio conſulatur? Ipſa deindè qualitas rerum talis foris apparere curatur, vt non minùs aſpectus, quàm guſtus delectetur: & cum iam ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicet, necdum curioſitas ſatiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum ſaporibus illiciuntur, infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſcipere cogitur, oppreſſus magis obruitur, quàm reficitur. Has igitur lenocinantis gulæ illecebras, quas irrepſiſſe aliquo modò in ſuis Gamugenſibus Venerabilis Pater cognouit, eo quòd cibis delicatioribus vti cœpiſſent, quàm eorum arcto viuendi Inſtituto conueniret, debita ſeueritate compeſcere ſtuduit, tali pacto.

8. [*Illud quoque de ſanctitatis veſtræ præconijs:* Epiſtol. lib. 6. epiſt. 37. 10. 1.

conijs notitiæ noſtræ ſuperacceſſit, quia pleraque capitula ad conſcientiæ pertinentia diſciplinam, quæ inter vos regulariter conſtituimus, ita nunc obliuioni ſunt tradita, ac ſi deliro cuilibet fuerint obliuioni mandata: videlicèt, vt vinum vtroque Quadrageſimali tempore non bibatur, non piſcis edatur, vt niſi præcipuis feſtiuitatibus, molis legumina non terantur, vt veſpertinæ refectioni pulmentarium non paretur, vt oleaſtræ frixuræ rariſſimè concedantur, & multa ſimilia, quæ magis colenda, quàm ſcribenda decernimus. Nec mirùm, ſi hoc, me nunc procul agente, præſumitur, cum orno videlicèt ſub ipſa Natiuitate Dominica, me præſente, ſed neſciente, mulſum melle, ſimùl & diuerſis pigmentorum generibus parabatur. Quod, vt agnoui, tantò magis prodigij nouitate percuſſus exhorrui; quantò id in Eremo factum, ne audiſſe me quidem eatenus contigiſſet. Verum iſta dicentes, nec cum illis nos ſentire quis iudicet, qui prohibent à cibis, quos Deus creauit; nec Apoſtolicæ contraire ſententiæ, qua nos manducare præcepit quæcumque apponuntur; & nibil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Aliud eſt enim, quod creaturas Dei bonas indifferenter aſſerimus: aliud, quòd pudicitiæ, ſobrietatique ſeruandæ caſtigatione corporum prouidemus. Bonum erat quippè in Paradiſo lignum, à bono ſcilicet Opifice conditum: bonum nihilominus non fuit manducare, eodem inſtituente præceptum, ſed

dum

dum bonum bono non benè iungitur, mors protinùs ex virulento ſemine ſuperbiæ generatur. Quod enim bonum fuerat per naturam, malum factum eſt per inobedientiæ culpam, & quod ab Auctore fuerat ſalubriter interdictum, hoc lethale factum eſt homini per vſurpatæ libertatis arbitrium.

9. *Hoc primi hominis peccatum, fratres mei, vt cum pace veſtra loquar, vos iterare vſque hodie non deſinitis; ſi quod vobis inhibitum eſt, per pruritum lenocinantis illecebræ deguſtatis.*]

10. Et quia plerumque humaniter quid indulgemus corpori, vel obtentu infirmitatis carnis noſtræ, vel propter ætatem, vel tandèm vt poſſit operari; his PETRVS, qui perfectè oderat animam ſuam in hoc mundo, vt in vitam æternam cuſtodiret eam, acriter ſemper ſe ſe oppoſuit, tamquàm ex prudentia carnis emanantibus, quæ mors eſt. Vndè Marino fratrueli ſuo: [*Cum incolumis vigeas,* ſcripſit, *noli ſponte languere. Aduertiſne, quod loquor? Illud namque mihi in pleriſque Monaſterijs non mediocriter diſplicèt; nonnulli vegeto corpore, quique prorsùs medicinalis induſtriæ non indigeant, hodie vaporandam Nemitori venam præbent: cras ſibimet hirudines adhibent: diuerſa perendie medicaminum conſtruunt artificia. Intereà ſimilago commolitur, placentæ examuſſim fabrifactæ, tepeſcentibus tantum cineribus, excoquuntur: fluminum ſinus, ſiuè & marium* Opuſc. 49. c. 6. tom. I.

perſcrutantur: macellum quoque vacare, quia piſcis pelagi profunda petierat, non meretur. Immò infelix infortunium creditur, ſi piſcoſus ager ſterilis inuenitur, vbi nimirùm & neceſſitas vbertatem, & vbertas parit inopiam. Intereà quodcumque ſiue terræ, ſiue maris animal ad victimam ducitur, peritus coquus neceſſe eſt perquiratur: qui videlicet ignibus tanto diſcretionis libramine moderetur, quatenùs artifice, & magiſtra temperie ad oſſa perueniat, & tamen ſuperficiem carnium non comburat: tamquàm quibuſdam præſtigijs videatur vapor, & tranſiliens exteriora non tangere, & penetrans ad interiora tranſire. Quid plura? Diſcumbentes tandèm, immò iacentes, ſtomacho nauſeante, liguriunt; & edaci faſtidio vix imperant, vt probent eſſe vera, quæ fingunt.]

B. D. Bernard. Apolog. ad Guliel.

11. Et certè ridiculum eſt incolumes, ac validos perſæpè iuuenes conuentum ſolere deſerere: in domo ſe infirmiorum, qui non ſunt infirmi, collocare: carnium eſu (qui vix ægrotis dumtaxat, & omninò debilibus, ex regulæ diſcretione, pro virium reparatione conceditur) non quidem corporis infirmantis ruinas reficere pro incommodo, ſed carnis luxuriantis curam perficere in deſiderio. Delicata certè nimis medicina eſt prius alligari, quàm vulnerari; membrum non percuſſum plangere, & necdum ſuſcepto ictu, admouere manum; fouere vnguento, vbi non dolet; emplaſtrum adhibere, vbi cæſura non eſt.

PE-

12. PETRVS igitur, qui in extremæ infirmitatis anguſtia (vt ſupra vidimus) non pepercerat animæ ſuæ propter Deum, vt videlicet ad ſubleuandam vel leniter infirmitatem corporis, abſtinentiæ regulam relaxaret; cum magna auctoritate quemdam Guilielmum Monachum, qui ex Monaſterio ad Eremum tranſire promiſerat; & rem in dies differebat, eò quod vini potum renunciare, & aquam bibere non ſatis æquo animo poterat; tamquàm mollem perſtringere potuit inſigni epiſtola, quam ad illum miſit, vbi, aquam ſuas vtilitates, & virtutes enunciantem, & inter cæteras has prædicantem introduxit.

13. [*Et vt iam excellentiſſimum meæ dignitatis priuilegium pandam, ſuſpenſo in Cruce Domino, ex ipſo Creatoris mei latere prodij; & omnem terrarum orbem, totumque aerem ſociato mihi pretioſiſſimo eius Sanguine conſecraui. Hinc eſt, quod Ioannes Apoſtolus ait: Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem Ieſus Chriſtus: & paulò poſt ſubdit: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Iàm verò ſi cuncta ſuperiùs comprehenſa attendas, reliqua omnia meæ ditioni ſubiecta elementa conſideras. Sed dum præconia meæ laudis enumero, quid ſim, quid valeam, melius forſitan doceo, ſi te ad temetipſum reduco: quatenùs dum mea in te dominari iura perſpexeris, de reliquis etiam meis viribus dubitare non poſ-*

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 13. tom. 2.

1. Ioann. 5.

poſſis. Igitur non ignoras, quod ex quatuor elementis ipſe conſiſtis; ſed dum eorum tria per reliqua corporis membra ſubſidunt, Omnipotens Creator mihi excellentiorem dignitatem, & velut quamdam Principatus arcem inter alia contulit, dum me in ipſo capite ſedem habere conſtituit. Nam dum conſtet, quoniam phlegma ex aqueo humore gignitur, phlegma autem in capite ſit: nulli dubium, quin thronus aquæ in capite præſidere videatur. Vndè mirùm ſatis, quod liquidus humor tanto magiſterio in ſuperiori parte ſuſpenditur, vt ad inferiora minimè delabatur, excepto per arterias cerebri leniter defluat; & ſpiramen oris, vndè valeat egredi, velut oſtium petat. In quo nimirùm perſpicuè ſuperbia veſtra retunditur, quæ dum extrinſecùs poſitam dedignatur haurire, aſſiduè tamèn cogitur me inter oris ſepta verſari: &, vt ita loquar, me mecum fugis, dum quòcumque te verteris, ſine me eſſe non poſſis. Nàm ſicut aquimolum nequaquam poteſt ſine gurgitis inundantia frumenta permolere: ità me neceſſe eſt inter vtrumque humani oris molas ſine intermiſſione decurrere, vt ſua poſſit verba loquens lingua formare. Si ergò in omnibus his meo adiutorio indiges, mea opera neceſſariò vteris, cur in ſolo poculo meum habere contubernium dedignaris? Redi ergò ad me, fugitiue, reuertere vir ingrate, & qui tuæ per omnia es ſalutis obnoxius, ne videaris habere faſtidio nauſeatus.]

Hinc

13. Hinc PETRVS ad Monachum conuertens ſermonem, ſubiungit: [*At forſitan, inquies, doleo caput, langueo ſtomachum. Hæc ſunt emplaſtra mollium, hæc palliatio carnaliter viuentium Monachorum. Satis macra hæc cernitur excuſatio, cum ægrotos & aqua refoueat, & vinum frequenter occidat. Numquid enim Præcurſor Domini aliquando ægrotus elanguit, qui vinum, & ſiceram numquam bibit? Numquid Iacobus Alphæi medicos quæſiſſe legitur, qui iſtos liquores ex vtero matris ignoraſſe perhibetur? Iam verò, vt à ſeculi origine repetamus, mundus hic vſque ad ſexcenteſimum tertium Noe annum prorſus vinum ignoraſſe cognoſcitur: cum per tot curricula temporum obiiſſe quidem, ſed nullus hominum ægrotaſſe legatur. Sed cum in Geneſi dicitur: Cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam; velùt in laudem aquæ protinùs additur: Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus eſt in tabernaculo ſuo; ac ſi perſpicuè diceretur: quem diù aqua veſtitum ſine confuſione continuit, huius repentè vinum verenda nudauit. Cui ſententię benè etiam Salomon concinit, dicens: Vinum, inquit, apoſtatare facit etiam ſapientes. Loth quoque, qui & inter Sodomitas in caſtitate vixit, in monte poſtmodùm, percepto vino, cum vtraque filia neſciendo concubuit: & pudoris munditiam vinum in ſolitudine vna nocte ſuaſit amittere, quam diù inter tot adulteros ipſa non potuit Sodo-*

Ibid. vt ſup.

Geneſ. 9.

Eccl. 19.

ma violare. Sicque *factum eſt, vt Lotb, qui ea-tenùs in cunctis extiterat iuſtus, iàm in hac vna re peruerſo iure, Moab, & Ammon vnus vterque fieret & pater, & auus. Vndè non incongruè Sa-*
Prouerb. 20. *lomon: Luxurioſa, inquit, res vinum, & tumul-tuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens. Ad hæc reſpondet languidus noſter: Sed Apoſtolus, inquit, ſuo diſcipulo præcepit dicens: Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmita-tes. Vtinam, frater, ſic memoriter teneremus reli-quas ſacræ Scripturæ ſententias, quæ ieiunium prædicant, ſicut hanc vnam, quæ rigorem abſti-nentiæ ex diſcretione relaxat. Quare non ſic*
Ephes. 5. *reminiſcimur, quod idem Paulus alibi dicit: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Cur non*
Iſai. 5. *ita recolimus, quod Iſaias ait: Vel qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & vini fortes ad mi-ſcendam ebrietatem? Quare non ſic recordamur,*
Prouerb. 31. *illud, quod Salomon ait: Noli, inquit, Regibus, ò Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas: ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis? Sed & iſtud Pauli, quod mihi tàm libenter obijcis, & alia huic ſimilia, qua di-ſcretionis arte præcipiat, ipſe alibi manifeſtat, cum dicit: Hoc, inquit, ſecundùm indulgentiam,*
1. Corint. 7. *non ſecundùm imperium dico. Enimuerò in his, quæ ſecundùm indulgentiam permittuntur, magis pla-*

Digitized by Google

placet ſæpè diſcipulus, ſi iuſſionem ſimpliciter præterit, quàm ſi promptus obedit. Quod facilè perpenditur, ſi quod Ieremias narrat, ad memoriam reducatur; ait enim: Verbum, quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens: Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in vnam exhedram theſaurorum, & dabis eis bibere vinum. Ecce præceptum diuinitùs datum: vbi etiam paulò poſt ſubditur: Et poſui coràm filijs domus Rechabitarum ſcyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum. Ecce, quod, Deo auctore præcipitur, quod Prophetæ miniſterio denunciatur, nequaquam cognoſcitur fuiſſe completum. Sequitur enim Scriptura, & dicit: Qui reſponderunt: Non bibimus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſque in ſempiternum. Sed numquid in hac reluctatione Deus offenditur? Numquid hoc illis ad inobedientiam reputatur? Sed audi quid illis poſtmodum Diuina vox dicat: Pro eo, quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. O felix inobedientia, quæ tanti Iudicis digna fuit habere præconium, quæ Diuini obſequij perpetuum meruit famulatum! Felix, inquam, inobedientia, quæ non Ier. 30. & deincepſ.

enim-

animaduerſionis iudicium ſenſit, ſed Diuinæ remunerationis præmium reportauit.]

14. Ita PETRVS. Et quid ad hæc dicitis obſeruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates, & ſequaces eius docent, animas ſaluas facere in hoc mundo: Chriſtus, & eius diſcipulus perdere. Quemnàm vos è duobus ſequi Magiſtrum eligitis? At manifeſtum ſe facit, qui ſic diſputat; hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel ſtomacho nocet. Profectò vnuſquiſque, quod à ſuo magiſtro didicit, hoc in medium profert. Nùm in Euangelio legiſtis has differentias, aut in Prophetis, aut in litteris Apoſtolorum? Caro, & ſanguis profectò reuelauit vobis hanc ſapientiam, non ſpiritus Patris. Quid enim aliud de Chriſti auditorio ſonuit, niſi: Qui amat animam ſuam, perdet eam, ſiuè ponendo, vt martyr, ſiuè affligendo, vt pœnitens. Quamquàm genus martyrij ſit ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quod membra cæduntur, ferro, horrore quidèm mitiùs, ſed diuturnitate moleſtiùs. Nonnè videtis & hac ſententia magiſtri, & venerabilis, ac ſtrenui diſcipuli, eiuſque monitis carnis ſapientiam condemnari, per quam vtique aut in luxum voluptatis diſſoluitur, aut ipſa quoque bona valetudo corporis, vltra quam oporteat, appetitur? Quid enim prodeſt temperare à voluptatibis, & inueſtigandis diuerſitatibus complexionum, ciborumque veritatibus exquirendis, quotidianam ex-

Ex D. Bernard. ſerm. 30. in cant.

pen-

pendere curam? Legumina, inquit, ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melanconiam, choleram porri accendunt, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua meæ penitùs complexioni non congruunt. Quale eſt hoc, vt in tot fluuijs, agris, hortis, cellarijſue reperiri vix poſſit, quod comedas? Puta te, quæſo, Monachum eſſe, non medicum, nec de complexione iudicandum, ſed de profeſſione. Parce obſecro primùm quieti tuæ, parce deinde labori miniſtrantium, parce grauamini domus, parce conſcientiæ. Conſcientiæ dico, non tuæ, ſed alterius, illius videlicet, qui propè ſedens, & edens, quod ſibi apponitur, de tuo ſingulari ieiunio murmurat. Scandalo quippè eſt ei aut tua odioſa ſuperſtitio, aut duritia, quam fortè putat illius, qui tibi habet prouidere. Scandalizatur, inquam, in tua ſingularitate frater, iudicans te ſuperſtitioſum, tamquam ſuperflua quæritantem: aut certè illum durum, qui præſidet, vtpotè, qui tibi non perquirat victui neceſſaria. Et, vt Beatiſſimus PETRVS animaduertit, fruſtrà ſibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli hortantis diſcipulum non bibere aquam, ſed modico vti vino propter ſtomachum, & frequentes ſuas infirmitates. Nam attendere debent primùm quidem Apoſtolum, minimè ſibiipſi rem iſtiuſmodi ſuadere, ſed nec diſcipulum æquè expoſcere ſibi. Deindè non Monacho hoc intimari, ſed Epiſcopo, cuius

vita teneræ adhuc, & naſcenti Eccleſiæ pernecesſaria eſſet. Timotheus hic erat. Detur alter Timotheus, & ſi libet, poſtea cibetur etiam auro, & balſamo potetur. Cæterum nos nobiſmetipſis diſpenſamus miſerti noſtri. Suſpecta eſt hæc noſtra in nos diſpenſatio, & timendum ne hæc ſub tegmine, & nomine diſcretionis à carnis prudentia procedat. Saltem id admonitum teneamus, vt ſi nobis ita auctoritas Apoſtoli placet de bibendo vino; modico, quod ille adiunxit, non prætermittamus: & ſi Venerabilis Noſtri Patris de bibenda aqua conſilium omninò ſequi non poſſumus; cur vinum ſaltem aquatum non admittimus? Omnes nimirùm, ex quo Monachi ſumus, infirmos ſtomachos habemus, & tam neceſſarium Apoſtoli de vtendo vino conſilium meritò non negligimus: modico tamen, quod ille præmiſit, neſcio cur prætermiſſo. Et vtinam vel ſolo, cum etiam purum eſt, contenti eſſemus. Pudet dicere, ſed magis pudeat actitari: & ſi pudet audiri, non pudeat emendari. Videas vno prandio ter, vel quater ſemiplenum calicem reportari, quatenus diuerſis vinis magis odoratis, quàm potatis, nec tam hauſtis, quàm attactis, ſagaci probatione, & celeri cognitione vnum tandem è pluribus, quod fortius ſit, eligatur. Quale eſt autem illud, quod nonnulla Monaſteria ex more obſeruare dicuntur, in magnis videlicet Feſtis vina delibuta melle, pigmentorum reſperſa pulueribus in Conuentu bibere? Numquid & hoc

Ex ipſo D. Ber. in Apolog. ad Gulielm.

& hoc fieri dicemus propter infirmitatem ſtomachi? Aut potius, niſi vt vel amplius bibatur, vel delectabiliùs? Sed cum venæ fuerint vino ingurgitatæ, toto in corpore palpitantes, ſic ſurgenti à menſa, quid aliud libet, niſi dormire? Si autem ad vigilias ſurgere indigeſtum cogis, non cantum, ſed potius planctum extorquebis.

15. Quia igitur aquam bibere nolentis ex ore Viri Beatiſſimi infirmitatem expendimus; ex ipſomet mortificationem bibentis vinum ad correptionem noſtram præterire non debemus: [*Vidi Pomposiæ Monachum*, inquit, *apprimè Diuinæ legis*, *& diſciplinis regularibus eruditum, qui, vt ferebatur, hoc cum aſſidente ſibi fratre parili conuerſione pepigerat: vt appoſita cuique vini, ſicut mos eſt, perſonaliter obba, vterque quotidiè vtriuslibet menſura contentus eſſet. Nimirùm, vt ex eo, quod vni competeret, duo ſe ſub ſobrietatis moderamine ſubſtentarent: cum verò ſocius ille deeſſet, in ipſo ætatis ardore, qui nimirùm eo loci feruentior incumbit, eo vſque in propria obba vinum aceſcere permittebat, vt ſcaturescentes in ea vermes ſæpiùs reperiret. Martinus itaque decaluatus, hoc quippè ei vocabulum erat, ad extrema perueniens, cum eius totum corpus hydropis humore immaniter intumeſceret, omnes nos, qui lectulo videbamur aſſiſtere, petijt, vt eum dignaremur ſcopis ſigillatìm quilibet verberare. Cumque ſic in fide perfecta, & ſancta fuiſſet confeſſione defun-* Opuſc. 49. c. 9. tom. 1.

ctus, cuidam poſtmodùm fratri in viſione apparuit. Erat autem in cuiuſdam ſplendidiſſimæ regionis vernanti, & florido nemore, candida decoratus ſtola, & fulgido præclarus aſpectu; recumbebat autem in lectulo tegumentis inſignibus, & mirificis adornato.]

C A P. XV.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in corpore, quod acerbè cruciando, licet ſenio confectum, numquàm pœnitentiæ rigorem relaxandum docet.

Vid. ſup. lib. 1. cap. 16.

1. VOx igitur PETRI ſuper aquas, vtpotè qui ſemper bibit aquam de ciſterna ſua, & fluenta putei ſui, & fontes eius deriuati ſunt foràs, & in plateis Eremiticæ, & Monaſticæ conuerſationis aquas ſuas diuiſit; licèt Dominus, videns afflictionem Serui ſui, & ſciens dolorem eius, conuerterit aliquandò aquam eius in vinum, & in mirabilibus ſuis dederit ei bibere vinum ſuum cum lacte ſuo, vt comederet amicus, & biberet, & inebriaretur chariſſimus.

2. At quamuis PETRVS tùnc accepiſſet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, qui nolentem quodammodò coegerat ad bibendum, vt magnificentia Diuina, & Regia dignum erat; nihilominùs cum guſtaſſet, noluit bibe-

Digitized by Google

bibere; immò iam ſenio confectus ſtomacho, & viribus fractis, ſuper aquas refectionis ſemper educauit ſe, animam ſuam conuertit.

3. Hinc hortari potuit ſenes contra corpora ſua certare vſque ad mortem, & neſcire impedimentum ætatis, contemplatione imminentis retributionis: hæc illis dicens: [*Vos etiam, ſancti ſenes, præterire non debeo, quos vtique tantò neceſſe eſt fieri cautiores ad prælium, quantò conſpicitis ipſum vobis præliandi terminum iàm propinquum. Vndè conſtat, quia ſi nunc perditis, amiſſæ victoriæ titulos recuperare de cætero non poteſtis. Nunc igitur ad fortiter agendum feruens animus incaleſcat, & ſenilis ad debellandam vitiorum barbariem robur iuuenile concipiat. Iamiàm profectò in limine municipij pedem ponitis, iàm ad feliciſſimæ quietis otium mediantibus dumtaxàt foribus propinquitatis. Abijciatur ergò deſidia, deponatur inertia, & non tranſacti longi fortè laboris memoria retrahat, quos ſubiectæ pœnæ iam oculis oblatio mercedis inuitat. Rimator auri, quò profundiùs terræ venam effodit, eò robuſtiùs, atque feruentiùs ſe ad explendum id operis, quod reſtat, accingit. Nec tàm præteritus labor vires eneruat, quàm ſpes theſauri iam iamque propinqui ad egerendi ruderis ſtudiom prouocat. Sine cauſa ientaculum inhiat, qui pronubus ad conuiuium nuptiale feſtinat: ecce enim tauri Euangelici, & altilia occiſa, & omnia ſunt parata: inſuper,* Opuſc. 13. c. 25. tom. 3. Matt. 22.

&

& vox præconis: Venite, inquit, ad nuptias. Cur ergò præuenire delicias appetit, qui ad nuptiales dapes epulaturus accedit? Cur ructare antè vult, quàm diſcumbere? Cur porcorum ſe ſiliquis ſatiat, qui ad epulas properat Angelorum? Cur ſe non ab omni nunc voluptatum ſuarum famelica ſatietate coerceat, quem ſumma, ac perfecta beatitudo gloriæ Cœleſtis expectat? Cur non linguam ſuam à fabulis nunc, & vana verboſitate refrænat, qui Verbum ipſum, per quod facta ſunt omnia, præſentiſſima in perpetuum contemplatione proſpiciat? Cur ſe pro diſciplinæ cenſura ab aſpectibus non remoueat hominum, qui ad curiam tendit Imperatoris æterni, & Cœleſtium Senatorum? Cur aſperis exhorreat contegi veſtimentis, qui ſtola induendus eſt immortalitatis?

4. *Non ergò nos pigeat à cunctis mundi delectationibus ieiunare, vt omnium deliciarum Cœleſtium copijs mereamur affluere: nec mens noſtra hæreat creaturis, ſed amplexus potiùs inhiet Creatoris. Quiſquis enim de longinquo veniens aulicis liminibus appropinquat, vecordiæ arguitur, ſi fabricis intentus ad Regis faciem non anhelat: nec à ſpe fortiter agendi effœti corporis debilitas frangat, quia ſi ſpiritus adeſt cordi, conſequenter etiam vires artuum viſceribus adminiſtrat. Vndè &* Ioſ.14. *Caleph, quia mandata Dei feruēter impleuerat, iuuenili robore vegetus aiebat: Hodie octoginta quin-* Deuter 14. *que annorum ſum, ſic valens, vt eo valebam tempore,*

pore, quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat tam ad bellandum, quàm ad gradiendum. Hoc eſt ſcilicet, tam in reſiſtendo vitiis, quàm & per Religionis tramitem in bonis operibus augmentandis. Et in Deuteronomio: Moyſes, inquit, centum & viginti annorum erat quando mortuus eſt; non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt. Hinc eſt etiam, quòd in benedictione Aſer ipſe dicit: Ferrum, & æs calceamentum eius: ſicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua. Deuter. 33.

5. Nolite itaque, dilectiſſimi, velut extinctis iam vitiis ieiuniorum, vel vigiliarum, in quantum fas eſt, arma deponere; nolite, dum adhuc in ſtadio curritis, quaſi iam ſecuri deliciis lenocinantibus indulgere. Familiare quippè eſt ſenibus ieiunare, & licet cibos ſæpè debilitas appetat; naturæ voluntas inſita cum ieiunio, & ſobrietate concordat. Inuitatur Berzellai Galaadites ad requiem: Veni, inquit Dauid Rex, vt requieſcas ſecurè mecum in Ieruſalem: ſed opponit ſenectæ ſtuporem, & excuſat epularum Regalium voluptatem. Vndè perpenditur, quàm quietus, quàm certè benè moratus fuerit iſte ſenex. Quomodò enim non eſſet rei familiaris, ſi contingeret, egeſtate contentus, qui Regalis menſæ dapes deſpicit inuitatus?

6. Habemus denique ſenem, in Monaſterio ſcilicet Sitriæ, vocabulo Mainardum, quem ſcilicet adhuc

Digitized by Google

adhuc paludatum cum admonuiſſem, vt Monachus fieret, vt verboſus, ac mordax ſemper extiterat, in typum quodammodò iurgioſæ reſponſionis erectus: Ecce, inquit, ancillæ meæ quotidiana me ſedulitate vndique confouent, & miniſtrant, & ſic vix vtcumque ſubſiſtere valeo: quo igitur pacto potero ſpiritualis inſtituti iter arripere, qui abſque vlla diſciplinæ ſarcina me ipſum penè nequeo ſaltèm pedibus ſuſtinere? Verumtamen paulò poſt, quibus annitentibus neſcio, ecce factus eſt Monachus: qui nimirum iam ſenex, & languidus cum tanto feruore cœpit, vt grandæuis, atque maturis ſani ſcilicet conſilij viris miraculum, iuuenculis autem Monaſterij lubricis, atque laſciuis fieret in deriſum. Qui profectò lacerantes eum detractionibus, & verbis mordacibus obrodentes, numquam eum à ſui rigore propoſiti in tantum potuere deflectere, quin adhuc per dies ſingulos Pſalteria quatuor expleat, quatuor nihilominus per hebdomadam dies abſque vllo cibo, & potu tam æſtiuo, quàm hyberno tempore tranſigat. Hoc tamen adhuc de priſco more ſeruatur, vt menſem vnumquemque ſic dedicet, quatenus in prima cuiuſque menſis hebdomada, niſi Dominica die, vel quinta feria, penitùs non manducet: eſt autem iam, niſi fallor, in ſacro conuerſationis habitu duodennis, & hic quidem in Conuentu fratrum.

7. *Eſt autem & alius intra cellulæ ſepta concluſus, Leo videlicet Prezenſis; vir videlicet tam*

decre-

decrepitus, vt qui eorum obitus recolit, quos ille parùm naſcendo præceſſit, quibuſque ſimul viuendo conſenuit, ſenex ſit. Hic igitur in tam effœti, ac tremuli corporis grauitate vinum, niſi duabus, vel fortè tribus anni præcipuis feſtiuitatibus, numquam bibit. Ante horam nonam præter Dominicos *dies numquam comedit: duabus in hebdomada diebus, quando ſcilicet indulgentiùs viuit, pulmentum præter vnum prorsùs aliud non admittit. Sic autem orationis eius ordo diſponitur, vt quotidie ſiue per æſtatem, ſiue per hyemem vnum Pſalterium cum* Canticis, *& Litanijs ſuis ante nocturnas Eccleſiæ vigilias expleat: ſecundum autem Pſalterium ab Auroræ crepuſculo vſque ad horam ſextam pro defunctis cum nouem lectionibus canat: tertium verò Pſalterium cum* Gloria *iterum cum ipſo adueſpereſcentis diei fine concludat.*

8. *Habet autem hanc gratiam, quam in nullo vmquam quantæuis perfectionis viro deprehendere potui, videlicet, vt pſallenti numquam ſe cogitatio ingerat: tantaque cordis in eo puritas viget, vt abſque vlla reſiſtendi moleſtia, nihil omninò mens cogitet, quod à pſallentis ore diſcordet. Illud etiam valde mirandum, quia numquam eius oculos accidiæ tædium deprimit. Adde etiam, quod cum præ ſenectutis caligine faciem hominis diſcernere nequeat, litteras diſcernit, & legit, quotidie Pſalterium bis lectitando percurrit.*

Digitized by Google

9. Hoc quoque ſtupendum, quia intra cellulam poſitus, vbi nimirum ſubobſcura lux eſt, litteratim ſcripturæ diſcernit articulum: egreſſus autem, vbi liberior videndi facultas eſt, apices non agnoſcit. Sic autem mihi ſubtiliter ſciſcitanti ſæpius ipſe profeſſus eſt: nulla iam carnis certamina tolerat, nulla mentis, vel ad momentum quidem vagatione laborat. Crucifixus igitur huic mundo, iam penè, quæ ſunt humana, non ſentit, ſed totus azimus, totuſque ſincerus, vt ità fatear, Angelus viuit.

10. Ecce, dilectiſſimi, cum multa ſuppetant, duo tantùm exempla propoſui; vnum communis, ſolitariæ alterum vitæ. Quibus nimirùm manifeſtè colligitur, quia vbi feruidi ſpiritus ardor incanduit, ſenilis ætas à boni operis ſtudio non torpeſcit, ſed ſicut ſerpentem coſtis dumtaxat, non pedibus innitentem, viuax ad currendum ſpiritus euehit; ſic ſenilia membra per ſpiritualis militiæ ſtudium Diuinus amor impellit. Qui enim nondum habemus manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus, in qualibet hic ætate ſperare requiem non debemus; in huius quippè mundi ſalo iuſti laborant, vbi ſuam reprobi poſſident requiem. Quam videlicet diuerſitatem benè coruus ex Arca dimiſſus, & columba ſignificant. Coruus quippè cadaueribus inſidens, ad Arcæ clauſtra non redijt; columba autem reuerſa eſt, quia vbi pes eius requieſceret, non inuenit. Hic enim vbi praui quique

ean-

carnalibus ſe voluptatibus ſatiant, ſancti viri reperiri nequeunt, vbi ad quieſcendum deſiderij ſui pedem ponant. Hinc eſt etiam, quòd qui peccaſſe deprehenditur, quadraginta verberibus atteri per legis mandata iubetur. Quadragenarius quippè numerus totum hoc tempus per myſterium comprebendit, quo Sancta Eccleſia per quatuor partes mundi diffuſa, ſub Decalogo legis viuit. Quadragenario ergò numero delinquentes cædimur, ſi in hoc tempore pœnitentiæ verberibus caſtigamur. Debet itaque peccator quiſque, ſiue ſenex ſit, ſiue iuuenis, temporalibus atteri, vt purgatus in iudicio valeat inueniri. Eos enim nulla illic animi aduerſio affligere poterit, quos hìc cuiuſcumque ætatis, conditioniſue fuerint, perfectæ pœnitentiæ diſciplina percuſſit.]

11. Et reuera Vir Beatiſſimus in ſenectute ſua ità ſibi ſenex non videbatur, vt magis ſibi ipſi iueneſceret animi fortitudo. Iam non ferebant ſenilia membra pœnitentiæ pœnas, & nihilominus inflexibilem in ſui mortificatione mentem gerebat, ne ſenex aliquo remiſſioris vitæ exemplo incentiuum fieret iuuenilis erroris, qui hucuſque fuerat ſalutaris forma inſtituti; neque totius vitæ labores addiceret breui viatico ſenectutis. Sciebat enim, quòd ſenectus portus debet eſſe, non vitæ ſuperioris naufragium; & ideò, licet ad decrepitam perueniſſet ætatem, & præter incommoda ſenectutis, etiam tot, & tantis infirmitatibus, vt ſupra vidimus,

Ex D. Ambroſ. de Iacob., & vita beata lib. 2. cap. 10.

Ex D. Bernard. ſerm. de obitu Humberti.

mus, laſſatus, atque quaſſatus fuiſſet; erat tamen, vt dicitur, animus victor annorum, & cedere neſciens ætatis infirmitati.

12. Quàm verò ægrè tulerit, quemlibet etiam ſanctæ, etiam piæ operationis prætextu, pœnitentiæ, & abſtinentiæ laborem abijcere; liquidò apparet ex illo, quod ad ſuos Eremitas ſcripſit, Opuſculo; vbi poſtquam præmiſit; quòd naturaliter hoc morbo humana laborat infirmitas, vt ex continentiæ rigore facilè corruat, ad virtutum verò ſtatum, diſciplinamque viuendi difficulter aſſurgat; vndè fit, vt cum diſtrictum quid pro Deo arripere nitimur, ſoli viam laboris neceſſe eſt, vix aliquo comitante, carpamus; quod ſi nos quantumlibet ad voluptatis fluxa remittimus, vltroneos præſtò ad imitandum nos quamplures ſocios inuenimus: poſt multa ſubiungit: [*Nonnulli planè, quod prætereundem non eſt, ſpiritualis militiæ fratres ſub hac occaſione in prædictis vigilijs viċtitant, vt ad perſonandas Eccleſiaſtici melodias officij robuſtius conualeſcant. Sed ſi non tàm humanas, quàm Diuinas aures cupimus ex vocum noſtrarum, quantumlibet accurata ſuauitate mulcere, corporis noſtri tympanum celſius intonabit ſiccum, quàm liquore vini, vel olei pinguedine delibutum: meliuſquè eſt, vt pro labore ieiunij cantilena ſub ſobrio diſcretionis moderamine temperetur, quàm vt pro ſuperſtitione canendi, ſæcularibus à ſpirituali ordine diſſolutionis præbeatur*

Opuſ. 55. init. tom. 3.

Ibid. cap. 2.

exem-

Digitized by Google

exemplum. Et certè ſi vigiliarum placet inſtantia, liberiùs vigilamus abſtemij, quàm vini ſaporantis ebrietate grauati.]

13. Demùm quis mihi det, vt ſcribantur in pectore noſtro ſermones PETRI, quos ſcripſit in Opuſculo de perfectione Monachorum? Quis mihi det, vt exarentur in libro, ſtylo ferreo, vel plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice ante oculos cordis noſtri; dum quod locutus eſt de Sancti Patris Benedicti Regula, procùl dubio recentioribus cunctis eò magis conuenit, quò ſancti nouorum Ordinum Inſtitutores cum infirmioribus nobis infirmiores factos quodammodò eſſe conſpicimus? Dicit igitur: [*Sancta Regula quaſi ampla quædam capax, & ſpatioſa domus facta eſt ad omnia hominum genera capienda, pueros videlicèt, & ſenes; fortes, & debiles; delicioſos, & multimoda morum inæqualitate diuerſos. Non ergò debemus vana noſmetipſos ſecuritate decipere, nec omnem clementiam Regulæ noſtris quaſi licenter vſibus arrogare. Licèt enim via publica cunctis itinerantibus pateat, indiſcretus ille viator eſt, qui totam occupare diuaricatis greſſibus tentat. Singulorum totus eſt fons, qui in medio profluit; ſed inſolenter agit, qui totum vendicare proprijs vſibus concupiſcit. Ita nimirùm & de remiſſione ſanctæ Regulæ dicimus, & hortamur, vt vnuſquiſque frater, qui de ſua eſt ſalute ſollicitus, ad poſſibilitatis ſuæ conſcientiam redeat: & de remiſ-*

Opuſc. 13. c. 7. tom. 3.

miſſione Regulæ non tàm quod licet, quàm quod neceſſitas poſtulat in proprios vſus aſſumat. Aliud quippè quod ex auctoritate præcipitur, aliud quod miſericorditer indulgetur. Sed quod præcipitur, non ſine peccato negligitur; quod autèm indultum eſt, bonum eſt, ſi dimittitur; non malum eſt, ſi completur.]

C A P. XVI.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in corpore; vndè corporis afflictationem commendat, & diſcipulorum ſuorum inſignia pœnitentiæ refert exempla.

1. TAnti verò faciebat Vir Beatiſsimus, vt illi, qui viuebant per pœnitentiam, in mortem quotidie traderentur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtaretur in carne eorum mortali; & ſeminarent in corruptione, vt ſurgerent in incorruptione; ſeminarent in ignobilitate, ſurgerent in gloria; ſeminarent in infirmitate, ſurgerent in virtute; ſeminarent in corpore animali, vt ſurgerent in corpore ſpiritali: quòd in exceſſu mentis ſuæ aliquandò ſupra numerum, ſupra menſuram diſcretionis, laudauerit pœnitentiam agentes; vndè Damianum nepotem non commendare non potuit, qui nimio feruore, inaudito pœnitentiæ rigore cor-

Digitized by Google

corpus ſuum cruciauerat; hæc illi ſcribens.

2. *Si Deus, qui populum ſuum ex ergaſtulo Pharaonis eduxit, eius in deſerto dux eſſe deſiſteret; Iſrael ad terram repromiſſionis attingere nullatenùs potuiſſet. Egebat enim, vt haberet itineris ducem, quem habuerat egreſſionis auctorem; vndè & Abrahæ dixerat: Veni in terram, quam monſtrauero tibi. Quod enim non ait, vade: ſed potius: veni, futuri ſe comitem pollicetur itineris. Quod verò ſubiungit: in terram, quam monſtrarere tibi, patenter oſtendit, quia, quem prouocabat, vt de terra natiuitatis exiret, vſque ad metam conſummatæ perfectionis ductor exiſteret. Tibi quoque non abſimile quid cœpiſſe contingere valdè gauiſus ſum, dùm nonnulla nouitij tui feruoris inſignia veracis admodum viri fratris Vbaldi relatione cognoui. Ait enim inter cætera, quia dùm tanta brumalis algoris inclementia tunc in illis Alpibus inhorreſceret, vt congeſta niuium moles quarumlibet tegetum, vel domorum culmina ſuperaret; tu proiectis veſtibus nudum te in illa niualium ruderum profunda latenter immergeres, ibique te quidam fratrum penè ſeminecem reperiſſet. Cui dùm te ſeueriùs, vt dignum erat, argueret; diceris reſpondiſſe: Caro me conatur occidere, ſed eam ego potiùs occidam: & poſtmodum non quidem ſub dio, ſed ſub quo, neſcio, repertus es ædificio in niue ſimiliter prouolutus. In quo nimirùm facto, licet regularis non ſit diſſimulanda*

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 22. to. 1.

Geneſ. 12.

con-

correptio, malo tamen, vt modum diſcretionis in aliquo nimius feruor excedat, quàm degeneres animos deſidis ignauiæ torpor aſtringat. Licet enim & hoc vitium ſit, quòd limitem diſcretionis excedis: melius eſt tamèn te nimij feruoris argui, quàm fœdo deſidiæ morbo notari.]

3. Nec mirum, ſi hæc parua, & propè nulla exiſtimabat ille, qui maiora his fecit, & tantùm ſpiritu viuens, præter oſſa & pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videbatur; & quotidie Baptiſmum prædicabat pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, vt videret omnis caro ſalutare Dei noſtri. Mirandum autem potiùs, quomodò floruit Auellanenſis vinea eius: ſi flores verborum eius, fructus dignos pœnitentiæ parturierunt, ſi diſcipulorum eius mala punica floruerunt, & ſi imitatorum eius odorem dederunt mandragoræ.

4. In portis quippè ſuis omnia poma noua & vetera auſteritatis, & pœnitentiæ ſeruaſſe videtur Virum admirabilem digna Dilecto ſuo ad edendum, & dentibus eius ad rùminandum. Vnde Theuzoni Eremitæ ſcribens: [*Sed ò vtinam præſens adeſſes*, inquit, *& quid in his ſiluis ab ignotis, atque deſpectis agatur, oculo iudicante, perpenderes! Tamen, vt ſe, ſi fortaſſe ineſt tumor arrogantiæ, deprimat, vel breuiter aliquid te de illorum conuerſationibus erudire non pigeat. Nàm vt omittam de continua fragilitate, & penuria veſtium, de rigore ſilentij, de iugi inſtantia remotio-*

Opuſc. 51 c. 4. tom. 3.

tio-

tionis, nonnulli apud nos ſunt, qui inter cætera diſtrictionis impendia, tanta cenſura à vini perceptione ſe cohibent, vt iàm penè per decennium nec in Paſchalibus quidem feſtis de prædicto liquore guſtauerint: quorum videlicèt aliÿ ſunt iuuenili adhuc flore vernantes, aliÿ iam ad venerandæ ſenectutis maturiora vergentes; aliÿ etiam ouis, & aceto ſe nihilominus priuant; plerique autem ſaginis, ouis, & caſeo tamquam carnibus abſtinent.

5. *Quemdam habemus in cellula ruſticum idiotam, Martinum Storacem, vix quinquaginta Pſalmos vtcumque babutientem, eoſdem tamen per dies ſingulos, ſubiectis ſemper Litaniÿs, ſeptiès iterantem. Qui iam per tria fermè luſtra non prodÿt, ſed neque capillos totondit, neque barbam raſit. Hoc ſiquidem & ipſi crines euidenter aſſerunt, qui iamiam fortè prolixiores illo talo tenus fluunt; quamquàm nos hoc diſtrictionis genus minimè probemus. Huius itaque continuò tenore talis eſt vita, vt tribus per hebdomadam diebus nihil penitùs comedat, tribus autem quamdam menſuram panis cum aqua percipiat: Dominicis autem, & præcipuis feſtis non quidem pulmentum, ſiuè liquamen aliquod, ſed quamdam ſibi frixuram quaſi edulium præparat. Quam ſanè vidiſſe, & non tetigiſſe, propemodum refectionem ducimus, guſtaſſe autem, vel etiam olfeciſſe, partem pœnitentiæ deputamus. Porrò autem duo in eius* Ibid. vt ſup. cap. 5.

cellula ſerpentes iam per plures annos, vt fertur, familiariter ſpatiantur. Qui etiam, vt ipſe fatetur, dum ille ſolo proſtratus, Litaniarum votis inſiſtit, circa caput eius hinc indè blanda mites alluſione diſcurrunt; & viroſi morſus obliti, tamquam patrifamilias domus clientelam deuotæ ſedulitatis impendunt. Ecce & venenatæ beſtiæ inter ſe exhibendo Monachis obſequio concordant, cum videlicèt ipſi Monachi viperina inuicem à ſe, proh dolor! immanitate reſiliant. Mirum, quòd tantum fœtorem eo loci, numquàm querulus, tolerat: mirum, quòd luculentam ad bibendum aquam per tot dies in dolio velùt ſentinam ſeruat, mutatoria numquam lauat, veſtes numquam mutat, niſi Euchariſtiam percepturus: quas tamen mox exuit, & ad id munus propter munditiam in tuto reponit. Niſi poſt Solis occaſum numquàm accipit cibum, ſeruata tamen diebus Dominicis reuerentia, in quibus videlicet circa ſextam horam, vnam ex his, quæ pro Sacramentis fiunt, oblatiunculam percipit, & ſic propter Regulam ieiunium ſoluit. Quid autem de inopinatis eius vigilijs dixerim? Quandoquidèm mihi ipſe retulerit: Die quidem, inquiens, nullo tempore quietem membris indulgeo: veſperè autem pſallens, & orans tunc demùm ſopori viſcera fatigata concedo, cum iam iam nocturnæ ſynaxis articulum propinquantem cognoſco, quatenùs mox, vt corpus ſopor irruens totis viribus occupat, repentè illum

quaſi

Digitized by Google

quaſi tintinnabulum feriens, ab audacis violentiæ inuaſione depellat.

6. *Sed dùm in vnius viri virtutibus enumerandis prolixiùs immoror, ab aliis vel ſummotenùs perſtringendis, longa mora prodiente, retardor: veniam autem ad Dominum meum Leonem, & verè Leonem, qui antiquum draconem, caput ſcilicèt, auctoremque malitiæ continuis ad bellum concertationibus prouocat: & ab ipſo impuberis adoleſcentiæ tyrocinio vſque ad prouectam iam ſenectutem, tamquam conſertis cominùs armis aduersùs illum infatigabiliter pugnat. Verè, inquam, Leo, qui & mundum peruigil dormit, & diuinæ contemplationi quodammodò ſoporatus intendit. Quid vltra de hoc viro dicendum eſt, quàm quod videmus illum, & mundo mortuum, & Cruci Chriſto confixum? Hic nempè perfectæ mortificationis eſt norma, hic ſingularis vitæ regula, hic ad perfectionis apicem feſtinantibus imitabilis diſciplina. Quidquid ferè diſtrictionis, quidquid continentiæ ſuperiùs dictum eſt, in hoc viro conſequenter intellige; præcipuè tamen in eo Charitatem, & manſuetudinem, & humilitatem venerare. Sermo denique eius dulcis adinſtar mellis, ſolatur mœſtos, docet inſcios, concordat iratos. Quis enim correptionis illius auſteritate deterritus non redire diſpoſuit? Immò quis quantalibet ingruentium tentationum preſſus caligine, ſine conſolatione receſſit? Benè ſiquidem currentibus blan-* Ibid. vt ſup. cap. 6.

dum; delinquentibus ſe præbet auſterum. Sed hoc modò, vt & blanditiam in auctoritatem auſteritas erigat, & eamdem auſteritatem blanda rurſus manſuetudo compeſcat. Rigor autèm abſtinentiæ in eo tantus eſt, vt in eius facie imago potiùs, quàm viuentis hominis corpulentia videatur. Percunctanti olim mihi, quod poſſem inuenire ſolatium, quia tamen exiguæ menſuræ panis mihi inter ipſa ieiunia videretur; tale dedit præſto conſilium: alijs, inquit, diebus medietatem tibi menſuræ illius appone, die autem illa, qua relaxare aliquid de conſuetæ regulæ cenſura volueris, totam tibi ſummam præfixæ quantitatis indulge; & tunc ſufficiens erit raro cenſum, quod nunc modicum videtur indifferenter oblatum. Hoc autem in tantæ anguſtiæ neceſſitate remedium, vtcumque ex conſulentis merito placuit, ſed curioſa meæ edacitatis intentio, fateor, non quod præſtolabatur, audiuit. Nuper etiam mihi inter familiaria mutuæ collocutionis verba ſubintulit: Frater, inquit, mi, faciunt alij magna quædam, prout gratia illis Diuina præſtiterit; infirmitati autèm meæ non erubeſco ſufficere, ſi per dies ſingulos duos annos pœnitentiæ poſſim implere.

7. *Sed cur ego in ſingulis immoror, qui tantam virorum illuſtrium denſitatem mihi imminere contemplor? Prætereo igitur dominum meum Lupum, verè videlicet manſuetudinis agnum. Qui profectò & antequam ſe carceri, quem pro-*

ater-

æterna libertate nunc incolit, perpetim incluſiſſet, per trium circiter annorum continuata curricula vinum non bibit, nullumque ſibi pulmenti liquamen indulſit. Tranſeo Petrum, qui nullum cubilis in cella ſua patitur ſupereſſe veſtigium, ſed nudum iugiter terit, ſiue hiberno, ſiue æſtiuo tempore pauimentum. Leonem quoque non numero, qui lumbos ſuos ſuper nudum ferrea ſemper catena circumdat, ne ſobrietatis limitem ſupergreſſio immoderatæ refectionis excedat.

8. *Sed ecce Leo rursùs alius occurrit, qui iam penè emenſæ ſenectutis oblitus, annoſum diù viuendo ſenium gerit: & licèt emeritus miles Diuini procinctus caſtra tyrocinali, vt ita fatear, feruore cuſtodit. Qui nimirum inter cætera dona virtutum, ſic vigiliarum ſtudio præeminet, vt nulla totius anni, vel perexigua nocte, prius à fratribus ad nocturnale conueniatur officium, quam ille Pſalterium moroſè habeat, decantando cum ſuis Litanijs, impletum; poſtmodùm verò, iuxtà morem Eremi, Pſalterium pro defunctis exoluit. Porrò autèm cum iam, vt fert opinio, centum quadraginta ætatis annos excedat, poſtquam ſe conſtanter incluſit, hac etiam lege conſtrinxit, vt quotidie ſe ſcopis grauioribus atterat: nullo etiam die, niſi celebrioribus feſtis, circa veſperam tantùm, comedendi conſuetudinem ſoluat. In omni tamen vita ſua numquam ſanguinem minuit, numquam antidotum ſumpſit. Illud quoque præte-* Ibid. vt ſup. cap. 7.

ne-

reundum non eſt, quia ſic oleo lætitiæ gratia illum Diuina perunxit, vt nec ſenilis grauitas triſtia ſibi ora contrahere, nec vita remotior in eius vultu potuerit rigidum quid, vel aſperum generare, ſed ſemper hilaris, ſemper lætus, ſemper occurrit vrbana quadam ſerenitate feſtiuus.

Ibid. vt ſup. cap. 8. 9. *Sed cur ego ſanctos commemorando viros diuerſa paſſim loca perluſtro? Quandoquidem intræ limen, & præ manibus teneo, ad cuius dignè efferenda præconia impar viribus non aſſurgo. Certè cellulis altrinſecùs conſtitutis, ſolo baſilicæ mediantis interſtitio, ego, illeque diuidimur: cuius ſi virtutibus enumerandis inuigilo, antè dies elabitur, quàm ſcribendi materia deficere poſſe videatur. Dominum dico, Doctorem videlicet, & Dominum meum: cuius quidem lingua ruſtica eſt, ſed vita artificioſa ſatis, & lepida, quæ ſanè vita ſatis vtiliùs ad ædificationem viuis operibus prædicat, quàm ſterilis quorumdam lingua, quæ accurata phaleratæ vrbanitatis verba inania trutinat. Longo iam annorum elabente circulo, ferrea ad carnem lorica præcinctus infœderabilem pugnam cum iniquis ſpiritibus conſerit: ſemper paratus ad prælium, non ſolùm corde, ſed & corpore præmunitus, aduersùs hoſtiles acies feruidus bellator incedit. Hanc autem continuæ vitæ conſuetudinem indifferenter habet, vt vix dies vlla prætereat, quia duo Pſalteria modulando, vtraque manu ſcopis armata, nudum corpus allidat,*

dat, & hoc remiſſiori quidem tempore. Nam Quadrageſimalibus circulis, ſiuè cum pœnitentiam peragendam habet (crebrò enim centum annorum pœnitentiam ſuſcipit) tunc per dies ſingulos, dùm ſe ſcoparum tunſionibus afficit, ad minus tria Pſalteria meditando perſoluit; immò & in hoc pleroſque noſter Dominicus ſuperat; quia cum nonnulli vnam manum in diſciplinis agendis exerceant; iſte vt reuera Beniamin filius Gera filij Iemini contra rebelles carnis illecebras, vtraque manu infatigabiliter pugnat; & centum annorum pœnitentiam, vt mihi ipſe profeſſus eſt, facile ſex diebus ex more conſummat.

10. *Memini quoque, quia cuiuſdam Quadrageſimæ imminentis initio mille annos imponi ſibi per nos ad pœnitentiam petijt: quos certè omnes, fermè antequam ieiunij tempus tranſigeretur, expleuit. Et cum eum iam & incurua ſenectus deprimat, & crebris inſuper languoribus contabeſcat; mirùm vndè illi tantus feruor incendat, vt in ſpiritualibus exercitijs ſemper inuictum, ſemper infatigabilem ſe reddat. Nàm, vt ipſo referente cognoui, ſæpè duo Pſalteria cum diſciplinis ſtando continuat; itaut neque interim ſedeat, neque vel ad momentum à percuſſionibus incredibili mentis feruore quieſcat. Inquirenti mihi aliquandò, vtrum poſſet cum ferreæ veſtis pondere aliquantiſper genuum flexibus inſudare, ſub hac mihi dedit obſcuritate reſponſum: Cum incolumi-* Ibid. vt ſup. cap. 9.

Digitized by Google

tas mihi votiua reſpondit, quandoque per omnes totius Pſalterij quindenos Pſalmos centies genua flectere conſueui. Quòd quidem tunc non diligenter attendi, poſtmodum verò, quod dictum fuerat, mente reuoluens, à depreſſo homine mille metanæas in vno Pſalterio fieri, admiratus expaui. Quadam die poſt veſperam, cellulam meam ingreſſus: Magiſter, inquit, (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate compellat) hodie feci, quod hactenùs me feciſſe non memini: octo nempè Pſalteria inter diem, & noctem modulanter expleui. Videbatur autèm tunc totus vultus eius ità ſcopis attritus, ac ſulcantibus quibuſdam vibicibus liuefactus, tamquàm ſi pila fuerit ptiſanarum more contuſus. Pſalmodia ſanè illi idcircò tam facilè prouenit, quia non tam verba, vt ipſe aſſerit, lingua perſtrepente reuoluit, quàm ſenſum mentis viuacitate percurrit. Aliquando à me remotus habitabat: cumque ad me ingreſſum, quibus tunc ſe vitæ legibus ageret, inquiſiſſem: reſpondit, ſe carnaliter viuere, & quintis ſemper ferijs cum Dominicis diebus à ſolito ſe abſtinentiæ rigore laxare. Requiſitus, vtrùm pulmento quolibet, ouis, vel caſeo veſceretur; negauit. Rursùs ſi piſcibus, aut pomis: Piſces, ait, & poma, ſi quæ ſunt, ægrotantibus præbeo, quorum non minimam multitudinem iacere in noſtris partibus ingemiſco. Cumque illum durus exactor in anguſto concluderem, dicens: Vndè ergò illis diebus remiſſiùs viuis,

ſi

Digitized by Google

ſi nihil eorum comedis, quæ neceſſe ſit vel ignibus decoqui, vel in arboribus inueniri? Reſpondit: Fœniculo, inquit, cum pane libenter veſcor. Mox nimirum peritè cognoui, quàm carnaliter homo viueret, qui ſuas delicias in fœniculo conſtituiſſet. Habet planè vberem lacrymarum gratiam, ſed alternam. Cum enim recluſus ſub diſtricto ſe ſilentio reprimit, mox vt voluerit, affluenter plangit: at ſi colloquio frequentetur, fletum ſe amiſiſſe conqueritur. Nàm & ego illi ſæpè penuriam meæ tarditatis impropero, dicens: Heu, inquam, mi Pater, iſtæ tuæ lacrymæ infœcundæ ſunt, quæ alias orando lacrymas parere nequeunt. Optarem namque, quod conſequens eſt; nimirùm, vt ſicut tu mihi Pater es, ita nihilominùs & tuæ lacrymæ mearum quoque lacrymarum fierent genitrices.]

C A P. XVII.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in corpore; vnde eiuſdem mortificationis cultores perneceſſaria quædam, & vtilia docet.

1. POſt hæc addit eidem Theuzoni: [*Poſſem tibi adhuc multa quidem, & alia non ignobiliora de his, qui nobis noti ſunt, fratribus ſcribere, ſi non magnoperè luxuriantis ſtyli fa-* Ibid. vt ſup. cap. 10.

faſtidium deuitarem. Vereor etiam, ne pagina hæc in manus eorum, de quibus loquitur, veniat; & eorum animos, qui laudari in hac vita laudabiliter execrantur, offendat. Et ij ſanè, quorum ſuperiùs mentionem feci, non elati, non famoſi, non certè vulgi opinione notabiles; ſed deſpicabiles, & pannoſi, ita ſe bonis omnibus inferiores iudicant, vt etiàm nobis ſe, noſtriſque ſimilibus quolibet conuerſionis indicio non præponant. Nobis autem ſcilicet conueſcentes non dedignantur communi menſa participare, immò tamquam ſuppares omne nobis Charitatis officium familiariter exhibent.]

2. Et reuerà Vir Beatiſſimus tanto pœnitentiæ labori, cui & ipſe, & ſui ſedulò incumbebant, hoc in primis ſuperaddere ſemper ſtuduit, ne iuſtitiam iſtam faceret coram hominibus, vt videretur ab illis, quòd mercedem haberet apud Patrem ſuum, qui in Cœlis eſt; ne quis de ſingularitate vitæ auſterioris extolleretur, ſed ſingularis in communitate, & nihilominus in ſingularitate communis exiſteret: tum quia ſine humilitate exercitatio corporalis ad modicum valet; tum quià inuentus theſaurus abſcondi debet, vt ſeruetur, dum in præſenti hac vita, quaſi in via ſumus, qua ad Patriam pergimus, & maligni ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident: vndè deprædari deſiderat, qui theſaurum iſtum publicè portat in via.

Ex D. Gregor. Hom. 11. in Euang.

Idcircò

3. Idcircò commendat Leonem Sitriæ; qui, quod ſibi euenerat, alteri, humilitatis ſtudiò, tribuiſſe narrauit. Nàm rogatus ab eodem PETRO, quisnam fuiſſet frater ille, de quo loqueretur, nihil ad eum pertinere reſpondit. Longè verò poſt, cum iam obliuio potuiſſet obrepere, inter cætera commemorans, quòd hoc ipſum ſibi accidiſſe profeſſus eſſet; Leo ita repentè conuentus, quod anteà ſe dixiſſe crediderat, de ſe negare non potuit. Et idem facere conſueuiſſe PETRVM, vt humanæ gloriæ in admirabili ſua pœnitentia fauores declinaret, ex his quæ Hildebrando ſcripſit, liquidò conſtat: [*Dixi ſiquidem*, inquit, *ſi oblitus non es, noſſe me ſeruum Dei, qui præter illas Quadrageſimas, quæ ſcilicet à Patribus inſtitutæ, ſuiſque limitibus per anni circulum ſunt præfixæ, alias occultè cartinas celebrat, quibus ſcilicet illices carnalium paſſionum appetitus frangat. Modò quippè per quadraginta dierum ſpatium piſcibus abſtinet, modò ſe vel à pomorum, vel etiam olerum, quæ ſibimet aptiora ſunt, perceptione coercet &c.*] Quæ quidèm, & his ſimilia ipſum mirabiliter peregiſſe ex ſupradictis videre eſt; & Io: diſcipulus eius teſtatur; quapropter docens ſuorum Eremitarum Priorem, dicit: [*Cuiuſcumque autem fortiter agentis exemplum, ſiquidem ex tuis eſt ſuppreſſa perſona, profer in medium: ſi autem extraneus, vocabulum exprimatur. Efficacius enim modernorum cobortantur exempla, quàm vete-*

Eod. Opuſc. 51 cap. 6.

Opuſc. 32. in init. tom. 3.

Io. diſcip. vit. cap. 18.

Opuſc. 15. c. 18

Digitized by Google

rum: & magnæ confuſionis pudor eſt, ſi cum ſanctis viris in vna ſimul ætate viuentes, in rectæ conuerſationis ſtudio eis in aliquo non reperiantur æquales. Quandoquidèm illos ſola mentium ingenuitas roborat, iſtos autem diuerſorum temporum debilitas non excuſat.]

4. Illud quoque eius exemplum admirabile fuit, & ijs omninò neceſſarium, qui tradunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia auſteritatis, & pœnitentiæ, vt hæredes fiant in domo Domini:

Io. diſcip. ibidem

„ [Quod cum corpus ſuum nimium fatigari „ pœnitentiæ labore conſpiceret; nequaquàm „ contemnendum ducebat, imbecillitati corporeæ „ diſcreta remiſſione aliquatenus ſubuenire: quò „ reſumptis iterum viribus, validior ad aliud poſ„ ſet redire certamen. Non vtique vitio, ſed vir„ tuti potiùs adſcribendum dicebat: ſi quis feſſa „ paulò brachia idcircò remittat, vt poſt robuſtior „ ad fortiter agendum conſurgat.] Quapropter de nouitijs: [*Studeat hoc* (ſcripſit) *nouitius, qui ardua tentans, anguſtum iter ingreditur: vt cum grauari vltra vires cœperit, mox ad latitudinem reuertatur. Acus quippè ſi duris violenter impingitur, niſi ex diſcretione retrahitur, neceſſe eſt, vt coacta frangatur; ſi autem ſutor eam more cerdonum & impellit, & retrahit, facilè quidquid ſoliditatis abſtiterit, penetrabit. Sic & nos in noſtræ conuerſationis initio, dum modò nitimur, modò remittimur, modò per dura, modò per aſpera*

Opuſc. 13. c. 22 tom. 3.

Digitized by Google

pera violenter inſiſtimus, modò nos remittendo laxamus, paulatim via panditur, vt omne, quod obſtiterat, ingenuè tranſeatur.]

5. Nolebat inſuper huiuſmodi auſteritatibus deditos, eadem menſura, qua metiebantur ſe ipſos, & alios metiri; vndè toties dicto Theuzoni Eremitæ: [*Si rectè tu,* inquit, *ſi diſcretè, ſi fructuosè per viam vis veræ religionis incedere, ſic tibimetipſi ſis auſterus, & rigidus, vt aliis videaris bilaris, & remiſſus; ſic intra temetipſum ſtudeas in rectitudinis arce præcellere, vt noueris te & infirmis fratribus miſericorditer inclinare; ſic in tribunali mentis tuæ iuſtitiæ fræna diſpone, vt tamen delinquentibus non obdureſcas, venialiter indulgẽdo. Sit in corde mœror, in vultu lætitia; in fratris aduentu caro tua ſentiat refrigerium, nec multum timeas, ſi ſolitæ ſeruitutis non impleas penſum. Pulſante cellulam tuam fratre, protinùs triſtes rugæ diſcedant, contracta ſe ora reſoluant, ſerena facies occurrat, feſtiua frons lætitiam præferat.*] Opuſc. 51. c. 10 tom. 3.

6. Tandèm pœnitentiæ ſtudium obedientiæ virtuti ſemper voluit eſſe ſubiectum. Vndè licet Damianum nepotem ob nimiam auſteritatem, vt vidimus, ſummoperè laudauerit; tamen: [*Non volo* (addidit) *vt hæc in te laudabilis zeli flamma deferueat: ſeruato tamen, vt indiſcretionis exceſſum, vbi neceſſe eſt, Priorum tuorum grauitas, ac diſciplina compeſcat.*] Epiſt. lib. 6. epiſt. 22. to. 3.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in corpore; ide òmodicum eiuſdem membrum, linguam videlicet mortifi. cat. Ipſius diſcretiſſima vrbanitas.

1. DVm igitur toto corpore Homo Dei ex pœnitentia per membra ſingula puniretur, vt ſpiritu omnia facta carnis mortificaret; linguam vtique præterire non potuit, quæ modicũ quidèm eſt membrum, ſed magna exaltat; quæ ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis, & maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.

2. Attamèn qui poterat fræno circumducere totum corpus, non parùm laborauit, vt domaret inquietum malum; vt adhæreret lingua ſua faucibus ſuis, & in puluerem mortis quodammodò deduceret eam; ſicut ipſe Damiano fratri confitetur, his verbis.

Epiſt. lib. 5. epiſt. 2. to. 1.

3. [*Vnum inter hæc amariùs defleo, quo me pernicioſiùs obligatum, teſte conſcientia, recognoſco: ſcurrilitas nimirùm mihi ſemper familiaris fuit, quæ & propter conuerſionem numquàm me perfectè deſeruit. Licèt enim contrà hoc ferale monſtrum ſæpè pugnauerim, licèt huius beſtiæ nequiſ-*

Digitized by Google

quiſſimos dentes malleo ſeueritatis attriuerim, ad tempus quidem reprimere, ſed numquam ex ea potui plenam victoriam reportare. Inolita namque cuiuslibet vitij conſuetudo, licèt omni ſtudio ab animi penetralibus ſit repulſa, aſſiſtit tamen ſæpè quaſi præ foribus importuna: & vel lambere ſummotenùs nititur, ſi mordicùs apprehendere prohibetur. Sub ſpecie namque ſpiritualis lætitiæ, dum me fratribus hilarem oſtendere cupio, in vanitatis verba declino: & dum à ſolito rigore deſcendere fraternæ Charitatis cauſa quaſi diſcretè delibero, ad inutilia proferenda diffrenatam linguam indiſcretè reſoluo. Sed cum Dominus dicat: Beati qui lugent, quoniam ipſi coſolabuntur; quale illis iudicium imminet, qui non modò fletibus non inſiſtunt, ſed vltrò etiam cachinnis, & vanis riſibus hiſtrionum more deſeruiunt. Cumque conſolatio non gaudentibus, ſed mœrentibus vtique debeatur; quam conſolationem expectare à venturo Iudice poterunt, qui ſe nunc ineptæ lætitiæ malè blanda iucunditate reſoluunt? Rurſùm cum eadem Veritas dicat: Veh vobis, qui ridetis, quoniam flebitis; quid in tremendo iudicio dicturi ſunt, qui non ſolum ipſi rident, ſed inſuper quædam ſcurrilia proferentes, riſum audientibus violenter extorquent?

Matth. 5. Luc. 6.

6. Vbi notandum, quia cum inimicum animæ ſit ridere, pernicioſius tamen eſt ſcurrilitatis verba proferre. Scurrilitati quippè deſeruiens,

&

& alios ſecum per vanam lætitiam deſtruit, & in hoc inſuper reus eſt, quòd otioſa verba inutiliter fundit, cum ſcriptum ſit: Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo ratio-
Matt. 12. *nem in die iudicij. Enimuerò dùm hæc Euangelij verba conſidero, quid aliud, quàm quoddam nobis commercium propoſitum eſſe perpendo? Quia nimirum & momentaneo riſu perpetuus fletus emitur, & temporali fletu perpetua lætitia comparatur. Hinc eſt, quòd ſancti viri nunc omni ſtudio fletus, & lacrymas ſeminant, vt æterni gaudij fruges metant, Propheta atteſtante, qui ait: Euntes*
Pſalm. 125. *ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Si ergò ij, qui claris operibus ſplendent, adhuc tamen fletibus indigent; quid de miſero, meique ſimilibus ſentiendum, qui tenebroſa multa commiſimus, & bona, quæ luceant, non habemus? Quàm vberibus lacrymarum riuis debemus ſemper affluere, quàm continuo mœrori neceſſe fuerat iugiter inſudare; & non alios in riſum faceta quadam dicacis ſcurræ vrbanitate compellere, ſed ipſi potiùs demiſſo ſemper vultu lugubres apparere! quatenùs perfectæ pœnitentiæ formam ipſe quoque exterior cultus exprimeret, quæ in occulta cordis amaritudine principaliter æſtuaret.*]

7. Quàm igitùr ſtrenuè laborauerit Vir Sanctus, vt poneret cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtan-

Digitized by Google

ſtantiæ labijs ſuis, vt non declinaret cor ſuum in verba, non dicam malitiæ, ſed nec modicæ ſcurrilitatis; vel otioſitatis; ex hoc conijci poterit, quod hæc fuit vna potiſſimùm cauſa, ob quam & Epiſcopatum dimiſit; & nolens, & reluctans ſemper ad Eccleſiaſtica trahebatur negotia. Nàm Alexandro Papæ, & Hildebrando ſcribit, vt congruentiùs alibi recitandum erit: [*Videtis ipſi, quia protinus, vt ad vos venio, ecce ſales, ecce facetiæ, lepòres, vrbanitates, dicacitates, volumina quæſtionum, omneſque inanium verborum peſtes inſolenter erumpunt, quæ nos non iam Sacerdotes, ſed potius oratores, ac rhetores, ſiue quod inhoneſtum eſt, ſcurras oſtendunt. Mox enim vt verba conſerimus, paulatim quædam lenocinia confabulationis alternæ ſubrepunt, quæ omnem animi rigorem indecenter emolliant, & ſeueritatis robur in exceſſum riſum, & turpia ioca diſſoluant. Hinc eſt, quod mens extra ſe ſparſa confunditur; acies cordis obtunditur; lux Diuini amoris extinguitur; terror in alios, & reuerentia Sacerdotalis amittitur; & quod periculoſius eſt, rectè viuendi linea, quæ alijs ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quodſi nos vel pudore, vel metu in hæc declinare contemnimus, mox inhumani, rigidi, & quos Hircanæ genuerint tigres, ſaxei iudicamur &c.*] Opuſc. 20. c. 7. tom. 3.

8. At fortaſſè hoc durum, & ſuperbum nec manſueti, & humili Domini præcepto conuenire D. Ambroſ. in Luc. lib. 7. c. 10

Tom. II. Nnn vi-

Digitized by Google

videbitur, dum ille etiam accubitionis loco præcepit eſſe cedendum; PETRVS verò ab vrbanitate quaſi abhorruiſſe apparet; licet iſtius communis ſit vſus gratiæ; nam ſic inferiores ſuperiorum ſibi fauorem conciliare conſueuerunt; Gentiles quoque cum Chriſtianis habent huiuſmodi officiorum commercia. Sed ſi benè perpendimus, PETRVS vitium, non vſum humanitatis euellit: nec humanitatis officium, ac ſedulitatis abſtulit, ſed obſtaculum impendendæ deuotionis, & periculum, obtentu vrbanæ oblocutionis, loquendi linguis hominum, & amittendi idcircò Charitatem Angelorum pertimuit.

D. Athanaſ. in vit. S. Ant. c. 45 vit. PP. lib. 1.

9. Neque enim vt in ſolitudine, & montibus verſatus, atque omnem ibidem exigens vitam, agreſtis, & rigidus erat, ſed iucundus, atque affabilis, ſermonem, ſecundùm Apoſtoli præceptum, Diuino conditum ſale proferebat, itaùt inuidia careret, & amore omnium potiretur. Vndè vt ſupra vidimus, & admonere potuit Eremitam Theuzonem, [vt ita ſibi eſſet auſterus, & rigidus, alijs tamen videretur hilaris, & remiſſus: vt in corde teneret mœrorem, in vultu verò exhiberet lætitiam: vt pulſante cellulam fratre, protinus triſtes rugæ diſcederent, contracta ſe ora reſoluerent, ſerena facies occurreret, feſtiua frons lætitiam præferret.] Et congruenti tempore, & loco, non per ſubreptionem, vt inter loquendum aliquando ei contigiſſe potuit, ſicut humiliter ipſe fatetur; ſed

Coloſſ. 4.

Vt ſup. cap. præcedenti.

ſe-

ſeriò, & data opera aliquandò lepidè colluſit; ſicut videre eſt in eius epiſtolis, & carminibus, quorum nonnulla ad aſtruendum, quod dicimus, hìc apponere duximus.

10. [*De Domno Vmberto Archiepiſcopo, qui ſedebat ad dexteram Papæ, & ego ad ſiniſtram.* Tom. 4. c. 107.

Fortior hædinam, tu ſedens tollis ouinam,
Læuus habet dextram, dexter quandoque ſiniſtram.]

11. [*Domnus Papa ſine me rem incipiebat, & mecum complere volebat: ſicque mecum dicebat: Sicut erat in principio; cum mecum non dixiſſet: Gloria Patri.* Ibid. cap. 155.

Sicut erat damno; quia numquàm Gloria canto:
Qui caput abraſit, caudam quoque iure vorabat:
Oſſibus ore terat, qui ſorbuit ante medullas.]

Ibid, cap. 162. 12. [*Qui caſtratus eſt, non debet Epiſcopari.*

Qui nequit abſcindi, non debet bonore potiri.]

Ibid. cap. 169. 13. [*De dente, & lente.*

Litterà mutetur, quod edebat, rursùs edetur.]

Ibid. cap. 192. 14. [*De illo, qui gloriatur in altitudine vocis.*

Voce ſatis celſa, vocalis rudit aſella,
Dulce melos placidis formát vox cygnea bombis.]

Ibid. cap. 200. 15. [*De ſtercore turdi fit viſcus, vndè turdus ipſe capitur.*

Podice digeritur, pede quo turdela tenetur.]

CAP.

Digitized by Google

C A P. XIX.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in corpore, & præcipuè in lingua; vndè ſummo ſtudio à dicacitate ſemper abhorruit.

1. FVit igitur PETRVS curialiſſimus, & vrbanitatem nouerat; ſciens, quòd abhorret Dominus à Sanctis inciuilibus; & nihilominùs cuſtodiuit os ſuum, & linguam ſuam, vt cuſtodiret ab anguſtijs animam ſuam, ſciens, quòd os lubricum operatur ruinas. Se amabilem, & affabilem omnibus exhibebat, ſicut erat amabilis valdè; & tamen, quàm circumciſum fuerit os eius, & lingua, omnes pleniſſimè cognouerunt, qui eius conuerſationem viderunt, & ſermones eius audierunt, vel etiam modò legunt. Quis vmquàm ex ore eius irrationabilem ſonum detractionis, verbum ſcurrilitatis, ſermonem gloriæ, inuidiæ vocem audiuit? Quis eum vel temerè alios iudicantem, vel iudicanti conſentientem aliquando deprehendit? Quis eum loquentem inania audire potuit? Immò quis non ab eo timuit, ſi talia fortè loqueretur, audiri? Nimirùm ſollicitè cuſtodiebat vias ſuas, vt non delinqueret in lingua ſua, ſciens quia qui in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Longè à te, PETRE, veh illud Euangelicum:

D. Bonau. in medit. de vit. Christi.

Oleaſ. in cap. 16. Geneſ.

Ex D. Bern. in Serm. deuot. Humberti Monachi.

Iacob. 3. Luc. 6.

Veh

Veh vobis, qui ridetis, quia flebitis. Quis enim eum ridentem, & inter multos ridentes inuenit? Serenabat quidem vultum arridentium gratia, ne fieret oneroſus, ſed riſum integrum non admittebat. Cum neceſſe fuit, non abſcondit miſericordiam, & veritatem Domini ſui à concilio multo, & è contra in corde ſuo abſcondit eloquia eius, vt non peccaret illi, & obmutuit; & ſæpènumerò ſiluit etiam à bonis, timens ne fons linguæ ex eodem foramine emanaret dulcem, & amaram aquam, & ficus vuas faceret, aut vitis ficus.

Opuſc. 49. c. 4. tom. 3. 2. Et ideò Marino fratrueli ſuo: [*Aſſueſcat lingua*, ſcripſit, *ſub taciturnitatis ſe cohibere cenſura, & tacendo diſcat, quod loquendo poſtmodùm grauiter proferat; ne ſi nunc diſtrictum negligit cuſtodire ſilentium, loquendi poſtmodùm nequeat refrænare pruritum*.]

3. Quoniam igitùr ſub inuiolabilis ſilentij cenſura ſe cohibebat in Eremo; non eſt mirandum, ſi tacendo didicit, quod de ipſa lingua poſtmodùm tàm grauiter protulit; vndè ſuis Eremitis, qui per totius hebdomadæ circulum in cellulis ſingulariter conſtituti, ad eum deindè conuenerant, vt taciturnitatis eius vberes fructus caperent, & poſteà ad priores epulas ſanctæ contemplationis in ſilentio, quantò eſurientiùs, tantò auidiùs redirent; hæc dedit præcepta vitæ, & diſciplinæ.

Serm. 73. de vit. ling. to. 3. 4. [*Curate, fratres mei, cum inuicem conuenitis, vt honeſtè, grauiter, & moroſè incedere ſtu-*

ſtudeatis, quatenùs debitæ mortificationis inſignia proferentes, & inter voſmetipſos quietè, & pacificè fraterna valeatis Charitate congruere, & extrinſecùs aduentantibus ſanctæ conuerſationis exempla præbere: præcipuè tamen loquacitatis vitio ſeuerè, & vigilanter obſiſtite, & prurienti linguæ frænum ſobrij moderaminis adhibete, ne, quod abſit, breuis horæ ſpatio perdatis otioſa loquendo, quod per plures acquiſiſtis orando: & nunc ex lingua leuiter effluat, quod mentem poſteà pœnitendo grauiter premat. Sæpè namque inter reliquos cibos, vnum fortaſsè quid à comedente traijcitur, quod per plures poſtmodùm dies occupans ſtomachum minimè digeratur. Sic nimirùm inter multa verba, quæ indiſcretè proferimus, impoſſibile eſt, vt non quandoque aliquid prodeat, quo deprimi mentis noſtræ ſtomachum ſentiamus, ac per hoc nequeat facilè digeri, quia non poteſt obliuioni traditum à cogitatione deleri. Nonnulli enim fratrum poſtquam ſe aliquando diutiùs ſiluiſſe meminerint, quadam quaſi ex ipſo ſilentio ſecuritate præſumpta, mox ad proferenda vana quælibet, & leuia defluunt, & non ad neceſſitatis indicia, ſed ad voluptatis potiùs petulantiam indiſcreta ora reſoluunt. Quibus profectò valdè timendum eſt, ne magis Deum de vitio vanifluæ verboſitatis offendant, quem ſibi prius de ſilentij ſui cenſura placauerant. Deum ſiquidem, quem & ſilendo, & orationibus inſiſtendo in ſe ſuſcipere

pere fortaſſis ante meruerant, nunc vacando fabulis, & ſermonibus otioſis, tantò periculoſiùs, quantò viciniùs perſequi non formidant.

Epheſ.4. 5. *Audiant itaque quid Paulus Epheſijs dicat: Omnis, inquit, ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quid bonum eſt, ad ædificationem opportunitatis fidei, vt det gratiam audientibus. Et quia nonnulli Deum prius benè viuendo lætificant, ſed poſtmodùm ſuperflua quæque, & peruerſa loquendo contriſtant; illicò ſubiunxit: Et nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die Redemptionis. Perpendant miſeri, quæ illis lætitia in vanis ſermonibus poteſt lenocinantes obrepere, quibus ſciunt ſe non potentem ſæculi, non etiam quemlibet ſanctum hominem, ſed ipſum Spiritum Sanctum, qui procul dubio Deus eſt, contriſtare.*

6. *Quantò autem cautelæ ſtudio procacitas frænanda ſit, ſi quis noſſe deſiderat, inter quæ crimina ab eodem Magiſtro Gentium numeretur, at-*
Epheſ.1. *tendat: Fornicatio, inquit, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Vbi enim fornicationem, immunditiam, atque auaritiam texuit, ibi etiam indifferenter ſcurrilitatem, & ſtultiloquium nominauit; vt manifeſtè detur intelligi, linguæ malum grauiſſimis criminibus in offenſione coniunctum, à quibus in ipſa non eſt prohibi-*

bibitione diſcretum? Quid autem vaniloquio poteſt eſſe deterius, quod non modò per ſemetipſum infelicem animam lethaliter grauat, ſed & ipſam honeſtæ vitæ religionem, quæ hominem Deo iunxit, euacuat? Iacobo teſtante, qui ait: Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. Quibus nimirùm verbis luce clarius conſtat, quia in nihilum omnis noſtra religio redigitur, niſi ſolerter immoderatæ linguæ laſciuia compeſcatur. Iacob. 1.

7. Ponamus ergò, *fratres chariſſimi, frænum ori noſtro; non ex eo verba ſcurrilia prodeant, non fluxæ lætitiæ fomenta prorumpant: non lingua noſtra, fratris infirmi vitam detractoriè mordeat; non benè currentis opera ſub huius vitæ incerto præcipitanter extollat; non præterita facta, vel dicta inaniter recitet; non quid à ſæcularibus agatur, inter fratres peſtilenter enarret; ſed ſit lingua noſtra modeſta, ſobria, diſcreta, pudica; ſit oris noſtri ſaliua virgo, die creſcente, & niſi vtilitatis occaſio præbeatur, vſque in craſtinum, ſiue perendie incorrupta ſeruetur.* Ibid. inferius.

8. *Portatis, fratres mei, vobiſcum, portatis clauem cellulæ, portate & clauem linguæ: opponitis peſſulum oſtio, adhibete retinacula ſalubriter ori veſtro. Auceps non emittit accipitrem, niſi anſerem videat, & Monachus dimittet linguam ſuam, ſi loquendi neceſſitas non aſſiſtat? Digna-*

gnatur venator catulum ſoluere, niſi lepus appareat; viliorem habeat Monachus linguam ſuam, quam ad nullius ſalutem, vel commodum inutiliter ſoluat? Sudat lapis in manu oppugnantium mœnia, & incaſſum volet verbum de ore ſtantis in ſanctæ militiæ diſciplina? Arcus fruſtrà flexis cornibus non intenditur, & rationale os ad effundenda paſſim ſuperflua reſeratur? Parcitur pharetræ, vt ex ea ſagitta leuiter non exeat; non parcitur linguæ, vt mordax, in quemlibet verbum, velut ictum vulneris non infligat? Quid ad hæc, fratres, dicimus, qua nos argumentatione defendere, qua poſſumus ambitioſa nos excuſatione purgare?

9. *Audiat igitur lingua vaniloqua, audiat lingua otioſa, audiat lingua ſcabioſa. Scabioſa, inquã, lingua, quæ velùt ſcabiem quamdam, atque pruritum patitur, niſi ſemper acuto quodammodò ſuperuacuæ locutionis vngue ſcalpatur. Audiat, & paueſcat; intelligat, & tam terribilem ſententiam perhorreſcat. Audiat terrorem iudicij de ore ipſius iudicaturi. An non habet aures, vt poſſit audire, quæ & manum habet, vt poſſit occidere?* Prouerb. 18. *Mors enim, & vita in manu linguæ. Audiat ergò, quod ex ore Veritatis dicitur; & ſubtili meditatione diſcutiat, quod minatur:* Matt. 12. *Omne, inquit, verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ponamus itaque, vt otioſum verbum, ſi contrà ſa-*

ſacræ Scripturæ ſententias fas eſt dicere, leue ſit, & exiguum omninò peccatum: ſed quid milio breuius? Quid penna leuius inuenitur? Verumtamen ſi pennarum, vel miliorum innumerabilis multitudo congeritur, neceſſe eſt, vt portantis ceruix velùt ſub graui lapide immoderantiùs preſſa frangatur. Ex humentibus quoque ſaxis tenuis quidem, & rara gutta diſtillat; ſed ſi vas ſubeſſe ſpatio longiore permittitur, ita plenum, ac ſi profluens vnda decurreret, inuenitur. Paruæ Exod. 2. *quidem, ſed innumeræ Cinifes ſuperbi Pharaonis, & totius Ægypti ſuperauere virtutem. Breue tempus eſt hora, ſed dum hora horæ continua ſucceſſione coniungitur, totius vitæ noſtræ curſus impletur.*

10. *Nemo itaque ſemetipſum decipiat, fratres mei, ſed peccatum, quod leue arbitratur eſſe, dùm penſat; graue videatur in eius æſtimatione, cum numerat. Quid enim durius ſaxo? Quid aqua liquidius? Et tamen à quodam ſapiente dicitur.*

> *Gutta cauat lapidem, conſumitur annulus vſu.* Ouid.

11. *Nimirùm & omnis animæ noſtræ ſoliditas, ac fortitudo deſtruitur, ſi aſſiduis inundantium, & quodammodò pluuialium verborum fluxibus atteratur.*

Digitized by Google

12. *Notandum ſanè, quia ſicùt auis aduolans exponit ſe ramo cuiuslibet arboris, ſic plerumque malignus ſpiritus veniens inſidet linguæ inconſideratè loquentis: & inordinatum quid in decurſu ſermonis per ſubreptionem ſuadet effluere, vndè poſtmodum veniens quaſi congeſta dimicandi materia, cor hominis valeat impugnare. Intra conſcientiam ſuam, fratres chariſſimi, vnus quiſque veſtrum redeat, & ſe, quod dicimus, recognoſcat. Sæpè namque negligenter quid loquimur, vndè poſtmodum ad ſilentij noſtri cuſtodiam redeuntes, tantam ingruentium cogitationum moleſtiam patimur, vt vix tolerare poſſimus. Et pœnitet quidem omninò tam incautè noxia protuliſſe, ſed remedium non occurrit; quia, quod ſemèl amiſſum eſt, non poſſumus reuocare. Iuxtà quod Flaccus ait:*

Horat. *Et ſemèl emiſſum volat irreuocabile verbum.*

13. *Oramus, pſallimus, ſed euellere de corde noſtro infixum ſpinæ illius aculeum non valemus. Tunc veternoſus hoſtis cum mentem noſtram in tanto verſari turbine conſpicit, victor, & inſultans gaudet ſe quaſi fructus de ſuo labore colligere, quos in malè feraci terra linguæ noſtræ meminit ſeminaſſe: in quo videlicet facto quid aliud, quàm turdelam imitamur, quæ ex eo, quòd digerit, moritur? Ex eius quippè ſtercore planta na-*

Digitized by Google

naſcitur, de cuius humore viſcus conficitur, quo poſtmodùm & ipſa capitur, atque ex eo agitur, quod prius fuerat cibus ſuus, vt & ipſa poſtmodùm ſit cibus alienus. Ità ergò cum immunda quæquè, ac vana proferimus, quid aliud quàm laqueos nobiſmetipſis loquendo compingimus, quibus ab aſtutis aucupibus, hoc eſt malignis ſpiritibus, poſtmodùm capiamur? Sæpè autem ſermo noſter non loquenti, ſed audienti pugnam generat, itaut cor eius in odium illius, qui contraria verba protulerit, vehementer accendat: & ſi facultas adſit, non tàm verba verbis reddere, quàm malæ retributionis parat actibus reſpondere. Hæc autem in ipſa verborum confabulatione paruipendenda nobis videntur, & leuia; ſed cum ad orationum ſecreta recurrimus, reducta protinùs ad memoriam, dura prorſus, & intolerabilia inuenimus.]

14. Sic PETRVS, qui ſicut antra deſerti, & ciuium turmas fugiens petierat, ne poſſet maculare vitam crimine linguæ; ita nihilominus ſem per pauidus in ipſo Monaſterio, & Eremo, & alijs, & ſibi nil magis pertimeſcebat, quàm ne caperetur in verbo indiſciplinato, & confunderetur. Vndè alibi ſcripſit Deſiderio Abbati, & Monachis Caſſinenſibus: [*Fateor, fratres mei, nil ferè in Monaſterijs agitur; vndè mens mea terribilius ſuper Monachos imminere Dei iudiciū ſuſpicetur. Nam continuò meatus impulſu, quaſi torrens per decli-* Opuſc. 52. c. 27 tom. 3.

cli-

cliua deuexa procedens, eorum lingua decurrit: & cum tintinnabulum (ſilentij) *ſonat, ſic illis eſt, tamquam ſi repentino protinus ictu caput eorum illidat. Quod tamen de quibuſdam, abſit autem, vt de omnibus dicam. Quia verò præcipit Regula, vt à Paſcha vſque ad Kalendas Octobris, manè exeuntes à prima vſque ad horam penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit; ab hora autem quarta vſque ad horam ſextam lectioni vacent. His omnibus horis laborandi, ac legendi ſtudium quidam poſtponentes abutuntur in fabulis; & quidquid laboribus, & lectionibus debent, totum vaniloquis ſermonibus exhibent.*]

15. Quia verò hoc præſertim ſenibus peculiare animaduertit Vir Dei, vtpotè illis, qui ab omni regularis obſeruantiæ diſtricta cenſura, ratione ætatis, vt plurimum, ſe feriatos eſſe tutò arbitrantur: vndè otio vacantes, fabuloſis ſiliquis implere ventrem concupiſcentes, per clauſtra Monaſterij hinc indè diſcurrentes videntur, & modò hos, modò illos ſciſcitantur, & vt ſua loquantur, perquirunt;
Opuſc. 13. c. 23 tom. 3. ideò de iſtis hæc dixit: [*Nõnulli planè ſenum ſunt, quod præterundum non eſt, qui etiam poſtquam ad Religionis ordinem venerint, ita fabuloſis nenijs occupantur, vt & ſibi ſint noxij, & auditoribus videantur eſſe deliri. Modò enim rerum geſtarum lacinias texunt, modò Regum antiquorum edicta, vel victorias referunt: ſicque diem in nugarum anilium inepta recitatione conſumunt. Ita*

ſit,

ſit, vt per linguam Deo dicatam, quam non ſalutares occupant preces, ridiculosè vani, ac ſuperſtitioſi recitentur annales: qui nimirùm dum linguam peſtiferis fabularum dapibus ſatiant, quia ieiunio ſemper eſt inimica verboſitas, etiam ventrem digno ſobrietatis moderamine non caſtigant.]

16. At ſicùt hic temperantiæ virtutem, à verboſitate detrimentum pati meritò docuit, dum prolixa locutio enutriri diutiùs non poteſt abſque cibo, vel ſaltem potu, quo etiam colloquentium turma faciliùs in cellis, & clauſtris confouetur, & trahitur; ita alibi ſapienter ſcripſit: [Qod illa eſt perfecta virginitas, quæ non ſolùm illibatam ſe ſeruat in carne, ſed etiam pudicam cuſtodit in ore. Vndè & Beata Virgo Maria, audito Angelicæ legationis Myſterio, ſolitum modeſti ſilentij rigorem tenuit; etſi ipſa enim intrà ſe non diſcurrere non poſſet, qualis eſſet iſta ſalutatio, verbis tamen inquirere ſuperfluum deputauit. Sed mox tacendo audire meruit, quod interrogando inquirere non præſumpſit: Ait enim Angelus ei: Ne timeas Maria: inueniſti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum.]

Serm. 46. in Nat. B. M. V. poſt medium tom. 2.

CAP.

C A P. XX.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in corpore, & præſertim in lingua, cuius mortificationem vlteriùs commendat, & extollit.

1. ET ò vtinam viderent oculis ſuis, & auribus ſuis audirent, & corde ſuo intelligerent, quæ toties dicto Marino ſuo fratrueli ſcripſit Vir Venerabilis, illi Deo dicati, qui quotidiè circuunt terram, & corde, & lingua perambulant eam, vt nil noui eos lateat; luſtrantque vniuerſa animo ſuo, vt ſciant, & conſiderent, & quærant cuncta ſtudia hominum; vt cognoſcant impietatem ſtulti, & errorem imprudentis; vt audiant prælia, & opiniones præliorum! Os Regum obſeruant, & de hoc, vel de illo confligunt, an poſſit contra fortiorem ſe in iudicio contendere, an ſeruabit ſuum principatum, vel derelinquet ſuum domicilium. Et demùm innumera verba multiplicant, multamque in diſputando habentia vanitatem, & proponunt in animo ſuo quærere, & inueſtigare de omnibus, quæ fiunt ſub Sole, hancque occupationem peſſimam habent, vt occupentur in ea;cum neceſſe non ſit homini,pręcipuè religioſo maiora ſe quærere, cum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregri-

na-

Digitized by Google

nationis ſuæ, & tempore, quod velùt vmbra præterit.

2. [*Caue itaque, fili chariſſime* (ſcribit igitur Beatiſs. Pater) *ne quandò intra clauſtrum Monaſterij conſtitutus, de ſæcularibus negotijs colloquia cum ſæcularibus miſceas, & ſicut referre, ita nibilominùs & audire contemnas. Illicò planè indignatio ſancta reſpondeat, & pij zeli feruor erumpentes mox inconditi ſermonis ineptias frangat: Quæ, inquiens, eſt participatio iuſtitiæ cum iniquitate: aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Et reuera quid Monacho cum ſæcularibus nænijs? Quid mihi perſtrepentium iudiciorum fora, tribunalia Iudicum, aulas Regum intra Monaſteriorum ſepta pertrahere? Quid mortuo homini narrare de prœlis, dotales tabulas inter tales, diuortio interueniente, reſciſſas, illum titulis efferre natalium, infamare alium natiuitate cerdonum? His igitur, & huiuſmodi nugis inaniter occupati quid, quæſo eſt, niſi à perſpicuo fonte Diuinæ laudis fauces auertere, & cœnoſi luti ſpurcitias ore verſare? Vndè non immeritò per Ieremiam Dominus conqueritur, dicens: Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Enimuerò ipſam clauſtri tui fabricam reſpice: ecce enim quadrifica eſt, vt nimirum ipſe loci ſitus euidenter edoceat, quòd vndique te à mundanæ conuerſationis ſtre-*

Opuſc. 49. c. 10. tom. 3.

1. Corinth. 6.

Ier. 2.

pitu ſemotum eſſe conueniat. Porrò ſatis indecens eſt, & inhoneſtum, ac per omnia probatur abſurdum, vt quod in tabernis conſueuit quis eructare cauponum, quod paſſim verſari inter gynecæa textricum, in ſanctorum choro locum inueniat Monachorum. Sanè vbi Prophetas, & Apoſtolos alloqui me deſiderantes aſpicio, vbi Chriſtum ſuum mihi pandentem Euangelium cerno: ego relictis illis, inquiram, ſi nuper Adriam transfretantes, adhuc applicuerunt naues? Quanti ſal væneat? Vtrum annonæ modium taxema carius vendat? Faceſſat igitur ab ore militis Chriſti omnis vani rumoris ineptia, & linguæ, quæ immaculati Agni, immò ſummi Verbi rubet ſanguine, dedignetur otioſi ſermonis ſeſe fæcibus inquinare.]

3. Nec minùs vanitatem illam docuit illorum eſſe fugiendam, qui nobilitatis humanæ fila-cterias etiàm in clauſtro dilatant; non conſiderantes, quòd propinquitas iſta naturalis, & neceſſaria qua omnes videmur vinculo quodam conſanguinitatis connexi, quando ex Adam ducimus vniuerſi ortum, neque tamen tum Adæ, tum Noe, tum terræ ipſius, quæ omnium eſt parens & antiquior eſt, rationem habemus; pro nihilo prorſus eſt habenda; cum nulla detur in terris certa propinquitas, niſi quæ ex conuenientia morum conciliatur; cum fratres veré non ſint dicendi, qui eodem nobis fuerint, vel partu, vel aluo progeniti, ſed qui religionem, & fidem tulerunt noſtram. Nam dicto Marino proſequitur: *No-*

Ex Io. Chryſ. tom. 5. Virtutibus progenit. ne confidamus.

4. *[Noli phaleratam aliquandò proauorum lineam texere, vt de vanate velis alieni nominis generoſitate iactare. Planè qui hæres Dei, & cohæres eſt Chriſti, omnem terreni ſtemmatis proſapiam ſuperat. Verumtamen eſſe Chriſtianum, magnum eſt, non videri, vel dici; & ille plùs ſæpè placet mundo, qui diſplicet Deo. Quorumdam ſanè verſuta calliditas, quaſi derogando, maiorum ſuorum nomen exaggerant: &, vt potentes, atque magnifici fuiſſe videantur, ſuperbiæ eos, vel crudelitatis arguunt. Tenes quod dico? Accuſo Achillem multi ſanguinis reum, vt tu intelligas bellorum ſtudio ſtrenuum. Arguo Italicæ peruaſionis Hanni balem, vt tu audacem non dubites, & robuſtum.]* Opuſc. 49. ei 111. tom. 3. Rom 8.

5. At verò inuenimus etiam nunc inter ipſa religioſa ſepta, immò in choro adoleſcentularum Sponſi nonnullos, quos etiam ipſe reprehendit, qui nimirùm actus ſponſæ curiosè obſeruant, derogandi, non imitandi cauſa. Torquentur in bonis ſeniorum ſuorum, malis paſcuntur. Videas ambulare ſeorsùm, conuenire ſibi, & ſedere pariter, moxque laxare procaces linguas in deteſtandum ſuſurrium. Vna vni coniungitur, nec ſpiraculum incedit in eis; tanta eſt libido detrahendi, audiendiuè detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, & concordes ad diſcordiam. Conciliant inter ſe inimiciſſimas amicitias, & pari conſentaneæ malignitatis affectu celebratur odioſa Ex D. Bernard. ſerm. 24. in cantic.

Digitized by Google

collatio. Et ſunt ſpecies peſtis huius, dum alij quidem nudè, atque irreuerenter vti in buccam venerit, virus euomant detractionis. Alij autem quodam ſimulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicq; quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſupercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tantò perſuaſibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quòd diligo eum ſatis, & numquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: mihi quidèm, ait, benè compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me numquam innotuiſſet: at quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum: dolens dico: reuerà ita eſt. Et addit: grande damnum; nàm alias quidèm in pluribus valet, cæterum in hac parte, (vt verum fateamur) excuſari minimè poteſt.

6. Ad capiendas igitur huiuſmodi vulpes, quæ Monaſticæ conuerſationis demoliuntur vineas, terribile eſt illud, quod refert, & à quo euidenter inſuper colligitur, in quem affectum cordis tranſire poſſit etiam in clauſtro, vnuſquiſque à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus: [*In Peruſino Monaſterio, Sancti videlicèt Saluatoris*, inquit, *cui nuper & ipſe præfui, quidam Monachus paulò ante fuerat, nomine Guinizo, aſtutus nimis, &*

Opuſc. 51. c. 12 tom. 3.

cal-

callidus, ſæcularibus argumentis, ac litigioſis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque dum in mutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis æſtuans non quieſceret, ad hoc vſque peruenit, vt diaboli ad ſuperandos æmulos patrocinium quæreret, & eius ſe ditioni etiam corporaliter manciparet: cui tamen ſeductor ſpiritus exigenti ante promiſit, quòd tertio, priuſquam moreretur, die ſuum ſibi exitum nunciaret. Credidit infelix, & diù poſtmodùm viuens, ita ſub hac deceptoria ſecuritate permanſit: tandem in ægritudinem lapſo, adeſt fideiuſſor iniquus, & perendianum, ſicut ſpoponderat, obitum innoteſcit. Protinùs aduocatis ille fratribus cuncta hæc, quæ cum nequiſſimo pepigerat, per ordinem narrat. Cumque illi inſtarent dicentes: Eſto confeſſus, age pœnitentiam; repentè ille obdormiebat, & ſiue pulſantibus, ſiue clamantibus, euigilare non poterat, ſi non illi obticeſcerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent. Mox ille expergefactus, inuicem loquebatur, ſed rursùs audito nomine pœnitentiæ, obrigeſcebat in ſenſibus ſopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum, cui deditionem fecerat, eſt infeliciter deuolutus. Poſtmodùm verò per plures noctes nigra canum turba non ceſſabat ſepulturæ eius aſſiſtere, & quaſi depoſitum cuſtodire, itaut non minimo videntes horrore concuterent. Heù quàm pernicioſa res ſpiritus contumax, & litigioſus in Monacho! Hic enim, quia tem-

pora-

Digitized by Google

poralem habere pacem cum ſuis fratribus noluit, æternæ pacis gaudium in tartarum demerſus, amiſit. Hoc autem & ſi præſenti ſtylo vſquequaque non congruat, idcircò tamen inter hæc apicibus mandare curauimus: vt rem memorabilem, ne obliuio tolleret, quaſi ad paxillum funiculo ſtringeremus; atque hic quiſquis inqui etus ediſcat, ad quem finem lis animoſa perducat.

7. Et alibi contrà has ipſas colloquentium peſtes Beatiſſimus PETRVS ſtylum acuens, & Monachorum corda præmuniens, ſcripſerat: [*Non inter* Opuſc. 13. c. 24 tom. 3. *vos ſit garrulus ille Cham, qui nudata parentis verenda denunciet, qui paternæ offenſionis obſcœna diuulget: qui videlicet inter duos fratres medius,* Geneſ. 9. *nec in primitijs numeretur Iſraelitarum, nec locum mereatur in plenitudine gentium. Non ibi ſit, qui contempto paſtore, mercenarium quærat, qui voces alienorum audiat, qui in odij fornace diſcordiæ malleos ludat,* 2. Reg. 20. *qui Regnum Iſrael per ſchiſmatis ſeminarium diuidat: Non eſt, inquit, nobis pars in Dauid, nec hæreditas in filio Iſai.*] Et perſequens detrahentem ſecretò proximo ſuo: [*Noli,* inquit, *cuiquam detrahere, ſed ne tu* Opuſc. 49. c. 10 tom. 3. *rem quidem dignam ducas detrahentibus applicare. Cum detractoribus, ait Salomon, ne commiſcearis; quoniam repentè veniet perditio eorum, & ruinam vtrorumque quis nouit? Tàm videlicet illius, qui detrahit, quàm eius, qui aures accomodat detrahenti. Ipſe potiùs, ſi ratio poſtulat,*

lat, peracti ſceleris argue, durus inuehere; non verens præſentem auſteriùs increpare: abſentem autem non laceres, nec apud alios liuido dente commordeas.] Abhorrens nimirùm Vir Beatiſſimus ab eo, qui mordens tamquam ſerpens in ſilentio, & ſe huic ſceleri reddit obnoxium, & veneno linguæ ſuæ animam inſuper inficit fratris ſui. Poſtquam enim iſte olim comperit ſibi occultè detrahentem, quaſcumque ſuſpiciones facilè admittet; itaut cum aliquos fratres inter ſe mutuò colloquentes cernit; ſuſpicatur illicò, & dicit: De me illi loquuntur. Quod ſi ſermonem, & colloquium abſcindant, ſuſpicatur item, ne propter ſe intercidevint colloquium illud: Si quis verbulum ſimpliciter dixerit, actutùm ſuſpicatur ille contra ſe dictum; nempè vt mœrore, & triſtitia afficiatur. Denique quacumque in re, poſtquam de ſe ſecretò detrahentes audiuit, hic de proximo ſuo malè, ac ſiniſtrè ſuſpicatur; & dicere non veretur: Propter me hoc fecit ille, propter illud, & illud fecit; omnia ſiquidem in huiuſmodi homine deinceps nil aliud ſunt, quàm nugæ, curioſitates, anxietates, otioſitates, deceptiones, impoſturæ, contentiones, pugnæ, ſeditiones, conuicia, turbationes, iudicia, condemnationes. Idcircò cum tot mala à taliter detrahentibus proximo oboriri conſpiceret; meritò Vir Sanctus allatis illicò ſubiunxit: [*Sæpè enim ſcio, quo pacto ſeueriùs arguentem æquanimiter ſuſtinemus, quem vel ſummotenùs accuſantem*

Ex D. Doroth. ſerm. 9. de emenda.

Ibid. vt ſup.

ſer-

Ex D. Bern. de inte. dom. c. 42

perferre non poſſumus.] Nàm reuera delinquens apertè increpandus eſt, non occultè mordendus. Quid enim prodeſt, ſi, me neſciente, alijs quis mala mea referat? Veh ergò illi, qui ſuam coram ſe renuit corrigere vitam, & alienæ non deſinit detrahere, cum potiùs ſi detrahere vult, ſua in ſe peccata retorquere, non aliorum delicta, ſed propria cernere deberet: numquàm enim alijs detraheret, ſi ſe benè inſpiceret.

Serm. 73. de vi. ling. to. 2.

8. Ad comprimendam denique linguæ procacitatem: [*Duo vnicuique* (dicebat alibi) *neceſſaria ſunt, qui ſe ab huius nequitiæ peſte cuſtodire deſiderat, vt videlicet & proprium os à ſuperuacuis ſermonibus comprimat, & aures etiam ab ineptis alienæ loquacitatis confabulationibus claudat; quoniam hoc virus non ſolùm eos, à quibus oritur, letbaliter inficit, ſed eos etiam, in quos effunditur, pernicioſa tabe corrumpit*.] Et infrà:

Ibid. infra.

[*Si quem ergò tædet linguam ſuam rigida ſilentij cenſura compeſcere, orando, pſallendo, legendo, ſiue etiam ædificationis verba proferendo, ſtudeat eam ſalubriter exercere, ne cui nunc ardet lingua in loquendi concupiſcentia, damnationis ſuæ poſtmodùm comburatur in pœna*.]

Opuſc. 15. c. 10 tom. 3.

9. Propter hoc etiam ipſe in Eremitarum ſuorum cellulis continuum teneri ſilentium voluit, ſicut in Oratorio: [*Nec permittitur*, inquit, *vt illic alter alterum vel pro confeſſione loquatur: excepto ſi Priori viſum fuerit, vt nouitijs, eorum-*

que

Digitized by Google

que Inſtitutoribus ad tempus aliquantulùm loquendi licentia concedatur. Si quid autem loqui indigent, ad Eccleſiam prodeuntes, quæque ſunt neceſſaria, manifeſtant. Eſt enim reuera, vt experimento cognouimus, animarum magna deſtructio, vbi paſsim fieri colloquium in cella permittitur. Nam dùm infirmi quique fratres, qui ſub confeſſionis ſpecie ſe inuicem viſitant, breuiter explent quod cœperant, ad alia ſe mox friuola, & otioſa, data ſemèl procaci linguæ libertate dilatant: & obliti repentè quare conuenerint, mox fratribus ſuis, vel etiam Prioribus detrahunt: & quos amare ſinceriter, & purè debuerant, dente, vt ita loquar, liuido mordaciter rodunt. Deindè ad ſæcularia tranſeunt; & quidquid eſt, quod in vrbibus agitur, de eo in cellula diſputatur. Necdùm id ad aures vulgi fama pertulit, vndè plerumque montium iam ſecreta compleuit. Adde, quòd abſentibus arbitris quantò reprehenſionis ſecuriores ſunt, tantò quidquid linguæ confinxerint, liberius fundunt. Sicque fit, vt qui purgandi ſeſe cauſa conuenerant, cumulato linguæ contagio à ſe inuicem ſordidiores abſcedant.] Sed quid ſentiret PETRVS, ſi in quampluribus religioſis domibus conſpiceret aliquos ſe ſedulò inuiſentes, & alterutra viſitatione cellas frequentantes, non proprij profectus intuitu, non Charitatis impulſu, nec vt ſaltèm vnum ædificationis, & vtilitatis verbum proferatur, ſed tantùm, vt de terra loquantur, vtpotè

Digitized by Google

qui ſpecietenùs quidem è terrenis abſtracti videntur, ſed reuerà de terra ſunt, & vt crebris confabulationibus vacent? PETRVS, inquam, qui eò vſque os prauum, & linguam bilinguem, & vanam deteſtatus eſt, vt licet pœnitentiæ amantiſſimus, indiſcretas tamen prohiberet vigilias, & otioſas: [*Quia*, inquit, *loquendi fit ſæpè materia*; *dum cui palpitantibus oculis, oſcitantibus labijs legere, aut orare non licet, aliquandò vacare fabulis libet*.]

Opuſc. 49. c. 11. tom. 3.

C A P. XXI.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis, ac primò in veſtium cultu; vndè ſumma eius paupertas.

1. CHaritas igitùr non quæſiuit, quæ ſua erant in PETRO, dum ille corpus ſuum per continentiam, pœnitentiam, abſtinentiam, ſilentium perpetuo flagello mactauit, ſacrificium acceptabile Domino virtutum. Videamus nunc, quomodo in exterioribus omnibus per paupertatem, fugam ſæculi, & ſæculi eiuſdem contemptum, ſua non quæſiuit, ſed quæ Ieſu Chriſti.

2. Supra enarrauimus, quomodò delicata, vel ſumptuoſa cuncta reſpuens, aſpera quæque, & con-

tem-

Digitized by Google

temptibilia requireret; & quod illi accidit, dum aliquando cum ſuo proficiſcebatur Magiſtro. Cum nimirùm molliorem ſcapularem induere, atque pulchriorem, quàm affectaret, equum aſcendere ex obedientia coactus eſſet; rogare ſubmiſſis cœpit precibus Magiſtrum, ne ſibi hoc dignaretur præcipere, quod ipſe videlicet, velut indecens abhorreret; vndè Magiſter eius precibus acquieſcere noluit. Sed tandem ad propria regrediendo, cum ad Cœnobium Sancti Vincentij peruentum fuiſſet, PETRVS vlteriùs ferre nequiens ignominioſum nitidulæ veſtis ornatum; occaſione ibidem pauliſpèr remorandi reperta, alium ſibi ſcapularem humiliorem ſtamine, & colore acquiſitum induit: ſicque ad proprium eſt Monaſterium reuerſus. Io. diſcip. vit. cap. 5.

3. Hoc igitur principium in die virtutis ſuæ, cum in ſplendoribus ſanctæ conuerſationis genitus fuit, perſeuerauit cum illo vſque in finem; quapropter Mainardo Abbati & exemplo propriæ paupertatis, & ſapientiæ ſuæ verbo, quàm indecorum ſit Eccleſiaſticis viris, ſed præſertim Monachis pretioſarum veſtium indumentum, oſtendere non dubitauit, vt eum ab huiuſmodi ſpecioſa vanitate retraheret: hæc ad ipſum ſcribens.

4. [*Tentatis, & competenter adhibitis omnibus medicinæ generibus, ſi languidus obeat, non eſt vndè medicum conſcientia reprehendat. Fecit enim omne, quod potuit, qui cuncta quæ de-* Opuſc. 19. in Præf. tom. 3.

Digitized by Google

cent Archigenem, curationum argumenta perſoluit. Dùm is ergò, qui febricitat, moritur; qui curandi munus impleuerat, crimine non tenetur: nam quod ſuum erat, induſtriam artis exhibuit, atque ideò calumniæ non patebit. Diu iam, frater eſt, ex quo tibi pretioſarum veſtium æſtus incanduit: & vt, ita loquar, ambitionis tuæ viſcera tamquàm lethiferæ febris ardor excoxit. Ego autem tibi velut medicus, licèt imperitus, & oleum lenis, atque ſuauis admonitionis adhibui, & auſteræ correptionis vinum frequenter infudi. Nec Scripturarum tibi defuere pigmenta, quarum ſententias, dum exponere ſtudui, velut aromaticas tibi ſpecies pandere non ceſſaui. Et quoniam ego cum cæteris fratribus, vilibus coram te fuimus contenti ſemper exuuijs, dum feci prius ipſe, quod monui, quaſi priùs antidotum bibi: ſicque te ad bibendum, quod propinaueram, prouocaui. Sed & cauterium poſtremò aduſtionis impreſſi, dum nitori veſtium ignes tartareos minitans intentaui.

Ibidi. vt ſup. cap. 1. 5. *Solent planè potentes ſæculi phaleratis obſequentium induuijs delectari, præſertim ſi metatores hoſpitij ſint mirabiles, ſi præambuli quique diuerſi cultus ſpecie videantur inſignes. Sed videamus metatorem Chriſti Ioannem, attendamus Regis egregium Præcurſorem: qui nimirùm præiuit eum in ſpiritu, & virtute Eliæ, vt conuerteret corda patrum in filios, & incredulos ad pruden-*

dentiam iuſtorum. Perpendamus itaquè, Imperator Cœli, & terræ, quibus præuij metatoris ſui veſtibus delectetur; ſed Euangelio teſtante, cognoſcimus, quia veſtimentum eius pilis inhorruerat camelorum. De quo Saluator: Quid, inquit, exiſtis in deſertum videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Ac ſi manifeſtè perhibeat, quia non Cœleſtis, ſed terreni Regis digni decernuntur obſequijs, qui ad vanæ gloriæ nitorem accuratis ornari geſtiunt indumentis. Mollibus quippè veſtibus Regalis aula; aſperis, & incultis delectatur Eccleſia. Omnis enim gloria eius filiæ Regum ab intùs; Eccleſia ſiquidem, vel quæque fidelis anima, quæ & ipſa Sanctorum Apoſtolorum eſt filia, non extrinſecùs eniteſcere, ſed ornata gaudet in occulti Iudicis obtutibus apparere. Nec oblectatur fucata pulchritudine veſtium, ſed rutilantium gloriatur varietate virtutum.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 7.

Pſalm. 44.

6. Ecce Achab imperiali purpura deuoratur, & reprobo ſpiritu ſaliente decipitur; cilicium induit, & gladium Diuini furoris auertit; Regalibus infulis redimitus, laqueo deceptionis impingitur, ſacco contentus, dilatæ vltionis indulgentiam promeretur. Eat ergò Monachus vanæ gloriæ deditus, & toga radiante conſpicuus, nitore veſtium aſpectantium paſcat illecebras oculorum; ſed dum veſtibus fulget, iniquorum ſpirituum deceptionibus patet. Diuinæ prætereà indignationis aduerſùm ſe

Ibid. vt ſup. cap. 2.

ſen-

Digitized by Google

ſententiam prouocat, dum ſolis exterioribus deditus, oculos hominum, vt ſe admirentur, inuitat: tantòque deſpicabiliùs, Deo ſuperbiam reprobante, contemnitur, quantò coram oculis intuentium cultioribus induuijs amicitur. At contra Iob, qui nudus in terram corruit, qui profluentem
Iob.1.2.38. *ſaniem teſta radit, dum in ſterquilinio putrefactus, ac ſcaturiens vermibus etiam ab vxore deſpicitur, Diuinæ conſolationis alloquium promeretur. Nec enim Deus corporalis contagij nauſeat ſordes, vbi mundi cordis inuenit puritatem. Præ-*
1. Timot. 6. *tereà quid eſt, quod Apoſtolus ait: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus? Cur enim cum dicit, habentes alimenta, non protinùs addidit, & veſtes? Sed tantummodò cum præmittit, habentes alimenta, præſtò ſubiungit, & quibus tegamur. Cur hoc, niſi vt perſpicuè doceat, nos debere tàm deſpicabilibus operimentis indui, quæ digna non ſint veſtium vocabulo nuncupari? Enimuerò Dauid Rex nudus, ac ſolo*
2. Reg. 6. *contentus Ephod, coram Arca Domini publicè*
Iſa. 20. *ſubſiliens ſaltat. Iſaias Euangelicus Propheta triennio nudus, & diſcalceatus coram viris, & mulieribus ambulat; & Monachus, qui vitæ carnalis profeſſus eſt ſepulturam, nitidulæ veſtis adhuc pompas anhelat?*

7. Sed mirabile eſt, quod alibi ſuos Eremitas docuit, nimirùm, quòd vilitas, & paupertas veſtium Monachum mirabiliter deducunt in mon-

montem ſanctum Dei, & in tabernacula Iacob, ditiſſimæ videlicet ſpiritus paupertatis, quam Dominus beatificauit: [*Veſtibus quoque vilibus, & paucis eſto contentus* (ſcripſit Stephano Monacho.) *Aſſueſce igitùr, vt leui, ac perexiguo ſemper induaris amictu. Quod quidem in initio non ſine labore ſit, ſed procedente conſuetudine, dum quaſi in naturam vertitur, incommoditas frigoris facilè mitigatur. Porrò extremitas veſtium, ciborumque penuria, omnem auaritiam de corde Monachi prorsùs expellit. Ad quid enim mihi concupiſcere, quod nec alimentis, nec indumentis accreſcat?*] Opuſc. 23. c. 2. to. 3.

8. Et reuera multi de paupertatis ſolo titulo gloriantur, ſed quo pacto? Vt nihil eis deſit. Dicunt ſe amicos paupertatis, ſed paupertatis amicos, & ſodales fugiunt pro ſuo poſſe, nimirùm famem, ſitim, contemptum, nuditatem. Si enim nuditatem, contemptum, ſitim, famem, & deniquè omnes paupertatis ſodales, & amicos verè diligerent, & veram corporis mortificationem ſectarentur; nec ſperarent in iniquitate, nec rapinas concupiſcerent, & licèt diuitiæ affluerent, cor illis non apponerent. Ex S. Vincent. Ferrer. de Vit. ſpirit. c. 2.

9. Quod ergò Deo dicati deſtruunt horrea ſua, vt maiora faciant, vt illùc congregent omnia, quæ nata ſunt illis, & bona ſua; eſt, vt dicant animæ ſuæ: Requieſce, comede, bibe, epulare: contra quos, Vir Beatiſſimus ardentiſſimè inueh-

tur

tur in celebri ſuo Apologetico de contemptu ſæcu-
li, de quo nos ſupra plura retulimus; & inter alia:
Opuſc. 12. ca. 1. tom. 3. [*Cur non veremur*, inquit, *illud inhoneſtæ ambitionis importunitate repetere, quod neque terrena iura, neque Diuinæ legis authoritas vetuerat poſſidere? Porrò nos fecimus, vt à nobis iuſtè poſſeſſa iam noſtra non fierent, & quæ noſtri iuris erant, in alienum dominium translata prodirent. Quod ergò conſilium fuit in tam periculoſum noſmetipſos certamen adducere, vt contrà omnium humanarum, Diuinarumque legum decreta, quarum videlicèt pace fruebamur, nunc neceſſe ſit dimicare? Nos ſiquidèm minimè laceſſiti vltronea temeritate bellum mouimus, & nunc contrà ſacræ Scripturæ ſententias confligere non timemus.*

Ibid. cap. 7. 10. *Sed ex iſto nummicolarum numero cerebroſus quiſquam fortaſsè non deerit, qui mihi ad iſta reſpondeat: Diuitiarum me cur nunc mordaciter impetis, quem perexigua ſumma contentum vix paucos habere obulos cernis? Cumquè hoc propriæ fragilitati conſentio, releuandæ tantummodo futuræ neceſſitati proſpicio, non affluere diuitijs quæro. Teſte ſiquidem totius fraternitatis meæ conuentu, à filo ſubtegiminis vſque ad corrigiam caligæ, de Monaſterij mei facultatibus non accipio: & ſi proprijs me quibuſcumque reculis prorsùs euacuo; qualiter viuo? Ecce proprietarius noſter, ſiue meliùs, vt ante, nummicola, paupertatis patrocinio vtitur, vt ipſe diues irreprehenſibiliter videa-*

Digitized by Google

deatur; & quibus argumentorum fuſis mortale vitium palliat, vt quodammodò ſepulchrum fœdis cadaueribus plenum, ſuperductæ calcis albore, candeſcat?

11. Age, frater, ſi ex Monaſterialibus impenſis commodum tibi ſperare licuiſſet, numquid non veſtes, quas mox, vt præberentur, indueres, non autem pecuniæ lucra darentur, quæ loculis famulatura ſeruares? Cur non eodem compendio vteris in his etiam, quæ ab extraneis conferuntur? Videlicèt, vt percepto quolibet munere mox neceſſaria redimantur, & virus apud te pecuniæ non moretur? Hoc enim modo & indigentiæ tuæ velox conſolatio prouehit, & lepra pecuniæ fœdis ſe maculis non aſpergit. Cur autem tibi de exiguitate pecuniæ tamquam ſecurus applaudis, qui tibi ſic chalcum, ſicut & ipſum aſſem, probibitum eſſe non ambigis? Cui verò tota ei cuiuslibet vniuerſitas intercluditur, excuſationis aufugium de minutijs non lucratur: & cui totum ceſſit, pars proculdubio non remanſit, præſertim cum hæc ſit mentis humanæ natura, vt ità occupetur circà minima, ſi ſit indigens, ſicùt ergà multa, ſi ſit diues: Siue enim ſumptuoſa diuitiarum inundatione circumfluas, ſiuè tenuiſſima te rei familiaris anguſtia premat, ſententia illa mutari non poteſt: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Matth. 6.

12. Si ergò, frater, quiſquis es, ſumptus te delectat acquirere, vndè futuræ poſſis occurrere Ibid. vt ſup. cap. 8.

paupertati, veras prouidus diuitias appete, veræ etiam paupertatis inopiam pertimeſce. Illius namquè paupertatis intuitu, facillimè paupertas iſta contemnitur; illarum comparatione diuitiarum omnis terrenæ ſubſtantiæ copia, tamquàm litorea alga deſpicitur, quæ pedibus conculcatur. Nam ad compendioſi inexplicabilis negotij exitum
Ibid. inferius. *referre ſufficiat, quia hoc accepturi ſunt, qui mundum perfectè reliquerunt: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.*

13. *Hunc ergò theſaurum, Chriſtum videlicet Deum, & Dominum noſtrum, qui nobis factus eſt Redemptor, & pretium, ipſe promiſſor, & præmium, qui & vita eſt hominum, & perennitas Angelorum. Hunc, inquam, in exhedra tui pectoris diligenti cura reconde: in illum omnem cuiuſcumque neceſſitatis ſollicitudinem proijce: in ipſo per aſſiduæ orationis colloquium delectare: in ipſo te vigilibus ſanctarum cogitationum epulis refice: ipſe tibi ſit cibus, ipſe nihilominus indumentum. Si contigerit autem, vt etiam cuiuſpiam commodi exterioris indigeas, nihil hæſites, nihil de eius fida promiſſione diffidas, qua pollice-*
Matt. 6. *tur, dicens: Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Qui enim ſitientibus Iſraeliticæ plebis agminibus ex illo arido metallo rupis vberes aquarum riuos iuſſit effluere, qui eſurientibus Cœleſte manna per annoſa tem-*

po-

Digitized by Google

porum potuit ſpatia miniſtrare, qui innumerarum ortygometrarum multitudinem præcepit in murmurantium caſtra deſcendere, vni homuncioni ſuis iugiter obſequijs inſiſtenti non poterit neceſſaria prouidere? Et qui per quadraginta circiter annorum curricula infinitæ illius turbæ veſtimenta ſeruauit illæſa, difficilè ſibi eſt, attritis veteribus, nouas tibi exuuias reparare? Nos certè, nos minimæ fidei compellimus Chriſtum eſſe tenacem; nempè puſillanimorum diffidentia facit pauperem Chriſtum; at plena fides, diuitem illum, & largum in exhibendis muneribus experitur. Satage tantùm in his te exercere, quæ iuſſit, & nulla prorsùs ex his maneat dubietas, quæ promiſit. Sit ſecurus exactor, vbi ad reddendum promptus eſt debitor; ſine cauſa diffiditur, vbi ille promiſſor eſt, qui numquàm mentitur; ſecurus creditor graditur, cum ſimplex veritas promiſſione tenetur.] Exod. 16. & 17

14. Hæc ſanctæ, & religioſæ paupertatis deſertoribus PETRVS, vt deduceret illos in viam rectam, & eis oſtenderet Regnum Dei; quæ vtinam corde perciperentur ab illo, cuius remiſſam, tepidamque mentem pecuniæ poſſidet amor, & primitùs eum in exigua ſumma ſollicitans, iuſtos quoſdam, & velut rationabiles ei colores, ob quos, vel reſeruare ſibi aliquid pecuniæ debeat, vel parare deſcribit. Nam & ea, quæ præbentur in Monaſterio, queritur non eſſe ſufficientia, & ſano, Ex Ioan. Caſſian. Spir. Philarg. cap. 7.

Digitized by Google

robuſtoque corpore vix poſſe tolerari. Quid faciendum, ſi valetudo mala carnis emerſerit, & reconditum non fuerit aliquid peculiare, quo ſuſtentetur infirmitas? Præſtationem Monaſterij eſſe pertenuem, & negligentiam erga ægrotantes maximam; ſi proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, miſerè eſſe moriendum. Ipſum etiam veſtimentum non ſufficere, quod præbetur, niſi procurauerit, vndè ſibi aliud valeat exhiberi. Itaque cum huiuſmodi cogitationibus laqueauerit mentem, qualiter vnum ſaltem denarium acquirere poſſit, excogitat. Tunc peculiare opus, quod exerceat, ſollicita mente perquirit, & optato tandem potitus nummo, qualiter eum duplicet, acriùs, vehementiùſque torquetur, vbi reponat, cuiue illum credat, ambiguus. Deindè quid ex eo coemere, qualique eum commercio valeat duplicare, cura grauiore diſtenditur. Cumque illi & hoc ex voto ceſſerit, auidior fames accreſcit auri, tantòque vehementiùs ſuſcitatur, quantò etiam ſumma lucri maior apponitur; cum pecuniæ etenim incremento rabies cupiditatis augetur. Tum deindè vita longæua promittitur, ſenectus incurua, infirmitates diuerſæ, atque prolixæ, quæ, niſi maior ſumma in iuuentute fuerit præparata, tolerari in ſenecta non poſſint. Agitur itaque infelix anima ſerpentinis nexibus obligata, dum materiam malè concretam nequiori cura concupiſcit augere, peſtem ſibi, qua diriùs in-

inflammetur, ipſa parturiens, totaque lucri cogitatione poſſeſſa, nihil aliud reſpicit cordis intuitu, quàm vndè pecuniam parare valeat. Qua propter peſtifero huic morbo ſapientiſſimus noſter Medicus obuiantia rectè adhibuit medicamenta corporis: videlicet veram mortificationem, ob quam nullum ſibi emolumentum ex ſæcularibus iſtis ſperare ſibi caro noſtra non poſſit: ſempiternæ diuitiæ, vel paupertatis contemplationem, qua momentaneum, & leue vel egeſtatis huius, vel abundantiæ ſpernatur: & tandem firmam fidem, qua credatur, quòd inquirentes Dominum non deficient omni bono.

CAP. XXII.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; ideò auaritiam, & diuitiarum cupiditatem à ſuis adimere ſatagit.

1. NEc tantùm Venerabilis Pater deſiderabat, vt ſingulis Monachis numquam fuiſſet ipſa pecunia, pro qua mitterentur ad curas, & ſollicitudines huius ſæculi, ſed ſufficeret illis paupertas eorum, & diuitias computarent, quòd omnibus egerent; verùm communiter etiam Monaſterijs ſuis, & Eremis præcepit non ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo (qui præſtat no-

nobis omnia abundè ad fruendum,) benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehenderent veram vitam. Et quia audiuit, quòd Eremitæ Gamugenſes declinabant à via hac, quà ipſe ſtrenuiſſimè ambulabat, vndè ſibi ipſis ſtatuerant laqueum in tribulationem, & in ſcandalum; idcircò hæc illis ſcripſit.

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 32. to. 1. 2. *[Hoc etiàm me non leuiùs mouet, quia prætergreſſo nihilominùs inobedientiæ limite, eleemoſynas à ſæcularibus indifferenter accipitis, poſſeſſionis veſtræ funiculos inbianter extenditis, & vt cuncta breuis ſermo concludat, in occulto ſimùl, & in publico fieri diuites feſtinatis. Hæc autèm facientes, amariſſimis nos terræ concupiſcentiæ moribus laceratis, non ſolum vobis, ſed & poſteris veſtris dulcedinem quietis adimitis, curarum ſæcularium vos laqueis innodatis: & quod deterrimum eſt, pugnandi ſemper cum ſæcularibus, vel potius materiam ſeruiendi conſtituitis, non conſiderantes illud egregij Prædicatoris, quod veris abrenunciatoribus ait: Habentes alimenta, & quibus tegamur, ijs contenti ſimus.*
1. Temoth. 6. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli, & tentationes, & deſideria multa, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem; vbi & ſequitur: Radix omnium malorum eſt auaritia, quam quidem appetentes erra-*

errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

3. *Porrò autem ad quid diuitiarum lucra congerimus, an quia hæc in noſtros vſus expendere, natura modico contenta prohibente, non poſſumus, in quos prodigi valeant, anxia ſemper ſollicitudine perquirimus? Interim autem in earum contemplatione ſolas infelicium oculorum noſtrorum illecebras paſcimus, cùm eas intorquere in noſtræ neceſſitatis impendia non valemus. Vndè & Salomon cum præmiſiſſet: Auarus non impletur pecunia, & qui amat pecunias, fructus non capit ab eis; protinùs intulit: Vbi ſunt opes multæ, multi & qui comedunt eas; & quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod diuitias cernit oculis ſuis? Quod autem diuitiæ poſſidentibus ingerant ſollicitudinem, nec eos quieſcere ſecurè permittant, audiant Monachi, quorum certè profeſſio non ſollicitudini militat, ſed quieti. Dulcis eſt, inquit, ſomnus operanti, ſiue multùm, ſiue parum comedat; ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire. Propterea tametsì homo violenter, aut furtiuè non rapiat, etiamsì nequaquam mentiendo, vel circumueniendo decipiat, non leuiter tamen peccat, ſi dumtaxat alienam rem ſimpliciter concupiſcat. Vndè quoque in catalogo decem præceptorum ponitur: Non concupiſces rem proximi tui. Quis autem reatus ſit alieni iuris ambitio, vt ex induſtria multa prætaream, vno Beati Petri docetur*

Eccl. 5.

Ibid. c. 5.

Deuter. 6.

2. Pet. cap. 2.

exem-

exemplo. Nemo, inquit, veſtrum patiatur tamquàm homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Qui enim inter homicidas, fures, atque maledicos, qui regnum Dei profectò non poſſident, appetitorem facultatis alienæ conſtituit; quàm graue crimen, quàmque damnabile ſit, ex collatione ſimilium euidenter oſtendit. Quod etiam lucidiùs cernitur, ſi quod his verbis ſubiunctum eſt, ſubtiliter attendatur. Nam protinùs addidit: Si autem, vt Chriſtianus non erubeſcat, glorificet autem in iſto nomine Dominum, quoniam tempus eſt, vt incipiat iudicium de domo Dei. Vt ergò de aliena appetentibus diſſeramus, non ſicut Chriſtianus, ſed ſicut Antichriſtus proculdubio patitur, qui dum alienis ſubſtantijs inbiat, ingruentis eum aduerſitatis ſollicitudo perturbat. Chriſtus enim venit ſemetipſum, & Cæleſtem gloriam tradere; Antichriſtus autem veniens, animas hominum, pretioſam videlicet ſubſtantiam, conatur auferre. Si ergo qui aliena appetit, Chriſtianus non eſt, qua ratione Monachus dicendus eſt?]

4. At quia ſubſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius; pauor pauperum egeſtas eorum: ſicut ſapientiſſimus Vir modicum quid ſuis habere conceſſit, ne ſolliciti eſſent animæ ſuæ, quid manducarent, & corpori ſuo, quid induerentur, vt liberiùs, & faciliùs Deo vacare poſſent, & Eremiticis adhærere obſeruantijs: quemadmodùm ipſe teſtatus eſt, loquens de

de ſuæ Congregationis Inſtitutis: [*Vt autem ad hæc obſeruanda nullus excuſationi pateat locus iuxta id, quod exiguitati loci humilis competebat, ſtuduimus coetenùs poſſeſſiones acquirere: vt prædictum fratrum numerum poſſis, niſi exercendi cura defuerit, ſubſtentare &c.*] ita, vt vidimus à diuitiarum coaceruatione in ſua Congregatione, ſemper abhorruit, ne cum diues facta fuiſſet, & cum multiplicata eſſet gloria eius, interiret, & deſcenderet cum ea gloria ipſius; vt in pleriſque religioſis Ordinibus eueniſſe ſatis cõperimus. Hi enim proceſſerunt cum magna gloria, donec nec mendicitatem, nec diuitias habuerunt, ſed tantùm victui neceſsaria; nec ſatiati illecti fuerunt ad negandum, & dicendum: Quis eſt Dominus? nec ex aduerſo egeſtate compulſi furati ſunt, vel periurauerunt nomen Dei ſui. At vbi ex parte ſaturati ſunt, diuites facti ſunt, in itineribus ſuis marcuerunt; tepidi enim primùm effecti, poſt ea nec calidi, nec frigidi euomi cœperunt ex ore Altiſſimi. At vbi dixerunt: Diuites ſumus, & locupletati, & nullius egemus: miſeri, & miſerabiles, & cæci, & nudi lacrymabiliter euaſerunt. Opuſc. 14 aut. ſin. tom. 1.

5. Prætermitti ideò non debet, quòd in hoc ipſo fidelis miniſtrator aliud edocuit, videlicet quia: [*Quiſquis* (eius ſunt verba) *aliquid hoc ſtudio tollit* (ſcilicet accipit) *vt ſubſidia fratribus in egeſtate prouideat, vel pio cuilibet operi ſumptus exhibeat: ſiue etiam, quod inſignius eſt, pauperibus* Ead. Epiſt. 12. lib. 6. tom. 1.

Digitized by Google

in neceſſitate ſuccurrat, hic non dicendus eſt aliena impudenter appetere, ſed potiùs, quæ communia ſunt, à fratribus in fratres iuſtè transferre. Ad hoc enim vnus cæteris ditior eſt, vt non ſolùm commiſſa poſſideat, ſed vt non habentibus eroget; & non tam piè, quàm iuſtè miniſter ipſe, non dominus, quæ ſunt aliena, diſpenſet. Vndè Propheta cum diceret: Diſperſit, dedit pauperibus; non
Pſal. 111. *addidit munera eius, ſed: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Hinc etiam, cum de exhibendis eleemoſynis Dominus loqueretur: Videte, inquit, ne faciatis iuſtitiam veſtram coram homi-*
Matth. 6. *nibus, vt videamini ab eis. Quod autem eleemoſynæ largitatem hìc præcipuè iuſtitiam vult intelligi, inſinuat ipſe, cum præſtò ſubiungit: Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere. Ità iuſtitia eſt, quæ aliena ſunt, reddere. Quapropter qui diuitibus auferens, indigentibus exhibet, non alienorum dicendus eſt appetitor, ſed bonorum potiùs communium diſtributor. Hæc autem breuiter dicimus, vt inter alienorum appetitores, & fideles diſpenſatores eſſe diſtantiam monſtraremus: ne videlicet aliquandò ſuum ſub colore virtutis vitium palliet: vel rurſus virtutis intimæ puritatem, falſi vitij nomen obſcuret. Giezi ſanè puer Eliſei,*
4. Reg. 5. *ſi Prophetarum filijs, vt mentitus eſt, argenti talenta ſuſcipiendo conſuluiſſet, nequaquam ſubeundæ lepræ ſententiam pertuliſſet. Nam idcircò plaga percuſſus eſt, quam dator amiſerat: quia non*
ad

Digitized by Google

ad hoc aliena ſuſcepit, vt in opus pietatis expenderet, ſed vt ſuæ concupiſcentiæ ſatisfaciens, proprij iuris poſſideret peculium. Vndè vir Dei poſtquàm eum dignè corripiens, ait: Nonnè cor meum in præſenti erat, quandò reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tibi? mox addidit: Nunc ergò accepiſti argentum, & veſtes, vt emas oliueta, & vineta, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas; ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. Giezi porrò ſemen ſunt, qui ea, quæ in opus pietatis impendenda ſuſceperant, ſibimèt in poſterum noxiè profutura conſeruant. Ignobili namque, atque degeneri parenti reſponſura poſteritas, dum ſumptus ſupernos in ſua transferre lucra conatur, alieni procùl dubio ſceleris lepra perfunditur.]

6. Quod ſanè multum animaduertere deberent, qui per ſanctitatis adumbratæ figmentum transfigurant ſe in Angelos lucis, & cum nullis ferueant æſtibus Charitatis, quotidiè oblationes, & fidelium eleemoſynas vel pro viuis, vel pro defunctis ad ſuas trahere Eccleſias, vel Monaſteria ſatagunt, & contendunt: nimis enim periculoſum eſt, ne, dum pijs ſe deſeruire operibus ſimulant, & propria potiùs emolumenta quærant, & ſolida viſcera pietatis ignorent.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; quapropter eorumdem cauſa, lites ſuſcipi renuit.

1. TAndem ſanctæ paupertatis Amator in ipſa epiſtola ad Gamugenſes: [*Quid plura commemorem?* (inquit) *Dixi præſens, dico nunc abſens, tandem tamen vtrobique perficiens: Spernite diuitias, ne perpetuò mendicetis: eſtote voluntariè pauperes, vt ſine fine regnetis. Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. Et Salomon ait: Qui odit auaritiam, longi fient dies eius. Et iterum: Non proderunt diuitiæ in die vltionis. Iuſtitia autem liberabit à morte. Et rursùs: Melior eſt pauper in ſimplicitate ſua, quàm diues prauis itineribus. Et alibi: Vir, qui feſtinat ditari, & alijs inuidet, ignorat, quòd egeſtas ſuperuenerit ei.*]

Ibid. vt ſup.

Matth. 5.

2. Ita enim ſuorum neceſſitatibus, alijſque indigentibus conſulere ſtuduit, ne propter inopiæ timorem iuſtitia dedereretur; vt ideo propter temporalia lites, & iurgia numquam ſuſcipere voluerit. Vndè Vviberto Archiepiſcopo Rauennati, qui cuiuſdam Monaſterij, cui olim præfuit, multa abſtulerat, Vir mitiſſimus, & ſpiritu pauper abſti-

ſtinens ſe à lite, vt minueret peccata, hæc ſcripſit.

3. [*Miror ſatis, venerabilis Pater, quia poſtquam ad te veni, poſtquam ab alio reuocatus itinere, veſtris iuſſionibus parui, nullum legationis verbum, nullum ſuſcipere merui veſtræ familiaritatis indicium. Certè nonnulli teſtes ſunt huius rei, quam loquor, quia ſi bonæ memoriæ deceſſor veſter hìc habitandi ob tempora de ſalute ſuæ animæ, & de ſpiritualium rerum ordinationibus rata promiſſione firmaret; vos autem è diuerſo me quotidiè flagellatis, quotidiè acres verberum plagas infligitis, & qui audire non meretur linguam, grauem de ſacris manibus ſuſcipit diſciplinam. Nempè dum hoc ſollicitè ipſe conſidero, ſæpè intrà ſecretum mei pectoris hæc mecum tacitus verba reuoluo: Hoc mihi, inquam, facit Dominus meus, quod Eliæ feciſſe legitur Omnipotens Deus: Vade, inquit, in Sareptam Sidoniorum, ibi præcipe mulieri viduæ, vt paſcat te. Quæ videlicet vidua, poſtquàm Prophetam ex Diuina iuſſione ſuſcepit, fælicem ſe, & domum ſuam fore tanti hoſpitis contubernio iudicauit. Cui tamen dum ſedula famulatur, dum deuotis miniſtrat obſequijs, eius filius repentinâ morte corripitur: & per quem ſuum ſperabat filium diù in hac vita florere, eum iam cœpit velut auctorem mortis impetere, dicens: Quid mihi, & tibi, vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres*

Epiſtol. lib. 3 epiſt. 5. to. 8.

3. Reg. 17.

res

res filium meum? Ecce clementiſſime Domine, cætera Monaſteria ſub alis miſericordiæ veſtræ illæſa perſiſtunt, & cum ſecuritate, & immunitate Deo deſeruiunt. Hoc autem ſolum, ex quo me illud ingredi præcepiſtis, tot patet inuaſionibus, & rapinis obnoxium, vt niſi mens veſtra vel nunc flectatur ad miſericordiam, iam videatur funditùs deſolatum. Sic itaquè domus Dei per me videtur in infima deijci, per quem ſperabatur, Deo vobis coöperante, cœlotenùs exaltari. Quapropter, glorioſiſſime Domine, fuſis lacrymis ad veſtigia veſtra corruo, ſanctæ viſcera pietatis imploro, vt ſecundùm grauitatis veſtræ prudentiam, iam memineritis retinere flagellum, iam ponatis
Iob. 2. *tot perſecutionibus modum; dicente Domino per Prophetam: Dùm conturbatus fueris, in ira miſe-*
Achab. 8. *ricordiæ memor eris. Nec grauetis ſanctum locum adbuc auferendo pecuniam, quem tantam Eccleſiaſticarum rerum noſtis iam pertuliſſe iacturam.*]

4. Si nonnullis religioſis Præpoſitis hoc accidiſſet, quod PETRO; iam habuiſſent negotium contra Epiſcopum, & forſitàn iudicium aſſumpſiſſent apud iniquos, & non apud ſanctos. Sed cum
1. Corinth. 6. v. 6. Apoſtolus in Eccleſia talia iudicia fieri inter fratres, fratribus iudicantibus, permittat, extra Eccle-
Ex S. Anſelm. Ibid. ſiam terribiliter vetet; manifeſtum eſt, quòd ſecundùm veniam concedatur infirmis. Ideò Beatiſſimus Vir verè terrenis omnibus mortuus, coram ton-

tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum: iudicia habere noluit, magis iniuriam accepit, magis fraudem paſſus eſt, & vix loquutus eſt, vt reſiſteret iræ, & finem imponeret ſuorum neceſſitati.

5. Sed ſi cum alienis, multò magis adimere voluit inter ſuos pro temporalibus lites, & bella; quamobrem omnibus communem, hoc titulo ſequentem miſit epiſtolam.

Omnibus fratribus in qualibet Eremo ſub noſtri miniſterij cuſtodia conſtitutis, PETRVS peccator Monachus indiuiduæ vinculum Charitatis.

6. *Noſtis, dilectiſſimi, quia loca iſta nobis commiſſa, me viuente, quaſi vnum ſunt: & res quæcumque ſunt neceſſariæ, hinc ad vos indifferenter tranſeunt; à vobis etiam huc, prout fraterna exigit vnanimitas, proferuntur. Et oro Spiritum Sanctum, vt eadem, me defuncto, inter vos concordia vigeat, quæ nunc in vobis cor vnum, & animam vnam per Charitatis glutinum conflat. Sed neceſſe eſt, nunc me vobis cauta prouiſione conſulere, ne frigeſcente forſitan Charitate, priuatus amor de retentione rei cuiuſpiam inter vos ſcandalum valeat generare. Quapropter adiuramus vos, & per tribunal tremendi Iudicis obteſtamur, quidquid poſt meum obitum, quod alte-* Epiſt. lib. 6. epiſt. 36. n. 8. tom. 1.

alterius loci ſit, quiſque apud ſe fortè repererit; præſto reſtituat; & remota omni machinatione, vel callida argumentatione, purè, & ſimpliciter quod alienum eſt, reddat. Alienum autem dico, quidquid ego non pro munere habendum perpetualiter contuli: ſed rem alterius loci in alio, quia noſter erat vterque, manere permiſi. Quiſquis igitùr huius noſtræ ſententiæ temerator extiterit, vſque ad ſatisfactionem congruam excommunicationi ſubiaceat.]

7. Altiſsima verò Sanctiſs. Viri paupertas taliter abundauit in diuitias ſimplicitatis, vt in ipſo etiã communium rerum vſu enitere ſummoperè concupiuerit. Vndè ſcriptis mandauit: [*Caueat vtilis frater, nè res ſuis neceſſitatibus deputatas deterere præſumat, vel incautè tractare; vtpotè veſtes, ferramenta, vaſa, vel his ſimilia. Præſertim libros ſanctos ità cuſtodiat, vt numquàm manum ſuper litteras teneat, numquàm fumo nigreſcere, vel ignis ardorem ſentire permittat;*] & hoc præcepit, ne quis vel in modico eſſe contrà paupertatis votum infidelis præſumeret.

Opuſc. 15. c. 18 tom. 3.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; idcircò hominum conſortium fugit, & ſolitudinem ſectatur.

1. SOcietas vſquequàque mortalium diffuſa per terras, & in locorum quantislibet diuerſitatibus, vnius tamen, eiuſdemque naturæ quadam communione deuincta, vtilitates, & cupiditates ſuas quibuſque ſectantibus, dum id, quod appetatur, in proprijs non habetur, aut nemini, aut non omnibus ſufficit, quia non eſt idipſum, aduersùm ſeipſam plerumque diuiditur, & pars partem, quæ præualet, opprimit. Et vt iam, quæ concupiſcit, attingat, hinc indè vagando diſcurrit. Mirum ergò non eſt, ſi Charitas, quæ in PETRO numquàm quæſiuit, quæ ſua erant, pacem cum omnibus habuit, & præcipuè cum domeſticis fidei, nec vagari eum permiſit poſt greges amatorum; dum eum omnia detrimentum facere, & arbitrari vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret, docuit. Non habens enim inſtabilitatis vitium nummos, in quorum præſidio, alarum ſibi inſtar proprietarius Monachus aptat, & ad tranſmigrandum paratus, inſolenter plerumque ad omnia præcepta reſpondet, & tamquàm peregrinum, extra-

Ex D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 18. ca. 2. tom. 5.

Ex Io. Caſſian. de ſpirit. Philarg. lib. 7. c. 9.

neumque ſe gerit: meliorem fecit ciuis Sanctorum, & domeſticus Dei diem vnam in atrijs eius ſuper millia, magiſque elegit abiectus eſſe in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Et ſicut oliua fructifera in domo Domini plantatus in atrijs domus Dei noſtri floruit, & quoad potuit, non diſceſſit de templo ſancto eius, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die.

2. Quid enim illi erat in Cœlo, & à Deo ſuo quid voluit ſuper terram? Defecit caro eius, & cor eius in Deo cordis ſui, & pars eius Deus in æternum. Ideò tenuit illum, nec dimiſit; quoniam proſpexit eos, qui elongabant ſe ab illo, perire, & perdi omnes, qui fornicabantur abs eo; adhærere Deo bonum duxit, & timuit vel paululùm elongari ab illo, ne fornicaretur, & periret. Sola nimirùm Charitas, & obedientia abſtrahere eum potuit à ſolitudine, cui olim dixerat: hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitaui, quoniam elegi eam.

3. Quomodò autem inſeparabile ſibiipſi propoſuerit hoc decretum non derelinquendi eam, quam amauerat, & exquiſierat à iuuentute ſua, & quæſierat ſponſam ſibi aſſumere amator factus formæ illius, ipſemet narrat his verbis: [*Sæpè rogatus, vt pro neceſſitatibus Eccleſiaſticis, vel fœderanda pace procederem, cum mihi detrimentum eſſe pernoſcerem, licèt alijs vtilitas proueniret; Martinum Storacem* (de quo alibi) *ex fide conſului,*

Opuſc. 51. c. 5. tom. 3.

ſului, vt in Diuina gratia dignaretur infundere, quid mihi decerneret expedire. Protinùs ſancta ſimplicitas ad id, quod propoſitum erat, compendioſæ reſponſionis clauſulam fixit: Quid, inquit, candelæ prodeſt, ſi alijs luceat, dum ſe interim edax flamma conſumat? Hoc reſponſum, fateor, lætus arripui, & tamquàm diuinitùs datum, ſalua tantummodò Charitate, & obedientia, ſeruare decreui.] Vide ſup. cap.

4. Sicut igitur gaudet ſponſus ſuper ſponſam, ſic gaudebat Vir Sanctus quoties ab exterioribus reuertebatur ſimilis capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether, ſeque abſcondebat in abſcondito faciei Domini in dilecta ſolitudine. Vndè poſt dimiſſum Epiſcopatum exultans in Spiritu Sancto, hæc ſcripſit ad Deſiderium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem: [*Qui ſolus*, inquit, *de marini fluctus procellis eripitur, dùm ſagenam adhùc inter rupes, & ſcopulos, inter minaces, atque intumeſcentes vndarum cumulos periclitari conſiderat, inhumanus eſt, ſi laborantes in diſcrimine ſocios non deplorat. Ego itaque, Epiſcopatu dimiſſo, me quidem velut arenis expoſitum gaudeo, ſed ne ventis, atque turbinibus atteri, ac inter biantes pelagi fluctuare voragines, non ſine fraterna compaſſione ſuſpiro.*] Deindè hæc addit notatu digniſſima verba: [*Errat, Pater, errat, qui confidit ſe ſimùl & Monachum eſſe, & Curiæ deſeruire. Quàm malè mercatur, qui Monachorum* Opuſc. 36. c. 1. tom. 3.

 præ-

neumque ſe gerit: meliorem fecit ciuis Sanctorum, & domeſticus Dei diem vnam in atrijs eius ſuper millia, magiſque elegit abiectus eſſe in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Et ſicut oliua fructifera in domo Domini plantatus in atrijs domus Dei noſtri floruit, & quoad potuit, non diſceſſit de templo ſancto eius, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die.

2. Quid enim illi erat in Cœlo, & à Deo ſuo quid voluit ſuper terram? Defecit caro eius, & cor eius in Deo cordis ſui, & pars eius Deus in æternum. Ideò tenuit illum, nec dimiſit; quoniam proſpexit eos, qui elongabant ſe ab illo, perire, & perdi omnes, qui fornicabantur abs eo; adhærere Deo bonum duxit, & timuit vel paululùm elongari ab illo, ne fornicaretur, & periret. Sola nimirùm Charitas, & obedientia abſtrahere eum potuit à ſolitudine, cui olim dixerat: hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitaui, quoniam elegi eam.

3. Quomodò autem inſeparabile ſibiipſi propoſuerit hoc decretum non derelinquendi eam, quam amauerat, & exquiſierat à iuuentute ſua, & quæſierat ſponſam ſibi aſſumere amator factus formæ illius, ipſemet narrat his verbis: [*Sæpè rogatus, vt pro neceſſitatibus Eccleſiaſticis, vel fœderanda pace procederem, cum mihi detrimentum eſſe pernoſcerem, licèt alijs vtilitas proueniret; Martinum Storacem* (de quo alibi) *ex fide conſului;*

Opuſc. 51. c. 5. tom. 3.

ſului, vt in Diuina gratia dignaretur infundere, quid mihi decerneret expedire. Protinùs ſancta Vide ſup. cap. *ſimplicitas ad id, quod propoſitum erat, compendioſæ reſponſionis clauſulam fixit: Quid, inquit, candelæ prodeſt, ſi alijs luceat, dum ſe interim edax flamma conſumat? Hoc reſponſum, fateor, lætus arripui, & tamquàm diuinitùs datum, ſalua tantummodò Charitate, & obedientia, ſeruare decreui.*]

4. Sicut igitur gaudet ſponſus ſuper ſponſam, ſic gaudebat Vir Sanctus quoties ab exterioribus reuertebatur ſimilis capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether, ſeque abſcondebat in abſcondito faciei Domini in dilecta ſolitudine. Vndè poſt dimiſſum Epiſcopatum exultans in Spiritu Sancto, hæc ſcripſit ad Deſiderium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem: [*Qui ſolus*, inquit, Opuſc. 36. c. 1. tom. 3. *de marini fluctus procellis eripitur, dùm ſagenam adhùc inter rupes, & ſcopulos, inter minaces, atque intumeſcentes vndarum cumulos periclitari conſiderat, inhumanus eſt, ſi laborantes in diſcrimine ſocios non deplorat. Ego itaque, Epiſcopatu dimiſſo, me quidem velut arenis expoſitum gaudeo, ſed ne ventis, atque turbinibus atteri, ac inter hiantes pelagi fluctuare voragines, non ſine fraterna compaſſione ſuſpiro.*] Deindè hæc addit notatu digniſſima verba: [*Errat, Pater, errat, qui confidit ſe ſimùl & Monachum eſſe, & Curiæ deſeruire. Quàm malè mercatur, qui Monachorum*

præſumit clauſtra deſerere, vt mundi valeat militiam baiulare! Vndis erutus ſanus eſt piſcis; non vt ſibi viuat, ſed vt alios paſcat. Vocamur, attrahimur, ſed vt viuamus aliis, moriamur nobis; amat venator ceruum, ſed vt ſibi faciat cibum; perſequitur capras, lepuſculos inſectatur; ſed vt ipſi benè ſit, illa nihil ſint. Amant & homines nos, ſed non nobis; ſibimet diligunt, in ſuas nos vertere diuitias concupiſcunt. Quos nimirùm dùm in exteriora proſequimur, quid aliud, quàm Monacho noſtro, qui latebat intrinſecùs, repudium damus? Mox enim ad ſumma tendentis vitæ ſtatus euertitur, rigor eneruatur diſciplinæ, atque ſilentij cenſura diſſoluitur: & ad effluendum quidquid libido ſuggeſſerit, ora laxantur.]

Sup. lib. 3. cap. 5. Supra vidimus, quæ contra Monachos Gyrouagos ſcripſit in Apologetico de contemptu ſæculi: his addenda ſunt, quæ alibi de ipſis, ſollicitudinem Marthæ affectantibus, & à Mariæ optima Opuſc. 13. c. 10 tom. 3. parte ſeſe ſubtrahentibus dixit: [*In domo Laban*, ait, *nonnullos videmus ſub tanti torporis, atque diſſidiæ negligentia viuere, vt neque Rachelis ambiant pulchritudinem, neque etiam circa Liæ ſe videantur exercere laborem. Hi profectò ſunt, qui in Monaſterio conſtituti, neque per remotiorem vitam, ſiue per aſſiduæ orationis inſtantiam ad gratiam contemplationis anhelant; neque ſub ieiuniorum ſe, diuerſorumque laborum diſtrictione caſtigant. Huiuſmodi planè vel coniugis omninò liberi,*

Digitized by Google

liberi, vel ancillarum tantummodò complexibus ſunt contenti; quia vel inertis ignauiæ potiuntur otijs, vel ſi quid agunt, non ad hoc tendunt, vt actiuæ, vel contemplatiuæ vitæ perferant fructum; ſed ad hoc potiùs, vt proprij arbitrij, ſuæque voluntatis expleant appetitum.

6. *Hi ſunt denique, qui ad quælibet peragenda negotia, huc, illucque votiua iugiter vagatione diſcurrunt; & dum quieſcere neſciunt, videri velut obedientes volunt; ſicque morbum vitij, quo laborant, ſuperducto velamine virtutis obumbrant. Hi nimirùm non idcircò laboribus atteruntur, vt obediant, ſed ideò ſuis Præpoſitis obedire deliberant, vt laborandi materiam non amittant. Otium videlicet tolerant, labore fruuntur: quia vagationem, quietem, molamque negotiorum voluere, ſuauem deputant voluptatem. Sunt enim quædam animæ paralyticæ, quæ ſe gaudent crebris diſcurſionibus agitare. Quiſquis enim corporeæ paralyſis languore conſtringitur, ſæpè miniſtrorum vexatione concutitur, & ſic agitationibus refouetur. Hi certè, ſpirituales videlicet paralytici, vel ſolis ancillis dicendi ſunt eſſe coniuncti, atque ideò eorum filij nullatenùs ad hæreditatis capeſſendæ iura perueniunt: vel ſi liberas habere ſe putant, non ancillas, vt ita dixerim, propter filias Laban; ſed peruerſo ordine filias ſibimet fœderare volunt propter ancillas: quia non ad hoc laborant, vt obediant, ſed ad hoc potiùs obediunt,*

vt

vt laborent. Nec more Iacob ad actiuam, vel contemplatiuam vitam fructus ſuorum operum referunt; ſed ſiue de actiua quid in ſua operatione demonſtrent, ſiue de contemplatiua aliquid verbis enuncient, non in his ſpiritualis vtilitatis expetunt fructum, ſed propriæ tantummodò voluntatis aucupantur arbitrium.]

Ex D. Bernard. Serm. 3. de Aſſumpt. B. M. Virg.

7. Ex his PETRI verbis abundè colligitur, quòd felix domus, & beata ſemper congregatio eſt, vbi de Maria Martha conqueritur, quòd nimirùm reliquit ſe ſolam miniſtrare. Nam Mariæ Martham æmulari prorsùs indignum, prorsùs illicitum eſt. Alioquin vbi legitur Mariam cauſantem, quia ſoror mea reliquit me ſolam vacare? Abſit, abſit igitur, iuxta Beatiſſimi Patris Noſtri ſententiam, vt qui Deo vacat, ad tumultuoſam aſpiret fratrum officialium vitam. Martha ſemper inſufficiens ſibi, & minus idonea videatur, alijſque magis id operis, quod adminiſtrat, optet imponi. Sed in qua domo reperies vel tam humilem Martham, vel adeo Diuinæ contemplationi vacantem Mariam? Nemini nos blandimur, vtinam nec legentium quiſpiam ſe ſeducat. Quibus igitur nulla credita eſt diſpenſatio, adminiſtratio nulla commiſſa: his omninò ſedendum erit, aut ſecus pedis Ieſu cum Maria, aut certè cum Lazaro intra ſepta ſepulchri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ ſollicita eſt pro multis? Tibi ergo, cui neceſſitas hæc non incumbit, è duobus

vnum

vnum eſt neceſſarium, aut non turbari penitùs, ſed delectari magis in Domino: aut ſi id necdum potes, eo quòd durum ſit ſæpènumerò vel ſepeliri, vel ad otium, & ad ſedendum cogi, non ſecus pedes Ieſu, ſed ſecus pedes illius, qui ingreſſus religioſum Conuentum, & ipſi ſuperbè præſidens, dicere audet: Tu ſta illic; aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: quia nimirùm ſolus ipſe eſſe vult, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quæ agenda ſunt, peragantur: ſi inquam id necdum potes, turbaris non erga plurima, ſed (vt de ſe Propheta loquitur) ad teipſum. Oportet enim Monachum, ad quem de fabricanda, ſeu regenda inter vndas diluuij Arca nihil ſpectat, aut virum eſſe deſideriorum, vt Daniel erat: aut cum Beato Iob virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Hoc ipſum alibi confirmauit Vir Sanctiſſimus tali pacto: [*Authalopus acerrimum nimis, & violentum eſt animal, adeoùt nec illi venator accedere, nec perſecutor quiſquam audeat propinquare. Habet autem longa cornua in ſerræ ſimilitudinem figurata, quibus nimirùm pergrandia valeat arbuſta ſecare, terræque deponere. Cum verò ſitierit, veniens ad Euphratem bibit: propè quem videlicet fluuium frutex quidam naſcitur, qui Gericinæ vocabulo nuncupatur, habens virgulta ſubtilia, atque prolixa. Veniens itaque Authalopus ad Gerecinam, dum ludere laſciuiens tentat, cornua ſua virgultis crebreſcentibus obligat.* Opuſc.52. c.4. tom.3.

gat.

gat. Cum verò diutiùs pugnans, ſeſe nullatenùs valet educere, magnis incipit vocibus exclamare: His excitatus clamoribus venator, accurrit, eumque, dum proprijs nexibus arctatur, occidit. Tu ſerue Dei, qui duobus es Teſtamentis admonitus, quaſi totidem cornibus inuictè munitus, quibus nimirùm & temetipſum inuiolabili valeas tuitione protegere, & aduerſantes ſpiritus robuſtiſſimè ventilare: poſtquàm Deum, fontem ſcilicet viuum laudabiliter ſitire cœpiſti, poſtquàm magni Euphratis, ideſt Cœleſtis eloquij fluenta bibiſti, noli iam cauſarum ſæcularium vacare negotijs; noli te, velut petulcum animal, voluptatum carnalium irretire virgultis; ne dùm te hæc ſuis nexibus obligant, repentè nequiſſimus aduerſarius impetat, ac lethale vulnus tamquàm improbus venator infligat. Excitat enim venatorem vox clamantis, cum te accendit flamma libidinis.]

8. Nec tantùm bonus Chriſti Miles noluit Monachum egredi, vt ſe implicaret negotijs ſæcularibus, vt ei placeret, cui ſe probauit; ſed nec ſub pietatis ſpecie ad ſæcularia reuerti diſtrictiſſimè ſemper prohibuit, & multo magis in ſæculo commorari: vnde & Monachorum cœtum Florentiæ, licèt contra Simoniacos agentem, quaſi Dominicum illud vſurpans: Quid ad te? tu me ſequere, grauiter perſtrinxit. Et Theuzoni: [*Quæſo*, inquit, *ſi Monachus es, quid tibi cum vrbibus? Si Eremita, quid tibi cum ciuium cuneis? Quid enim*

Opuſc. 51. c. 3. tom. 3.

enim cellæ, vel fora ſtrepentia, vel turrita conferunt propugnacula? Et demum Blancæ ex Comitiſſa Moniali: [*Sæpè malignus ſpiritus*, ſcripſit, Opuſc.50.c.8. tom.3. *velut auis in ramo arboris, ſic in lingua ponitur adulantis, & tamquàm per organum vaſis, in vas virus effluit, quod lethaliter in audientis interiora transfundit. Tu autem obtura aures malèſuadis cantibus Sirenarum, & Scyllææ voraginis prudenter euade naufragium; ſicquè cor tuum in ſancto propoſito terror Iudicis figat, vt nequaquàm hoc ventus aſſentatorij fauoris euellat. Antiquus enim ille ſeductor, qui dudùm Euæ per ſerpentem verſutiæ ſuæ virus inuomuit, adhuc fortaſſis & tibi, tamquam filio morem ſeruans, per aliud ſuum vaſculum ſibilabit: Reuertere, inquiens, domum ſub ipſo ſacræ profeſſionis habitu, rege familiam, expone piè viuendi formam, tene ſuper filium, eiuſque coæuos, grauitatis, ac modeſtiæ diſciplinam, prouidè lapſuro non abſonam legibus ſponſam, nec reſilire permittas ſibimet obſequentium clientelam. Hæc igitur fabricans nequitiæ ſpiritus non curat, qua te ad ſæculum retrahat veſte, dummodo confidat, quòd per ſæculares actus tibi principetur in monte.*]

9. Quod idem in Apologetico de contemptu ſæculi lucu'entiùs docuit, dicens: [*Notandum autem*, Opuſc.12.c.26 tom.3. *quia ſæpè ſeruus Dei per huius mundi membra decipitur, dum ad dirimendas diſſidentium lites, vel ad aliqua peragenda, Eccleſiaſticis ſcilicet vſibus*

Digitized by Google

profutura, importuniùs inuitatur: imminens namque periculum, multorumque commune diſcrimen, niſi progrediatur, exaggerant. Quod ſi acceſſerit, cuncta ad ſuæ voluntatis arbitrium, atque ad felices exitus prouentura, multipliciter aſſeuerant. Antiquus enim hoſtis videns militem Chriſti in procinctu ſancti certaminis poſitum, non aliter poſſe à ſui propoſiti feruore tepeſcere, machinatur vberioris cuiuſdam fructus ſuperficietenùs bonum adumbrare: vt dum lucrum maius attenditur, bonum, quod in præſenti eſt, ad tempus quaſi diſpenſatoriè poſtponatur. Sed qui mendacis mundi conſuetudinem frequenter expertus eſt, prudenter nouit & vana ſuggerentium commenta reſpuere, & ſe ab infructuoſi laboris exercitio grauiter cuſtodire. Apud quoſdam namque abſentis Monachi auctoritas grauis eſt; ſi autem præſens adfuerit, nullius iudicatur eſſe momenti. Sæpè enim cuiuspiam venerabilis viri litteris reuerentiæ honor impenditur, qui perſonæ, ſi adſit, indeuotiùs exhibetur. Apud ſæculares nempè Religioſus quiſque veluti pictura eſt. Pictura ſiquidem, ſi procul aſſiſtat, inhianter, & cum auiditate proſpicitur: ſi iuxta ſit, contemptibilis iudicatur. Et ſpiritualis quiſque carnalibus abſens quidem timori, præſens autem videtur deſpectui. Quod &
2. Corint. 10. *Apoſtolus ſibimet contigiſſe teſtatur, cum ait: Epiſtolæ graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis. Quos*

enim

Digitized by Google

enim epiſtolarum fortitudine, & grauitate terruerat, his corporali præſentia deſpicabilis apparebat. Quid autem mirum, ſi iuſtis quibuslibet viris iſta contingant, cum & de ipſo electorum capite, Redemptore videlicet noſtro, non diſſimile quid Euangelica ſeries aſſerat? Herodes, inquit, viſo Ieſu, gauiſus eſt valdè; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audierat multa de illo. Sed videamus hoc tam magnum, tam diuturnum deſiderium, quod in abſentem Dominum falſitas Herodiana tenuerat, in quem tandem exitum oblata videndi facultate concluſerit. Quod nimirùm manifeſtè declaratur, cum paulò inferiùs ſubditur: Spreuit autem eum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. Ecce quem vulpis illa malitioſa deſiderauerat, ſpreuit: quem videre cupiebat, illuſit; & quia Vitam non pio viuendi amore quæſiuit, remittens eum ad Pilatum, in impietatis ſuæ morte remanſit.

Luc. 23.

Ibid.

10. *Satis ſit Seruis Dei perituro huic mundo ſe mortuos exhibere. Sicut enim abſurdum eſt bonis mala præferre, ita etiam fatuum, optimum bono inferius iudicare. Maria, quia optimam partem elegit, ſufficere ſibi credidit; nec ſe ad bona Marthæ, frequens videlicet miniſterium, reclinauit. Moyſes, quia ab humana conuerſatione remotus, bis quadragenario dierum numero ieiunauit, bis etiam legem Domini digito ſcriptam*

Ibid. vt ſup. cap. 27.

Luc. 10.

Exod. 24. 23.

Digitized by Google

Exod. 32. *ſuſcipere meruit. Aaron autem, qui ad cuſtodiam populi derelictus eſt, cognoſcitur idola fabricatus.*

11. Sic nimirùm, *ſic plerùmque contigit, vt qui propria non contentus, alienæ progreditur ſaluti conſulere, ſui potiùs cogatur periculum ſuſtinere, cumque alij, velut inter procelloſa naufragia palpitanti, manum porrigit, ipſum quoque præcipitem vorax fluctus inuoluit. Tutius ergo eſt ſub huius vitæ nocturna caligine, nos in litore poſitos naufragantibus lumen ingerere, quàm ad eos compaſſionis gratia cum propriæ vitæ periculo pernatare; quatenus ipſi per nos dato recti curſus indicio, ſinum tuti portus attingant, non autem nos ad eos transfretantes vorago ſpumoſi maris abſorbeat.*
Exod. 17. *In vertice montis Raphidim Moyſes orabat, & duce Ioſue, Iſrael in conualle pugnabat. Sed ſi Moyſes in adiutorium populi ſui ad campeſtria deſcendiſſet, Amalech proculdubiò Iſraelitarum cædentium terga percuteret; ſi ille manus ad corripienda arma deponeret, facta ſuorum ſtrage, facilem victoriam aduerſarijs triumphantibus præbuiſſet. Quod nimirum patenter agnoſcitur, ſi ipſa ſacræ hiſtoriæ ſeries ſubtiliter attendatur, vbi dicitur: Quia cum leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſi autem paululùm dimiſiſſet, ſuperabat Amalech. Orantis ergo manus, manus præliantium roborabant, & quia iſtæ imbelles ad Cœlum patebant, idcirco illæ dimicantes victo-*

riam

Digitized by Google

riam cæſis hoſtibus obtinebant. Illarum quidem fuit pugna, ſed iſtarum non ambigitur fuiſſe victoria, quia ut illis daretur vincere, iſtæ meruerunt diuinitùs impetrare: At contra Balaam filius Beor, qui ad prælium cum Madianitis egreditur, cum his, quos iugulare decreuerat, gladio trucidatur. Et iure, qui proprio non eſt contentus officio, diſcrimini redditur obnoxius alieno. Infelix meruit inter bellantium cuneos hoſtilibus gladijs confoſſus occumbere, qui in pace poſitus per Prophetiæ oraculum ipſius belli potuiſſet exitum renunciare. Num. 1.

12. *Nequaquam ſic Eliſeus, qui nimirùm Ioram Regem Iſrael aduersùs Moab properantem non ad bella ſecutus eſt, ſed tantùm ſufficere credidit, quod ei ſucceſſum belli, & futuram conciſis hoſtibus victoriam prædixit. Sed cur dicimus, quia nequaquam in prælium Regia caſtra ſecutus ſit, cum & Naaman de remotis Syriæ finibus veniente, & oſtio domus ſuæ cum equis, & curribus humiliter aſſiſtente, non limen egredi dignum duxit, non ianuam, vt ingrederetur, aperuit; ſed per nuncium potiùs, quæ fuerint facienda, mandauit? Et certè Naaman iſti multiplex mundanarum dotum ſuppetebat copia, quibus honorandus eſſe videretur. Sicut enim teſtatur hiſtoria: Princeps erat militiæ, virquoque magnus apud dominum ſuum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ; erat inſuper, ſicut ſcri-* Ibid. vt ſup. cap. 28. 4. Reg. 5.

ptum

ptum eſt, vir fortis & diues. In ipſa etiam expeditione poſitus, ſubſtantiæ facultate non erat omninò vacuus: tulerat enim, ſicut legitur, decèm talenta argenti, & ſex mille aureos, decem nihilominùs mutatoria veſtimentorum, quæ etſi cuiuſmodi fuerint, Scriptura non dicat, grauibus tamen auri, argentique connumerata ponderibus pretioſa fuiſſe, quis ambigat? Quanti ſunt hodiè, qui Monaſticæ inſtitutionis profeſſione cenſentur, quibus ſi tàm potens, tamque famoſus vir præ foribus dignaretur aſſiſtere, mox etiam feſtinantes reuerenter occurrerent, vt ingrederetur, humiliter obſecrarent: & non tàm, quæ vtiliter implerentur, quam quæ libenter audirentur, aſſentationis verba proferrent? Qui etiam ſi tantoperè rogarentur, nequaquam ſuſcipere oblata renuerent, præſertim ſi aliquantulum numeroſior alendorum fratrum ſibi conuentus adeſſet. Eliſeus autem Spiritus Sancti diſcipulus, ſpe diues, theſauro fidei locuples, licet centùm Prophetarum filios ſub diſciplinæ ſuæ magiſterio ſuſtentaret, pecuniam ſpreuit, munera repulit, & impenſæ gratiæ vicem recipere laudabiliter recuſauit, ne videlicet, quod gratis acceperat, ad dantis iniuriam vendere videretur. Venienti autem Naaman nequaquàm ſuperbè, ſed prudenter non aſſurrexit, ne videlicet alienigenæ, & de terrena adhuc gloria præſumenti reuerentiam exhiberet: nimirum iam tunc Apoſtolicæ dignitatis imaginem præferens, quam Pau-

Digitized by Google

Paulus poſtmodùm expreſſam repræſentat, dicens: Quamdiù ſum Apoſtolus gentium, miniſterium meum honorificabo. Numquid enim miniſter humilitatis exiſtimandus eſt, Naaman ſuperbè fixiſſe præ foribus, qui de monte Carmeli, in quo manebat, à fœmina ſe paſſus eſt pertrahi, & Sunamitem illam non ſolum comitatus, verùm inſuper eſt ſecutus? Nam cum illa diceret: Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te; mox ſequitur Scriptura dicens: Surrexit, & ſecutus eſt eam. Numquid etiam copioſa munera tumidi faſtus ſupercilio reſpuit, qui à viro quodam de Balſaliſa veniente viles hordeaceos panes charitatiuè ſuſcipere non deſpexit?

12. *Sed dùm hic Prophetæ obſtaculum, ne tumidæ elationis arguatur, apponimus, in nosmetipſos exactoriæ quæſtionis aditum aperimus. Poteſt enim aduersùs hæc, quæ proponimus, quæſtio huiuſmodi fieri: Si tantus Propheta & panes de manibus offerentis accepit, & exire de Eremo fœminea ſupplicatione conſenſit; qua ratione Monachus vel ſæculum frequentare non audeat, vel ſuſcipere munera difficiliùs acquieſcat? Ad quod nos ſub compendio reſpondentes, nequaquam quid accipiendi licentiam Monacho prorsùs abſcindimus, ſed quo id temperatiùs, & cum diſcretione fiat, cum fraterna deuotio poſtulat, ſuademus: nimirùm vt neceſſaria quæque, ſicut Propheta panes, quibus indigebat, accipiat: & quæ ſu-*

per-

Digitized by Google

perflua iudicauerit, ſicut ille pecuniam, non admittat.

14. *Quod autem Eliſeus ad reſuſcitandum Sunamitis filium, de montana remotione deſcendit, huius temporis Monachis potiùs eſt venerationi habendum, quàm imitandum. Liceat ſanè Monacho ad ſæculum ex voluntate recurrere, quoties mortuum hominem ad vitam potuerit ſuſcitare.*]

15. Hæc PETRVS de Monaſtica ſolitudine, quam ſemper cum amore tenuit, & coactus cum dolore reliquit. Venerunt enim illi pariter omnia bona cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius; vndè in ipſa contubernium habens Dei, generoſitatem illius glorificauit, quià omnium Dominus dilexit illam, & honeſtatem illius non abſcondit: vagationes verò Monachorum in arctiſſimo cellulæ ſuæ ergaſtulo conſiſtens tantoperè odio habuit, vt ſuorum Eremitarum cuique præceperit, in cellula ponere iuxtà ſe quæque ſibi ſunt familiariùs neceſſaria; ne cum vſum horum neceſsitas poſtularet, ipſe ad exhibendum ſibi frequentiùs ſurgeret. [*Tantoperè quippè*, inquit, *vagatio eſt vitanda, vt nec per ipſam cellulam ſpatiari inaniter liceat.*]

Opuſ. 15. c. 18. ante med. to. 3

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXV.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; ideò Monaſticam vitam, per quam ipſa dimittuntur, laudibus extollit.

1. HInc modò impletum eſt gaudio os eius, & lingua eius exultatione; modò extrema gaudij eius luctus occupauit; cum videlicèt ſanctam Monaſticam conuerſationem conſpiceret, vel in ſua primæuâ puritate ſubſiſtere circumdatam diploide iuſtitiæ; vel è contra migrare triſtem propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis; habitare inter gentes, nec inuenire requiem, & omnes perſecutores eius apprehendere eam inter anguſtias.

2. Qui enim in mundo, in quo omne concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, ſua non quærebat, & ab omnibus abhorrebat; conſequens erat, vt domum refugij, & locum munitum diligeret, in quo homines quærebant, quæ Ieſu Chriſti, & vitam ducebant exterioribus cunctis mortuam, & abſconditam cum Chriſto in Deo. Immò tanti faciebat religioſæ conuerſationis ordinem; quòd tepido etiam Monacho, & adhùc per infirmitatem de prioris vitæ vitijs intùs aliquid retinenti, ſæcularem quempiam,

Digitized by Google

licèt religioſum, & pium, nequaquàm ei cenſebat
Opuſc.50.c.13 in fine tom.3. eſſe comparandum: [*Meliùs quippè eſt*, dicebat, *vitioſum aurum, quàm æs purum; & pretioſius eſt hebes margaritum, quàm marmor Parium; pallens quoque carbunculus amabilior eſt, quàm cæruleus ſit hyacinthus.*]

3. Cupiebat idcircò Vir Dei, vt dulcis in ore omnium laudis, & confeſſionis reſonaret ſonus, quos dextera Domini faciens virtutem, eduxit de tenebris, & vmbra mortis huius ſæculi: & gratias agerent Deo Patri, qui dignos in Religione eos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine: qui eripuit eos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ, Monaſticam ſcilicet conuerſationem. Vndè Caſsinenſibus Monachis ſcribens: [*Qui ſæculum reliquiſtis*, inquit, *quas*
Opuſc. 52. in princip. to. 1. *ereptori veſtro Deo gratias debeatis, is peritè conſiderat, qui mundi furentis flagitia non ignorat. Pudor enim, & honeſtas perijt, & dum Eccleſiaſtici vigoris ſenſim diſciplina collabitur, inundans vitiorum, ac prauitatum omnium in dies peſtis*
Ibid.cap.1. *augetur: quamobrèm curandum eſt vobis, dilectiſſimi, vt immenſas Deo gratias iugiter referatis, qui videlicet hoc tempore de mundo eſtis electi, quo conſtat imeo quempiam difficilè poſſe ſaluari. Im-*
Zach. 2. *pleſtis enim quod per Zachariam, Domino vociferāte, præcipitur: C, ò, fugite de terra Aquilonis. Et rursùm: O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. Quibus nimirum Veritas dicit: Ego vos*

elegi

elegi de mundo; & quia de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus. Nàm velut ſi ferox beſtia pecus inualidum mordicùs apprehendat, Paſtor autem vel vnum membrum de faucibus furiosè deglutientis educat: ita vos Chriſtus de ore cruenti prædonis eripuit, dum pereunte mundo, in obſequium vos ſui famulatus elegit.] Ioan. 15.

4. Deindè quid ſint Monaſteria oſtendens: [*Cum ergo vos*, addit, *Omnipotens Deus mundo ſubtraxit, ac ſub Monaſtica ſibi diſciplina ſeruire conſtituit, quid aliud feciſſe cernitur, quàm velut olim in cataclyſmo, de multis pereuntibus vos paucos elegit, ac in bituminatæ arcæ latibulum, vt viueretis, induxit? Clauſtrum quippè Monaſterij viuarium eſt animarum. Ibi quippè viuunt piſces, qui iuxtà legis edicta pennulas habent, atque vt in Corpus Chriſti transferantur, Iſraelitarum menſis delicias præbent. Piſces quippè, quis qua marum pennulas habent, dare ſaltus etiam ſuper aquas ſolent. Quid ergò pennatis piſcibus niſi electæ animæ figurantur, quæ profectò ſolæ in Cœleſtis Eccleſiæ corpus tranſeunt: quia modò virtutum pennulis fultæ, ſaltus dare per Cœleſte deſiderium ſitiunt, vt ſuperna per contemplationem appetant, quamuis in ſemetipſas iterùm ex mortali carne relabantur? Clauſtrum itaque Monaſterij vtrùm gurguſtium, ſiue viuarium piſcium ſolummodò, ſicut dictum eſt; an etiam catabulum Cœleſtium pecorum, vel certè auiarium volucrum per* Ibid. vt ſupr. cap. 8. Geneſ. 7.

Digitized by Google

ſpiritalem intelligentiam rectiùs poſſumus appellare? Hanc denique triplicem animalium ſpeciem
Pſalm. 8. ponit Pſalmiſta cum dicit: Pecora campi, volu-
Oſe. 4. cres Cœli, & piſces maris. Hanc & Oſee Propheta commemorat, cum ait: In beſtias agri, & in volucres Cœli, ſed & in piſces maris congregabuntur. Quo igitùr horum trium vocabulo Cœnobium rectiùs exprimetur? Sed vt liquidò cernitur, vniuerſa hæc tria vocabula clauſtro Monaſterij proculdubiò congruunt, dum in eo vnanimis, & indiuiſæ Charitatis igne conflata ſpiritalium animarum diuerſitas continetur. Ibi quippè ſpiritales, ſicut dictum eſt, viuunt piſces, ſacrarum Scripturarum fluentis iugiter innatantes. Ibi pecora, agri illius ſcilicet, de quo per Iacob dicitur: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui bene-
Geneſ. 27. dixit Dominus. De pecoribus autem, ipſis electis ſcilicet in ſanctæ Charitatis vnanimitate viuenti-
Iſai. 11. bus, Iſaias dicit: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur. Nam per ſanctæ Charitatis viſcera, lupus cum agno habitat; quia ij, qui in ſæculo raptores fuerunt, cum manſuetis, ac mitibus in pace conquieſcunt. Et pardus cum hœdo accubat; quia is, qui peccatorum ſuorum maculis varius fuit, cum eo, qui ſe deſpicit, ac peccatorem fatetur, humiliari conſentit. Vitulus autem, & leo, & ouis pariter commorantur; quia & is, qui per contritum cor ad quotidianum ſe

Digitized by Google

Deo ſacrificium præparat; & alius, qui tam quam leo ex crudelitate ſæuiebat; & alter, qui velut ouis in innocentiæ ſuæ ſimplicitate perdurat, in caulis ſanctæ Eccleſiæ conuenerunt. Ibi quoque Cœli ſunt volucres; ij nimirùm, qui virtutum plumis ſe ſe in ardua ſubleuant, ac terrena quælibet, & ſub ſe tranſire de ſuę mētis arce proſpectant. Dumque per terrena repere ſub carnalis concupiſcentiæ iugo deſpiciunt, libertatem aeris petunt, ſeſeque ad Cœleſtia, librata mentis contemplatione ſuſpendunt] deinde poſt plura Monaſterium Caſsinenſe, etiam Arcæ, Vaſi è Cœlo allato, & tandem Paradiſo comparat, dicens: [*Monaſterium veſtrum, dilectiſſimi, quidam Paradiſus eſt, in quo videlicet Omnipotens Conditor, dum diuerſos hominum mores poſuit, quaſi tria animalium genera, terrenum, natatile, ac volatile creauit. Hæc eſt illa vetus myſticæ ſignificationis Arca, in qua cunctorum animalium ſpecies includuntur. Hoc eſt denique Vas illud, quod quatuor manicis ſubmitti de Cœlo vidit Petrus in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia Cœli. Sed cum illic dicatur: Surge Petre, macta, & manduca; credimus per miſericordiam Chriſti, quoniam hæc animalia, quæ vos eſtis, & ab hoc ſæculo ſunt Diuini Verbi mucrone conciſa, & in Redemptoris ſui corpus perfectæ Charitatis ardore conflata.*]

Eod. Opuſc. 59 cap. 26. to. 3.

Act. 10.

5. Et tandem alibi de eodem celebri Caſsinenſi

Opuſc. 36. c. 16 tom. 3. nenſi Cœnobio tractans ait: [*Igitur vt iam omnes communiter alloquar, nolo vos lateat, venerabiles fratres mei, quia ex quo glorioſi Cœnobij veſtri limen exceſſi, vos iugiter præ oculis habui; vos intimæ dilectionis viſceribus adſtrinxi; atque, vt ità fatear, redeunti à Caſſino ſacratiſſimo idem contigit, quod mulieri, quæ reuertebatur à Silo tabernaculo, vt nimirùm vultus mei non ſint ampliùs in diuerſa mutati: vobiſcum ſanè præ-* Reg. 1. 1. *ſentialiter habito, vobis ſemper aſſiſto. Alioquin ſi propterea non ſum vobiſcum, quia corporalibus oculis vos non intueor: ergò nec ipſi oculi ſunt in capite, quia caput cernere nequeunt; vel ipſi ſibimet oculi abſentes ſunt: quia nec quiſquam ſe, nec vterque ſe inuicem poſſunt mutua contemplatione conſpicere. Beati ſiquidem qui vobiſcum viuunt: beati qui inter vos, & in ſanctis operibus veſtris moriuntur. Pia nimirùm fide creden-* D. Greg. Dial. lib. 2. c. 37. *dum eſt, quia ſcala illa, quæ de Caſſino monte olim in Cœlum videbatur erecta, adhuc pallijs ſtrata, lampadibuſque coruſcat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum tranſmittit ad Cœleſtia ſubſequentem: nec ab eius glorioſo tramite exorbitant declinantes iam defuncti, cuius, dum in hoc exilio viuerent, veſtigia ſunt ſecuti. Hoc eſt intimi feruoris incendium illud, quod mihi inextinguibiliter flagrat in corde, hæc perpes fabula, quæ meo verſatur in ore.*]

6. At ne credamus, Beatiſſimum Patrem tanto amo-

Digitized by Google

amoris ardore proſequutum fuiſſe locum, potiùs quàm Monaſticæ feruorem diſciplinæ, quæ tunc in Caſſino vigebat; ponendum eſt, quod de Cluniacenſi item Monaſterio Cluniacenſibus Monachis ſcripſit: [*Poſtquam feram* (dicit) *ſemel venator illaqueat, ſi nexum eius pedibus inijcit, iam ſine perdendi formidine longiùs eam vagari ſub quadam libertate permittit. Is etiam, qui aucupio delectatur, dum iniecto funiculo pedibus tenet volucrem, ſecurus auolandi datam ſimulat libertatem, & illa quidem fugam tentat, alarum librat ex more remigium; ſed dum exilire conatur, aucupe funiculum ſtringente, retrahitur. Vos etiam me tutò ad propria remiſiſtis, quem videlicet glutino veſtræ Charitatis adſtrictum inſolubiliter retinetis. Nam recedere quidem corpore potui, ſed mente de veſtris manibus non exiui. Ità nempè mirandæ conuerſationis veſtræ me viſcus obſtrinxit, Angelicæ vitæ coagulus agglutinauit, ſinceræ Charitatis laqueus irretiuit, vt faciliùs ſuimet obliuiſci, quàm à veſtra memoria mens mea poſſit auelli. Vide ſiquidem Paradiſum quatuor Euangeliorum fluentis irriguum, immò totidem ſpiritualium riuis exuberare virtutum: vidi hortum deliciarum diuerſas roſarum, ac liliorum gratias germinantem, & melliſluas aromatum, ac pigmentorum fragrantias ſuauiter redolentem, vt de illo verè valeat Deus Omnipotens dicere: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 4. 10. A.

Geneſ. 29.

minus. Et quid aliud Cluniacenſe Monaſterium, niſi agrum Domini plenum dixerim, vbi velut aceruus eſt Cœleſtium ſegetum, chorus tot in Charitate degentium Monachorum? Ager ille quotidiano ſanctæ prædicationis ligone præſcinditur, & in eo Cœleſtis eloquij ſemina conſperguntur. Illic ſpiritualium frugum prouentus aggeritur, vt borreis poſtmodùm Cœleſtibus inferatur. Vndè cum te, felix Cluniace, conſidero, hoc tibi nomen impoſitum non ſine Diuini præſagij diſpoſitione perpendo. Hoc quippè vocabulum ex clunibus, & acu componitur, per quod videlicet arantium bouum exercitium deſignatur. Bos enim in clunibus aculeo pungitur, vt aratrum trahat, & arua proſcindat. Illic enim humani cordis ager excolitur, vndè ſeges illa colligitur, quæ promptuarij Cœleſtis ædibus infarcitur. Illic aculeus ille bobus infligitur, de quo ſuperbienti adhuc Saulo dictum eſt: Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Ille ſiquidem tamquam ſuperbus, & ferox adhuc taurus aream Domini, quæ eſt Eccleſia, ſuperbiæ cornibus ventilabat, ſed iugo fidei diuinitùs ſubditur, vt aratrum in agro Domini trahere compellatur. Vndè poſtmodùm de Euangelizantibus, tamquam de arantibus dicit: Debet enim in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. De hoc aratrò Dominus: Nemo, inquit, mittens manum ſuam in aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regnò Dei. Legis aratrum trahebat Iſraeliticus populus

per

Digitized by Google

per deſertum, cum hinc eum Pharao duriſſimæ ſeruitutis aculeo pungeret, illinc autem Moyſes præceptis Cœleſtibus, quaſi quibuſdam funibus prouocaret. Ille conſtruendo luto, atque lateribus vrbes, cum quaſi poſt terga cædebat; iſte promittendo terram lactis, & mellis, præuius attrahebat: nos autem, qui in agro Eccleſiæ quaſi Dominici boues aramus, tunc in poſterioribus aculeo pungimur, cum vltima poſtremi iudicij diſcuſſione terremur. In poſterioribus nos aculeus terroris exagitat, vt ceruix noſtra iugo Diuinæ legis aſtricta, in laboribus non laſſeſcat. Conuenienter itaque Cluniacum agrum dixerim, in quo videlicet Dominici boues infatigabiliter arant, dum eos Diuini terroris aculeus ſtimulat, & velùt acu clunium pars poſtrema tranſpungitur, cum vltimi terrore iudicij mens humana terretur. In poſterioribus pungitur, vt in anteriora contendat, quia tranſacta cor noſtrum vita terrificat, vt diſcuſſionem vltimi examinis paueſcat.]

CAP. XXVI.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; idcircò Eremiticam vitam, qua illa deſeruntur, præconijs celebrat; eiuſdemque, & Monaſticæ vitæ lapſum deflet.

1. SEd quanta Charitate dilexerit excellentiorem Monaſtica viam Eremiticam, qua expeditior ad templum Dei aſcendere, & ſtare in loco ſancto eius poterat: hucuſque recitata, & multoties repetita patenter oſtendunt. Negotium iuſtum in illo quidem ſuſcipiebat neceſsitas Charitatis; ſed tamen otium ſanctum auidiùs in eo quærebat Charitas veritatis. Vndè ſi ſarcinam illam nullus imponebat, percipiendæ, atque intuendæ in Eremo perpetuò vacabat veritati; & ſi imponebatur, ſuſcipiebat quidem propter Charitatis neceſsitatem; ſed nec ſic omnimodò veritatis delectationem deſerebat, vt, quantocyùs poſſet, ad eam non reuerteretur; ne ſubtraheretur illa ſuauitas, & opprimeret iſta neceſsitas.

Ex D. Aug. de Ciuit. Dei c. 19 lib. 19.

2. [*Solitaria vita* (aiebat, qui à terrenis cunctis abſtractus, nil quærebat, quàm Deum.) *Cœleſtis doctrinæ ſchola eſt, ac Diuinarum artium diſciplina. Illic enim Deus eſt totum, quod dici-tur;*

Opuſ. 11. c. 19. tom. 3.

Digitized by Google

tur; via, qua tenditur, per quam ad ſummæ veritatis notitiam peruenitur. Eremus namque eſt Paradiſus deliciarum, vbi tamquam redolentium ſpecies pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, ſic fragrantia ſpirant odoramenta virtutum. Ibi ſiquidem roſę Charitatis igneo rubore flammeſcunt; ibi lilia caſtitatis niueo decore candeſcunt; cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ ſunt, nullis flatibus impelluntur; ibi myrrha perfectæ mortificationis exſudat, & thus aſſiduæ orationis indeficienter emanat. Et cur ſingula quæque commemorem? Quandoquidèm omnia illic ſanctarum virtutum germina diuerſis venuſta coloribus rutilant, & perpetuæ viriditatis gratia incomparabiliter vernant.

3. *O Eremus ſanctarum mentium delectatio, & intimi guſtus inexhauſta dulcedo! Tu caminus ille Chaldaicus, vbi ſancti Pueri furentis incendij vires orationibus reprimunt, & ardore fidei crepitantium contra ſe flammarum globos extinguunt; vbi ſcilicet & nexus vruntur, & ardorem membra non ſentiunt; quia & peccata ſoluuntur, & in hymnum Diuinæ laudis anima prouocatur; dicens: Dirupiſti Domine, vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tu fornax, vbi ſuperni Regis vaſa formantur. O cella negotiatorum Cœleſtium apotheca; felix commercium, felices nundinæ, vbi venalis æterna vita proponitur! O cella ſpiritualis, exercitij mirabilis offi-*

officina; ſacræ militiæ tabernaculum, procinctus
Cantic. 6. *triumphatoris exercitus, caſtra Dei, turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium! Tu campus Diuini prælij, ſpiritualis arena certaminis, Angelorum ſpectaculum, palæſtra fortiter dimicantium luctatorum, vallum in expeditione currentium, munitio fortium, præſidium cedere neſcientium pugnatorum. O Eremus mors vitiorum, ac procul dubio fomes, & vita virtutum! Te lex attollit, te Prophetia miratur. Tibi Moyſes debet bis acceptæ Legis Decalogum; per te Elias cognouit Domini per tranſeuntis ex-*
3. Reg. 19. Reg. 2. *curſum; per te Eliſeus duplicem magiſtri ſui ſortitus eſt ſpiritum. Et quid ampliùs dicam? Quandoquidèm Saluator mundi in ipſo redemptionis humanæ primordio Præconem ſuum tui accolam fecit; quatenus ſub ipſa iam ſæculi venientis aurora ex te Lucifer veritatis erumperet: poſtquem plenus Sol veniens mundi caliginem ſplendoris ſui radijs illuſtraret. Tu ſcala Iacob, tu ſtadium, quod benè currentes prouehis ad coronam. Tu via aurea, quæ homines reducis ad Patriam. O vita Eremitica, balneum animarum, mors criminum, purgatorium ſordidorum! O cella Dominicæ ſepulturæ propemodùm æmula, quæ in peccato mortuos ſuſcipis, & per afflatum Sancti Spiritus Deo reuiueſcere facis! Tu es ab huius vitæ turbida vexatione ſepulchrum, ſed Cœleſtis vitæ*

pan-

Digitized by Google

pandis introitum. Tu nigra, ſed formoſa, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pellis Salomonis. Tu ſicut piſcina in Heſebon: oculi tui ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxtà fluenta pleniſſima. Tu es ſpeculum animarum, tu nuptialis thalamus, tu areola aromatum, tu fons hortorum, tu malum punicum, mundi perſequentis effugium, laborantium quies, mœrentium conſolatio, ab æſtu ſæculi refrigerium, peccandi repudium, libertas animarum. Et quid aliud memorem? Quandoquidèm ipſe Redemptor hominum in exordio te ſuæ manifeſtationis inuiſere, ac propria te dignatus eſt habitatione ſacrare.

4. His diſsimilia non fuerunt, quæ expreſſit Stephano Monacho, inter alia hæc illi ſcribens: [*Planè, vt compendioſiùs eloquar, multæ ſunt viæ, quibus itur ad Deum; diuerſi ſunt ordines in vniuerſitate fidelium: ſed in omnibus his nulla profectò eſt via tàm recta, tàm certa, tàm expedita, atquè cunctis ſupplantatoriæ impactionis offendiculis aliena; quia & omnes ferè occaſiones, quibus peccari poſſit, eliminat; & plurima virtutum, quibus Deo placeat, incrementa conuertat: itaut quodammodò facultates adimat delinquendi, & bonis operibus inſiſtendi vim neceſſitatis imponat.*] Opuſc. 15. c. 1. 10. 5.

5. Et paulò poſt Eremiticæ eiuſdem vitæ originem detegens: [*Huius vitæ normam*, inquit, *vt anteriora prætercam, in veteri Teſtamento Elias* Ibid. vt ſup. cap. 2.

cœ-

cœpit: Eliſeus verò aucto diſcipulorum collegio dilatauit. In nouo autem Paulus, & Antonius non diſſimili ab his inuicem proportione creduntur. Dum conſtet iuxtà fidem geſtorum, quòd & Paulus in Eremo ſingulariter vixit, & plures Antonius in hac profeſſione diſcipulos enutriuit. Quamquàm & hoc certè non lateat, quòd &
Exod. 24. *Moyſes ſubipſo tunc promulgatæ legis initio quadraginta annis populum per deſerta duxerit; totidemque diebus ipſe Redemptor noſter, illuceſcente iam videlicet Euangelij gratia, Eremum conſecrauit.*]

Marc. 1. 6. Qui igitùr tàm eximiè honorificauit coram hominibus Monaſticam ſimùl, & Eremiticam conuerſationem, illamque tanti duxit: nequaquàm potuit non amarè flere ſuper illam, egreſſum videns à filia Sion omnem decorem eius, factos Principes eius velut arietes non inuenientes paſcua, & abire abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis; ſicut vehementer non inuehi in illos, qui obliti benefactorum Dei, qui eduxit eos è mendicitate, & ferro huius ſæculi, & ſtatuit in loco ſpatioſo pedes eorum, cum Deum ipſum cognouiſſent in Religionis monte ſancto eius; non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, quaſi non ad aliud veniſſent in hæreditatem eius, niſi vt pollucrent Templum ſanctum eius, ponerentque Ieruſalem in pomorum cuſtodiam.

In

Digitized by Google

7. In ſimilitudinem igitur illius, qui peccatum non fecit, & pro nobis factus eſt peccatum; humilians ſe, & inter tales remiſſos, & diſſolutos Religioſos ſe computans: [*Non ignoratis*, flens ſcribit ad Abbatem, & Monachos Pompoſianos, *fratres mei, quòd gemens loquor, ad quantum ſancti feruoris lapſus ſit, immò procliuiùs labi non deſinat noſter Ordo defectum, vt iam omnium penè mandatorum negligenter obliti, ſola profeſſionis huius videamur veſte contenti. Sub Religionis enim ſpecie ſæculariter viuimus, & violato diſciplinæ genio, dum nos per illecebrarum fluxa diſſoluimus, velùt à nobilitatis noſtræ titulis degenerantes, Monachorum nomen inaniter poſſidemus. Ac ſi ſpurius puer patris quidem ſe cenſeri nomine gaudeat, ſed generis ſui degenerata conditio legibus hunc ab hæreditate repellat. Nàm & Iſmael, & filij Cethuræ omnes indifferenter Abrahæ filij dicebantur, ſed cum ad ſucceſſionum iura peruentum eſt, Iſaac legitimo filio tota in integrum hæreditas traditur; concubinarum autem filijs tantummodò munera tribuuntur. Spuria (inquit Salomon) vitulamina non dabunt radices altas: Et quid prodeſt, quod deſerentes Ægyptum, diuiſo mari rubro tranſiuimus, ſi in deſertò nunc per quadraginta annorum ſpatia coarctamur: & nec ad ollas carnium redire iam poſſumus, nec terram lacte, melleque manantem iure poſſeſſionis intramus? Dormimus, ſtertimus, & ſub ignauiæ torpore marcemus.* *Me-*

Opuſc. 11. c. 1. tom. 3.

Sap. 4.

Ibid. vt ſup. cap. 3.

8. *Meritò itaque nobis ad opprobrium dicitur, quod ſeptem Tribubus necdum poſſeſſiones habentibus idem Ioſue dixiſſe perhibetur: Vſquequò, inquit, marcetis ignauia, & non intratis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis? Stultus denique miles eſt, qui ſatagit vincere, ſi non ſtuduerit ante pugnare; nimis delicatus eſt, ſi ante nititur obtinere victoriam, quàm egrediatur ad pugnam. Fruſtratur agricola, ſi antequàm deſudauit ſerere, ambiat triturare, cum conſtet, quia quiſquis deſiderat frumenta colligere, priùs neceſſe ſit frutices ſimùl cum vepribus extirpare.*

9. *Ad hanc profectò agriculturam typicè impellebat Ioſue filios Ioſeph, cùm eis de paruæ ſortis*
Ioſ. 17. *funiculo conquerentibus diceret: Si populus, inquit, multus eſt, aſcende in ſiluam, & ſuccide tibi ſpatia in terra Pherezæi, & Raphaim, quia anguſta eſt tibi poſſeſſio montis Ephraim. Nàm vt rem ad id, quod propiùs adiacet, non incongruè referam, in anguſtia ſe montis Ephraim poſſeſſione cohibuit, qui ſola Beati Benedicti Regula contentus eſſe decreuit. Sed audi, quomodò te ad montem*
Ibid. *Ioſue nouus impellat, & ad latiora poſſeſſionum ſpatia feſtinare præcipiat: Regulam, inquit, hanc deſcripſimus, vt hanc obſeruantes aliquatenùs vel honeſtatem morum, vel initium conuerſationis nos demonſtremus habere. Ecce mons Ephraim. Sed quoniam anguſtam hic poſſeſſionem eſſe perpendit,*

Digitized by Google

dit, mox ad altiora ſimul, & latiora tranſmittit: Cæterum, qui feſtinant, inquit, ad perfectionem, ſunt doctrinæ Sanctorum, ſiue collationes, & inſtituta Patrum &c.; quæ quoniam vobis notiſſima nouimus, hìc apponere ſuperfluum iudicamus.

10. *Sed ò vtinam quia tepidi, atque degeneres, nequaquam ad altiora contendimus, huius ſaltem parui montis anguſtias nauiter ſulcaremus: vt nullus in eadem regula mandatorum angulus ſub negligentia deliteſceret, quem noſtri laboris, & exercitij aratrum non ſulcaret. Nam vbicumque duriora, vel quantumlibet altiora præcepta conſpicimus, illùc aratrum noſtri ſudoris immittere, velut in præruptum montem, vel inuiuum lapidem formidamus. Volumus ſiquidem annumerari inter cuneos militum, ſed inſignia non curamus habere virtutum. Ad oculos quidem hominum prætendimus honeſtatis imaginem, ſed in conſpectu occulti Iudicis habere negligimus veritatem. Nonnulli namque (quod ſine gemitu dicere nequeo) ſic ad nouæ religionis tranſeunt ordinem, vt tamen præteritæ vitæ numquàm deſerant vetuſtatem: hi nimirùm Gabaonitæ ſunt, non Iſraelitæ.*] Ibid. vt ſup. cap. 4.

11. Deficiebant igitur præ lacrymis oculi eius, conturbabantur viſcera eius, effundebatur in terra iecur eius ſuper contritionem Monaſticæ conuerſationis, quia facti erant filij eius perditi:

Digitized by Google

quoniam inualuerat inimicus: quia obtexerat caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion: proiecerat de Cœlo in terram inclytam Iſrael: Hæccinè eſt vrbs, dicens, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ? [*Ad tantam quippè* (ſcribit in Apologetico de contemptu ſæculi) *fæcem quotidiè ſemetipſo deterior mundus iſtę deuoluitur, vt non ſolùm cuiuſlibet ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſticæ conditionis ordo à ſtatu ſuo collapſus iaceat, ſed etiam ipſa Monaſtica diſciplina ſolotenus, vt ita dixerim, reclinata, ab aſſueta illa celſitudinis ſuæ perfectione langueſcat. Perijt pudor, honeſtas euanuit, religio cecidit, & velut facto agmine omnium ſanctarum virtutum turba procùl abſceſſit. Omnes enim, quæ ſua ſunt, quærunt, & contempto Cœleſti deſiderio terram inſatiabiliter concupiſcunt. Et quia ſub ipſo mundi fine poſtmodùm inhiare non deſinunt, quaſi poſt alta pelagi in litus euecti, terram remigio inaniter pulſant, dum adhùc peruicaces nauigare feſtinant. Et cum laborandi finis procùl dubio quies ſit, quibus vltrò quieſcendi locus offertur, ſuperuacuo laboris ſtudio pœnaliter fatigantur.*

Opuſc. 12. in præf. tom. 3.

Ibid. vt ſup. cap. 2.

13. *Sed eſto, vt filij huius ſæculi in fluctiuaga ſæcularium procellarum inundatione verſentur, & nunc ſemina, quibus propenſiùs oblectantur, aſpergant, vt non quas voluerint, poſtmodùm fruges metant. Quid enim mihi, iuxta Apoſtolum, de his, qui in mundo ſunt, iudicare? Nos autem,*

qui

qui mundi abrenunciatores dicimur, qui terreni fluctus naufragium euaſiſſe gloriamur, cur ad illud denuò, velut quodam vortice violenter abſorbente relabimur? Cur ad ea, quæ pro Diuino amore contempſimus, retrogradis nitentes greſſibus, malè æſtuanti deſiderio recalemus?]

CAP. XXVII.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis, à quibus omnes abducere, & ad Eremiticam, Monaſticamque vitam trahere conatur; vndè Votifragos exagitat.

1. TEmporalibus idcircò ſpiritualia comparando, vt à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta iſta conſpicerentur, dicebat, quòd ſicut Monachus feruidus vitis eſt fructuoſa, ita frigidus vilis eſt alga: [*Vitis enim* (ipſius ſunt verba) *ſi ſit ferax vuarum, cuncta præcellit arbuſta ſiluarum: ſin verò ſit ſterilis, cæteris iudicatur abiectior, ac vilior eſſe virgultis. Vndè eſt, quòd ad Prophetam Diuina vox ait: Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſiluarum? Numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus: aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo* Opuſc. 50. c. 3. tom. 3. Ezech. 15.

quodcumque vas? Sic profectò Monachus, ſi ad proferendos fructus boni operis ſit intentus, & feruidus, nihil inter homines eo valet eſſe præſtantiùs; alioquin ſi frigidus & infœcundus areſcat, ac dormiens ſtertat, iure tamquàm vilis alga deſpicitur, & ipſis quoque ſæcularibus non æquatur.]

2. Et hoc certè deprimebat eum vehementer non habendo conſolatorem, quòd ſcilicet omnes, qui glorificabant Monaſticam inſtitutionem, videntes ignominiam eius, ſpernerent illam, vt ipſemet teſtatur in epiſtola ad ſuos Gamugenſes Eremitas, dicens: [*Filius ſapiens, ait Salomon, lætificat patrem, filius verò ſtultus mœſtitia eſt matri ſuæ. Qui rursùs ait: Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt; qui autem ſtertit in æſtate, filius confuſionis. Hoc ergò cur dicam, aperiam. Vir quidam à Mediolanenſi vrbe progrediens, dum me quæreret, per vos tranſitum habuit; ſed & habitare vobiſcum, vt ipſe profeſſus eſt, ſub eo nomine concupiuit. Qui dum laſſus itinere, moram velut quieſcendo protraheret, ſed ab explorationis veſtræ cuſtodia clauſos oculos non haberet, neſcio quos veſtrum aniles nugas, & otioſa deliramenta perpendit profundere, & cum laicis ſcurriles iocos, & ludibria vidit vrbana miſcere. Vndè factum eſt, vt non modò nos, noſtrumque propter vos contubernium omne contemneret; ſed & ipſum conuerſionis animum, quantum potuit, funditùs amit-*

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 32. to. 1.

Prou. 10. Ibid. v. 5.

Digitized by Google

amitteret. Apertè ſcilicet vita noſtra fructificat, vt non modò per anfractus, & inuia à iuſtitiæ tramite ſemper ipſa declinet, verùm etiam à Diuini cultus egreſſu per ſuæ prauitatis exempla deturbet. Satis planè vigilanter attendimus, quod & per exprobrationem Prophetæ minitantis audimus: Per vos nomen Dei blaſphematur. Illud etiam quod de filijs Heli Scriptura teſtatur: Erat, inquit, peccatum puerorum grande nimis coram Domino, qui detrahebant homines à ſacrificio Dei. Porrò autem quamplurimi ſunt, qui ſic in turbulenti ſæculi, tamquam in ſpumoſi maris procellis, ac fluctibus ventilantur: vt niſi ad quietum huius ſacri Ordinis ſe conferant portum, nulla ratione confidant propriæ ſalutis euadere poſſe naufragium. Quanti ergò ſanguinis reus eſt, qui ſub ſacri habitus ſchemate talem ſe per ſuſceptæ profeſſionis incuriam exhibet, vt quærentes accedere, peruersè viuendo diſturbet? Euangelica illi nimirùm ſententia congruit, qua dicitur: Qui ſcandalizauerit vnum ex his puſillis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Tolerabilius enim fuerat, vt ſolus in eius, quem reliquit, mundi vertigine rotaretur, quàm multos nunc à ſalutiferæ ſtationis reuocaret acceſſu. Si ergò vita noſtra tàm praua videtur, & ſqualida, vt etiam carne veſtitis hominibus fœteat, qualis, putas, eſt Angelis, qui iugiter ſemper

Iſai. 52. Rom. 2. 1. Reg. 2. Matt. 18.

emi-

eminent in ſpiritualis munditiæ culmine; qualis Deo, qui & ipſam ſuperat Angelicam dignitatem? Vnde & illud formidoloſè penſandum eſt, ne illos, qui ad cuſtodiam noſtram deputati ſunt, Angelos, vitæ noſtræ fœtor offendat, vt potiùs apud Deum conqueri, quàm ſua nos debeant atteſtatione tueri.]

3. Nec mirum, ſi tàm acriter Monachos malo conuerſationis exemplo à Monaſtico ordine retrahentes, increpabat PETRVS; dum omnes cupiebat eſſe ſicut ſe ipſum, & in ſagenam ſuam ex omni genere piſcium, quotquot inueniſſet bonos, & malos, congregare tantoperè exoptabat. Vndè durus exactor quemlibet ſæcularium cōpellebat intrare, & reddere Domino vota ſua, quæ diſtinxiſſent labia ſua, ſicut ſupra ſe geſſiſſe vidimus, vel cum Epiſcopo, Apoſtatas defendente in Romano Concilio, vel cum Landulpho Clerico Mediolanenſi, & feciſſe patet cum Attone Cauſidico, qui cum ſe Deo reliquum vitæ tempus in Monaſterio dicaturum promiſiſſet, fidem deindè præſtare recuſabat, periuriumque ſuum cauillationibus, & captioſis argumentorum laqueis defendere nitebatur. Nam ei ſcripſit.

Vid. ſup. lib. 1. c. 41. & lib. 2. c. 13.

4. [*Conſtat te, vir illuſtris, Domini Mainardi Abbatis manibus ſpontè commiſſum, & pro Cęleſti deſiderio Monachicum deuouiſſe propoſitum; nunc autem mente mutata, ſicut dicitur, non modò votum violare diſponis, ſed & id fieri poſſe per*

In 2. diſſert. ad opuſc. 41. in Præf. tom. 3.

Digitized by Google

per multas argumentorum verſutias cauillaris. Hinc eſt, quòd eumdem Abbatem hoc conſpuiſſe iurgio ſtomachatus aſſereris. Oſtende mihi, inquiens, authenticæ Scripturæ ſententiam, qua me vel mundo dignè calumnieris abſtractum, vel Monaſticæ Regulæ iure fatearis obnoxium? Vt igitur legiſperito viro in primus de forenſi iure reſpondeam; Romanis legibus cautum eſt, vt quod ſemèl à dante conceditur, nullo modo reuocetur.

5. *Cum ergò apud homines iubeatur forma ſeruari, quantò magis apùd Deum debet inuiolabiliter cuſtodiri? Homo itaque non amittit, quod ſemèl accepit: Deus autem poſſeſſionis ſuæ iure fraudabitur? Terrenæ militiæ duces, eos ſibi, qui militiam profeſſi ſunt, vindicant: nos in Diuini procinctus arma iuramus, characterem nobis militiæ Cœleſtis imprimimus, & notam nobis inurere transfugij non timemus? Dediſti Deo non aurum, non equum, non denique alienum, quod extra te, ſed te metipſum, & nunc ſubtrahere niteris? Quam ergò mercem vice tui Domino permutabis? Quam enim commutationem dabit homo pro anima ſua? Obtuliſti teipſum Deo, & factus refuga ſubtraxiſti; Deum puerum, & te facis ouum. Nàm dum te ſibi prius oblatum conaris, quaſi ludendo ſubducere, videris eum velle velùt puerum obgannire. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim ſeminauerit homo, hæc metet.* Ibid. vt ſup. cap. 1. Matt. 16. Ibid. vt ſup. cap. 2.

Delu-

Galat. 6. *Deludis Auctorem, offendis mendacio veritatem. Porrò cum Deus ſit proculdubiò Veritas, nullo magis offenditur vitio, quàm mendacio:*

Ibid. vt ſupra cap. 3. 6. *Sed quia perfecti quique magna ſe diſcretionis ſubtilitate conſpiciunt, ne ad deteriora vmquam, vel in opere, vel in cogitatione delabantur; & quantum quotidiè proficiant, inceſſanter penſant, rectè de his dicitur: Non reuertebantur, cum incederent: ſed vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur. Tu autem, mi frater, è contra retrogradum exhibes, dum non cum ſanctis animalibus ante faciem tuam graderis; ſed ridiculosè poſt tergum redire conaris. Nec ſufficit tibi, quia ſacri Ordinis ſponſionem violata fide conaris infringere, niſi & eiuſdem peruerſæ defenſionis audaciam velis, & in alios friuolis quibuſdam argumentationibus propagare. Dogmatizas enim, vt arbitror, quia licet quiſpiam manibus ſe committat Abbatis, & ſacrum polliceatur ſubire propoſitum, non prohibeatur huiuſmodi ſponſionis violare promiſſum. Ex quibus profectò aſſertionibus hæreſis oritur, niſi conatus iſte tuus quantocyùs reprimatur; neque enim mox, vt quis in hæreſim labitur, iure protinùs hæretici vocabulo denotatur: ſed ille dumtaxat hæreticus meritò dicendus eſt, qui tuetur errorem, qui defendit abominabilis perfidiæ prauitatem.*

Ibid. vt ſupra cap. 4. 7. *Quamobrèm, dilectiſſime fili, venenata malè blandientium contemne concilia: pernicioſa,*

vel

vel potius mortifera ſuadentium ridendam perhorreſce veſaniam, & à ſibilis antiqui ſerpentis aures obtura. Sacrum, ſicut pollicitus es, non tardes adire propoſitum, vt non cum his, qui apoſtatati ſunt, ſubruaris, quod abſit, in pœnam; ſed cum his potiùs, qui Apoſtolicam tenuere doctrinam, porrigente manum Chriſto, quandoquè proueharis ad gloriam.]

8. Ad aſtruendum verò, quod hic docuit, apponere incongruum non videbitur, quod de Votifrago alibi narrauit ex ore Sancti Hugonis, & ex eiuſdem, cui res ipſa contigerat, relatione: [*Adoleſcens quidam*, dicit, *erat in finibus Aquitaniæ, qui cum coæuis ſuis iuuenculis de animarum ſuarum cœpit ſalute tractare. Deliberatione præmiſſa, tandem ſtatuunt, ac vnanimi inuicem confœderatione proponunt & mundani cultus pompas abijcere, & ad Monaſticæ conuerſationis ordinem commigrare. Sed dum res adhuc ſuſpenſa differtur, dum rerum ordo multiplici varietate concutitur; ipſe quoque tener adoleſcentis animus fixus in ſuo propoſito non tenetur. Quid multa? Mutata penitùs mente, deſponſauit vxorem. Cumque per proceſſum temporis mens eius & memoriam ſancti propoſiti paulatim de ſe prorsùs eraderet, & ſub prætextu coniugij ad explendam carnalis illecebræ voluptatem impatientiùs ebulliret, Diuina ſuper eum vigilante clementia, ſubito languore percuſſus eſt, ac paulò poſt ad extrema* Opuſc. 34. c. 9. tom. 3.

peruenit. Neceſſarijs igitur, ac propinquis de iam quaſi defuncti diſputantibus ſepultura, dum in medio poſitus videretur cadauer exanime, vixquè tenuis quidam motus in eius pectore palpitaret, ecce duo teterrimi, ac trucis vultus Æthiopes eum (vt ſibi videbatur) tamquam leones rugientes inuadunt, rapaci ferocitate corripiunt, de corpore violenter euellunt, mox pedes eius, & brachia duris alligant nexibus, ſicque velut hædum in phalangam pendulum alter poſt alterum baiulare cœperunt. Quos autem dolores, & torſiones ipſe pertulerit, quantum, & qualia viderit, vel audierit, per quam plurima eum loca vectauerint, perlongum eſt non tantùm ſtylo digerere, ſed ſimplicibus quoque verbis ex ore per ordinem referentis audire. Hoc tantùm hìc inferre ſufficiat, quia dum per obſcuræ caliginis eum loca portarent, ecce Beatus Petrus Apoſtolus ſplendidus, & coruſcans occurrit, eumque de portantium humeris raptum, à nexibus, quibus angebatur, abſoluit. Illi mox relicta præda ſtridentes dentibus, & eiulantes abſcedunt, factumque ſibi præiudicium flebiles conqueruntur. Beatus autem Apoſtolus adoleſcentem ad Cluniaci Monaſterium ſecum duxit, eique forinſecùs poſito, ſeſe, donec reuerteretur, expectare præcepit: Ego, inquit, meum Monaſterium ingrediens viſito, ac per circuitum cuncta perluſtrans, quid agatur, attendo: deinde ad te, conſideratis omnibus, redeo. Sed mox, vt

iſte

Digitized by Google

iſte relictus eſt ſolus, ecce crudeliores, & acriores ijdem reuertuntur Æthiopes, & non iam per manus, & pedes, ſed per genitalia ipſa corripiunt, eumque ſic non ſine grauiſſimo illius dolore ſuſpendunt. Nam velùt ſi roſtro paſſer accipitris, vel aquilinis vnguibus columba rapiatur implumis; ſic à reprobis illis ſpiritibus miſer iſte corripitur, trahitur libratus, per verenda ſuſpenditur, & quaſi recuperata præda, quæ fuerat perdita, longiùs aſportatur; cum ecce Beatus Petrus radianti nimis, ac terribili ſplendore conſpicuus, ſe tamquam fulmen iniecit, rapinam ſuam quaſi per impetum violẽti ſpiritus apprehendit; & clauibus, quas in manu geſtabat, raptores nequiſſimos acerrimè verberauit. Mox illum ad domum propriam vſque perduxit, reddenſque ſpiritum corpori, vtramque ſaluti ſubſtantiam reformauit. Nam ille protinùs conualeſcens, domui ſuæ ſine cunctatione diſpoſuit, atque ad Cluniacenſe Monaſterium properans, ſanctæ conuerſationis habitum feruida ſatis deuotione ſuſcepit. Sic itaque Diuinæ militiæ transfuga, dum paterni verberis diſciplina cœlitùs eruditur, de manu cruenti prædonis eripitur, & ouis oberrans ad proprij paſtoris mapalia reuocatur.]

9. At talem gratiam non eſt conſecutus à Domino, nec miſericordiam à Deo ſalutari noſtro quidam Maurus nomine, qui ex Presbytero ſub Sanctiſſimi huius Patris magiſterio Monachus

factus, dum non perſeuerauit implere, quod vouerat, factus eſt deſertor ſancti propoſiti, & reus voti non redditi. PETRVS ipſe introitum eius, & infeliciſſimum exitum narrat his verbis Landulpho Clerico Mediolanenſi.

Opuſc.42.c.7. mcc. tom.3.

10. [*Presbyter quidam Maurus nomine, ante annos paucos ſe mihi deuotè commiſit, meque certum, quia Monachus in Eremo fieret, reddidit; paulò poſt mutatum eſt cor eius, ac fœdus, quod per me cum Deo pepigerat, violauit. Sed vt cæcitas mentis erumperet in ſuperficiem carnis, & caligo, quæ latebat, liquidò pingeretur in fronte, in eius oculo repente vulnus oboritur, quod eum, donec aduixit, inboneſta deformitate fœdauit. Poſtmodùm verò dum orationis ſtudio Romam pergeret, amnemque tenuis admodùm gurgitis trāſuadaret, cum cæteri omnes vadum illæſi tranſmearent, ſolus equus illius ſubitò ſine ſeſſore repertus eſt. Requirentes igitur eum dum per alueum fluminis huc illucque diſcurrunt, vndis hunc obrutum exanime cadauer inueniunt. Hoc itaque modo, dum ſancto propoſito vagationis ſuæ quiſquilias prætulit, vtriuſque laboris meritum deluſus amiſit.*]

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVIII.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis, quapropter perfectam Monachos, qui hęc renunciarunt, regendi rationem Prælatis Religioſis tradit.

1. IDeò vt bonos, & malos intrare compelleret, vt impleretur domus Domini, & cunctis ſpretis, quæ videntur ſecundùm interiorem hominem, condelectarentur legi Dei: Beatiſſimus Pater prouidens bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, nonnulla præcepit, & docuit, quæ ſingulis Religioſæ conuerſationis Ordinibus congruere poſſunt, vt quilibet ſine macula, & ſine ruga incedens (prout humana fragilitas patitur) bonus ſit odor Chriſti in omni loco, & etiam exteriùs à temporalibus cunctis ſeſe compeſcens, adoleſcentulas ſæculi trahat, vt currant in odorem vnguentorum Domini ſui.

2. Differens igitur de Religioſis Prælatis, & ſuorum Eremitarum Priorem alloquens: [*Stude*, inquit, *Prior*, *vt te contiguus alloquar*, *quatenus quos Prioratus officio ſuperas*, *ſi poſſibile eſt*, *quantumlibet etiam vita præcedas*. *Viuida quippè*, *&* *efficax in diſcipulorum cordibus prædicatiò eſt aliјs alimenta prouidere*, *prouidentem verò in ieiu-* Opuſc. 15. c. 18 tom. 3.

nij

nij rigore perſiſtere. Optimè vigilias prædicat, qui poſt longum Pſalmodiæ decurſum, ſignum excitandis fratribus pulſat: eloquentiſſimè, dum tacemus, ſilentium commendamus: fructuosè de extremitate veſtium diſputat, qui ſe pannorum conſciſſione deformat. Indumentorum verò iuxtà diuitem nitore conſpicuus, fruſtrà cum Ioanne pilos prædicat camelorum: vltor iniuriæ, patientiam non ſuadet. Qui cumulandis pecuniarum quæſtibus inardeſcit, ignem auaritiæ in alieno pectore non extinguit. Qui crebra vagatione raptatur, de remorandi cenſura friuolus diſputator habetur. Qui autem cellulam perpetuus incolit, ad ſtabilitatis præconium de toto corpore linguam facit; et cum os taceat, muta membra meliùs, quia & ſimpliciùs, clamant. Vitæ tuæ ſemper habeto teſtem, qui & occulta bona tua in fratres ædificatoria debeat relatione transfundere, & famam tuam à ſiniſtra poſſit ſuſpicione purgare.

Ex D. Greg. Paſtoral. par. 3 admonit. 5. 3. Et hæc Prælatis dicebat Vir Sanctus, quia perfectè comperiebat, quòd ſicut ſubditis ſufficit, ſi ante occulti arbitri oculos ſua interiora componant; ita Prælatis opus eſt, vt etiam commiſſis ſibi exempla benè viuendi exteriùs præbeant. Scire etenim iſti debent, quia ſi peruerſa vmquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Vndè neceſſe eſt, vt tantò ſe cautiùs à culpa cuſtodiant, quantò per praua, quæ faciunt, non ſoli moriuntur, ſed alio-

Digitized by Google

aliorum animarum, quas prauis exemplis deſtruxerunt, rei ſunt. Terribiliter enim Prælatus admonetur, cum dicitur: Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, & illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus. Spondere namque pro amico, eſt alienam animam in periculo ſuæ conuerſationis accipere. Vnde & apud extraneum manus defigitur: quia apud curam ſollicitudinis, quæ ante deerant, mens ligatur. Verbis verò oris ſui illaqueatus eſt, ac proprijs ſermonibus captus: quia dum commiſſis ſibi cogitur bona dicere, ipſum prius neceſſe eſt, quæ dixerit, cuſtodire. Illaqueatur igitur verbis oris ſui, dum ratione exigente conſtringitur, ne eius vita ad aliud, quàm admonet, relaxetur. Vnde apud diſtrictum Iudicem cogitur tanta in opere exſoluere, quanta conſtat eum alijs voce præcepiſſe. Prou. 6.

4. Sciebat inſuper Beatiſſimus Pater, quòd is, qui Religionem aliquam profitetur, ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundùm Regulam, quam profitetur, exempli gratia Sancti Benedicti: itaut oporteat eum, qui præeſt, non fræna ſuæ laxare voluntati ſuper ſubditos (vt indiſcreto ſeueritatis rigore nonnulli faciunt,) ſed præfixam ex Regula ſibi ſcire menſuram, & ſic demùm ſua imperia moderari circa id ſolum, quod rectum eſſe conſtiterit: nec quodlibet rectum, ſed hoc tantùm, quod Ex D. Bernard. de Præcept. & diſpenſat. cap. 7.

præ-

prædictus Pater Sanctus Benedictus inſtituit, aut certè quod ſit ſecundùm quod inſtituit. Sic ſe quippè habet profeſſio: Promitto, non quidem Regulam, ſed obedientiam ſecundùm Regulam Sancti Benedicti, non ergo ſecundùm voluntatem Præpoſiti. Proinde ſi profeſſo exempli gratia ſecundùm illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non ſit ſecundùm Regulam, aut etiam quod non ſit ſecundùm iſta Inſtituta: verbi cauſa Baſilij, Auguſtini, Pacomij, quænam mihi, quæſo, in hac re neceſſitas imminet obſequendi? Solum quippè id à me poſſe exigi arbitror, quod promiſi. Quapropter ſi modus eſt obeditionis, tenor profeſſionis: nec ſe valeat extendere poteſtas imperantis, niſi quatenùs attigerit votum profitentis: profectò citra, & vltra, necnon etiam contra, quid aliud quàm obedientiæ limites quoſdam cenſuerim, & his ſuis terminis virtutem eamdem circumcludi? Et ideò quiſque profeſſus in quouis genere ſalutiferæ vitæ, nec vltra obedientię legem cogendus, nec citra eſt inhibendus, quàm ſua ipſius videatur complecti profeſſio. Ergo Prælati iuſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis. Nec vltra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quàm promiſi. Vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate. Neceſſitas quippè non habet legem, & ob hoc excu-

Ibid. vt ſup. cap. 8.

ſat

ſat diſpenſationem. Voluntas verò, quia ſola meretur retributionem, etiam ſola non immeritò gradum altiorem vſurpat. Alioquin & abſque neceſſitate remiſſio voti, non diſpenſatio, ſed prævaricatio eſt: & reſtrictio contra voluntatem murmur eſt, non profectus. Ponant ergo (vt N. PETRVS deſiderauit, & docuit) Præpoſiti metam obedientiæ ſubiectorum ex votis labiorum ipſorum, non ſuorum deſideriorum; monentes eos, non cogentes ad celſiora: [*Per planiora* (ipſiuſmet ſunt verba, Priorem, de quo ſupra, alloquentis) *duc gregem tuum, ſed excelſa interim diſcretus ductor oſtende: quatenùs dum diſpenſationi tuæ deputant, quòd remiſſiùs viuunt, & auctoritati Patrum diſtricta, quæ audiunt, ad conſcendendam perfectionis arcem expeditiùs accingantur, pudeatque ipſos ignobiliter in imis bebeſcere, qui per excelſa condiſcunt præuios ingenuè commeaſſe. Per recta gradientibus te ſupparem præbe: in delinquentes autèm diſciplinæ vigorem zelatus exerce. Pro obſeruanda intrà conſcientiam innocentiæ puritate, noli virgam deponere diſciplinæ: ſic tamen correptionis verbum ex labijs proferatur, vt fraterni amoris in pectore dulcedo ſeruetur. Sicut planè capiendis auibus de manu ſtantis accipiter aduolat: ſic indignationis vox ſine tuæ mentis indignatione procedat. Nam & ſagitta, cui infigitur, vulnerat: ſanguinem tamen is, à quo prodijt arcus ignorat. Notandum tamen, quia* Ibid. vt ſupra Opuſc. 15. c. 18

fragilis mens ab Eremi perſeuerantia faciliùs frangitur, etiam ſi leuis iniuriæ ſummotenùs occaſio præbeatur. Nam & grauis ſarcina tantò minori deliberatione deponitur, quantò & ipſe quodammodò ſuadere videtur humerus, qui grauatur. Facilè igitùr ab illorum cohabitatione diſcinditur, vbi quiſque quotidiana frui victus inopia, rariſſimam verò copiam tolerare iubetur. Vndè temperata diſciplinæ arte vtendum, ne quos afflictio priuata debilitat, iniecta duræ correptionis aſperitas ſternat.]

Opuſ. 13. c. 15. tom. 3. 5. Et ad Pompoſianos ſcribens, poſtquàm ferè eadem, quæ retulimus, dixit de exemplo, quo Religioſorum Prælati ſuos præcedere debent; diſcretiſſimæ inſuper, quam prædiximus, Charitatis, & regularis ſimùl diſciplinæ tenendæ modum docet; nam agens de Abbate ſimul, & Priore Monaſterij: [*Teneat*, inquit, *Prior rigidam in excedentium correptione cenſuram, nec patiatur apud ſe conſuetam regularis propoſiti tepeſcere diſciplinam. Ille ſit ad iuſtitiam rigidus, vt Abbas videri valeat in manſuetudine pius. Ille inſtet exigere, vt ſit quod Abbas paterna poſſit pietate donare.*] Et alibi agens de ſuæ Congregationis Inſtitutis, & Eremitarum ieiunijs: [*Diſcretionem debilium*, inquit, *in Prioris arbitrio ponimus, nimirùm vt ipſe poſſibilitatem vniuſcuiuſque conſideret, & prout cuique viderit expedire, piè illis alimenta diſpenſet. Nam & nos approbamus, quod ſuis ſæpè*

Ibid. cap. 16.

Opuſc. 15. c. 16 tom. 3.

Digitized by Google

ſæpè diſcipulis Beatus Romualdus dixiſſe perhibetur: Dummodò, inquit, frater quilibet cellam non deſerat, etiam carnes permittatur ex diſcretione comedere. Addebat inſuper: Tale enim propemodum eſt de Eremo ad Monaſterium reuerti, quale de Monaſteriali Ordine ad ſæculum aſportari. Vndè neceſſe eſt, vt quicumque Eremiticæ præeſt fraternitati, robur cuiuſque diligenter examinet, & iuxtà virium facultatem neceſſaria ſubminiſtret. Et quidem ſi omnes ſub vnius regulæ menſura viuere præualent, optimum eſt; alioquin ſi vnus, aut fortaſſè plures indigent, quod ij, qui incolumes ſunt, neceſſe non habent, clàm videlicet, & occultè ſic infirmis pia exhibeatur humanitas, vt valentes ſine inuidiæ ſtimulo in ſui rigoris permaneant diſciplina. Neque enim neceſſe eſt, quod vni caſus irrogat, illicò regulare omnibus fiat: cum & idem frater, qui hodie ſubueniri ſibi per humanitatem poſtulat, ſecunda fortaſſis confortatus hebdomada, eiuſdem humanitatis impendia non requirat.]

6. Et mira prorsùs doctrina, quæ ſi à pleriſque religioſis Prælatis cuſtodiretur; & in ſe omniũ amorem traherent, & diſciplinam tenerent, & inæqualitatis notam declinarent, & veræ Charitatis, & diſcretionis parem omnibus menſuram haberent. Sed quia plerumque dominandi libidine cunctorum ſibi in regimine miniſterium vſurpant, & ex multis membris non vnum corpus, ſed vnum

Digitized by Google

ſe membrum facere geſtiunt, & elatione ſuperbiæ, vt obſeruantes videantur, dijudicare de omnibus volunt, & tenentes omnes ſub indiſcreta cenſura, omnes etiam ſuffocare contendunt; ideò contumelioſi, ſuperbi, odibiles, indiſcreti, potiùs quàm diſperſa congregent, congregata diſperdunt. Qui certè reminiſci deberent, quod idem docuit Beatiſſimus Pater, nimirum: quòd id, quod ſtomachus in humano corpore, hoc propemodum Prior eſt in fratrum ſpiritualium congregatione. Nam ſicut de ſtomachi receptaculo vigor, & robur per omnia corporis membra diffunditur; ita de benè adminiſtrato præſidentis officio omne corpus in Charitatis compage degentium vegetatur. Et quòd licet omnibus ad exemplum debeat florere virtutibus; patientæ tamen virtuti debet propenſiùs ſtudere; omnigenæ aduerſitatis obſtacula per patientiam vincere; quia patientia eum durum lapidem, immò inſecabilem præbere debet adamantem; nam ſicut adamantis ſigillum formam cæteris lapidibus imprimit, ſed viciſſim in ſe nullius ſoliditatis imaginem non admittit; ita Prælati mens, ſi irruentibus aduerſis, nulla ſe perturbatione mutauerit, velut alieni in ſe lapidis imaginem non accipiet: immò ſuum alijs characterem imprimet, dum quidquid aduerſitatis acciderit, in ſalutem ſibi ſuauitate mentis, & animi tranquillitate conuertet. Et ſi vel ſuum, vel cuiuslibet fratris læſum aduersùm ſe animum ſenſerit, non quieſcat, donec

Ibid. vt ſup. cap. 31.

Ibid. vt ſup. cap. eodem.

donec ſtudeat vulnus mentis, prout cauſa dictauerit, vel corripiendo, vel mulcendo, vel etiam ſatisfaciendo ſanare.

7. Quæ omnia, vt videre eſt, optimè conueniunt Euangelico Domini monito: [In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.] Sæpè namque ſeditioſorum tumultus hominum in religioſis Conuentibus Præpoſitorum ſuorum mentes laceſſunt, ſuique Ordinis limitem inordinatis motibus excedunt. Et plerumque qui præſunt, niſi in ore cordis Spiritus Sancti fræno teneantur, in iratæ retributionis atrocitatem proſiliunt, quantumque præualent agere, tantum in ſibi ſubditis æſtimant licere. Amica etenim poteſtati penè ſemper impatientia eſt, eique etiam malæ ſubiectæ imperat: quia quod ipſa ſentit, poteſtas exequitur. Sancti igitur viri, iuxta Beatiſsimi PETRI Noſtri doctrinam, plus ſe interiùs patientiæ iugo ſubijciunt, quàm foris hominibus præſunt, & eò veriorem Principatum foris exhibent, quò humiliorem Deo intrinſecùs famulatum tenent: atque idcircò ſæpè plus quoſdam tolerant, quò ſe de eis vlciſci amplius poſſunt, ac ne vmquam ad illicita tranſeant, plerumque nolunt pro ſe exequi etiam, quod licet: ſubiectorum ſtrepitus ſufferunt, per amorem increpant, quos per manſuetudinem portant. Vndè rectè per Beatum Iob dicitur: [Sine furore conſurgens, in turba clamaui:] quia nimirum boni contra tumultus inſolentium clamorem ha-

Luc. 21.

Ex D. Greg. Moral. lib. 20. cap. 12.

Iob. 30.

habent, & furorem non habent: quoniam eos, quos clementer tolerant, docere non ceſſant.

Ex D. Aug. In lib. de Amicit. cap. 10. to. 4.

8. At quia in Religioſis etiam congregationibus ſpuria quædam Charitas multoties intruditur, qua videlicet Prælati nihil norunt boni, niſi vel quod temporale eſt Religionis, vel quod vtile eſt ad portanda onera ipſius; dum nimirùm ſubditos, ſicut boues ſuos diligunt, ex quibus aliquid boni ſperant capturos; vndè germana, & ſpiritali carent amicitia, quæ non vectigalis, ſed plena decoris gratiæ virtus eſt; non quæſtus, quia pecunia non potitur, ſed gratia; nec licitatione pretiorum, ſed concertatione beneuolentiæ; non mercenaria, ſed gratuita; ideò contra hanc Vir Dei decertauit fictam Charitatem in verbo veritatis. Cum enim de illo Abbas quidam conquereretur, quòd Monachum ex ſuo Monaſterio egreſſum contra Sancti Benedicti Regulam in ſuo Eremo recepiſſet; poſtquam illi oſtendit, Sanctum Patriarcham non prohibere Monachum ex Monaſterio ad Eremum tranſire; inter alia hæc illi ſcribit.

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 12. to. 1.

9. [*Ad hoc animal in materno ventre concipitur, vt egrediatur. Et certè neceſſe eſt, vt mater abortiat, niſi fœtus ad ſui plenitudinem conualeſcat. Nos autem volumus, vt ſemper vterus tumeat, & quod ſemèl conceptum eſt, non erumpat. Siniſtræ indolis puer eſt, cui iam grandiuſculo nec ex gingiuis dentes prodeunt, nec ad gradiendum genua conualeſcunt. Porrò autem cum ipſa*

Cœno-

Cœnobitarum Regula perfectionem ſe non habere perhibeat, ſed volentem perfici ad Eremi inſtituta patenter tranſmittat; cur nos ad perfectionis arcem, & ipſi conſcendere floccipendimus; & quidem ne ad meliora proficiant, ſemper a iis inuidemus? Reſpiciens Ieſum ambulantem Ioannes, clamat: Ecce Agnus Dei. *Ad hæc protinùs Euangeliſta ſubiungit:* Et audierunt duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. *Quid, rogo, querelæ potuiſſet habere Ioannes, dum ipſe ſibi Ieſum manifeſtè præferret, & illi ſequerentur vtique potiorem? Si ergò ipſa, quæ præeſt, Regula ad ſe confluentes ad Eremum deſtinat, qua temeritate, qua fronte is, qui ſub Regula eſt conſtitutus, obſiſtat? Iam luce clariùs patet, quia qui quærentibus Eremum vetat, ipſam procul dubio Regulam rebellis oblocutor impugnat: & dum Regulæ verbis adimit auctoritatem, ipſum ſanctæ Regulæ condemnat auctorem. Vera mater filium tradit, vt viuat; falſa petit, vt publicus eum enſis diuidat. Octogenarius Berzellai vt Chanaam filij vtilitatibus conſulat, eius ſuſtentaculo ſenectutis incuruæ grauedinem fulcire non curat, dummodò ille Regi Dauid familiariter hæreat, ipſe deſtitui prolis auxilio non recuſat. Hilarionem dimittit Antonius, vt ſolus ad altiora conſcendat. Nos autem diligimus Monachos, ſicut aſinos, vel certè ſicut ſeruos. Amant enim homines hæc animalia, non illis, ſed ſibi: vt ea videlicèt aut in*

ſuam

Ioan. 1.

3. Reg. 3.

2. Reg. 19.

ſuam transferant carnem, vel vt eorum fruantur auxilijs ad laborem. Amant hæc homines, vt ipſi benè ſint; illa verò, aut non ſint, aut malè ſint. Nos etiam, vt potiamur dumtaxàt obedientia Monachorum, ſalutis eorum omninò paruipendimus incrementum.]

Ex D.Gregor. Paſt.par.2.c.7. tom.3.

10. Cupiebat demùm admirabilis Pater, quòd Religioſi Præſules & internorum curam in exteriorum occupatione non minuerent, & exteriorum prouidentiam in internorum occupatione non relinquerent; ne aut exterioribus dediti, ab intimis corruerent, aut ſolis interioribus occupati, quæ foris debent, proximis non impenderent. Et multò magis ne Religioſis facultatibus ambitionis intuitu ſæcularium amicitias, dilatatis communis ſubſtantiæ filacterijs, ſibi vindicarent. Vndè Pompoſiano Abbati: [*Noli*, inquit, *Monaſterij bona prodigere, nec popularis auræ fauorem proprium de communi velis vtilitate captare. Si enim credimus, quòd ditantium Eccleſias peccata ſoluuntur; credendum eſt etiam procul dubio, quia minuentes, & dilapidantes eas grauis ſacrilegij vinculis inneƈtuntur: & indè ſunt iſti peccatis obnoxij, vndè reperiuntur illi peccatorum nexibus abſoluti.*]

Opuſc.13.c.15 tom.3.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XXIX.

Charitas PETRI DAMIANI, quæ non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis, Monachis, & Religioſis mundo, & ſibi mortuis Monaſteriorum regimen ambire vetat; ipſiuſque regiminis ærumnas deſcribit.

1. SVnt autem nonnulli, qui in ſanctâ Religione per ſpeciem regiminis gloriam affectant honoris: videri doctores appetunt, tranſcendere cæteros concupiſcunt, atque atteſtante Veritate, primas ſalutationes in foro, primos recubitus in cænis, primas in concionibus quærunt cathedras: qui ſuſceptum curæ Paſtoralis officium miniſtrare dignè tanto minùs nequeunt, quantò ad huius humilitatis magiſterium ex ſola elatione perueniunt; contrà quos Dominus per Prophetam quæritur dicens: Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego ignoraui; contra hos, inquam, qui nimirùm, vt aſcendant ad locum regiminis, faciunt ſibi currus, & equites; & manè conſurgentes ſtant iuxta introitum portæ; & omnem virum, qui habet negotium, vocant ad ſe, & apprehendentes manum eius, oſculantur eum

Ex D. Greg. Paſt. 1. cap. 1. tom. 3.

Matt. 23.

Oſee. 8.

eum, dicentes corde, ſi non ore: Quis me conſtituet Iudicem ſuper terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuſtè iudicem? Et demùm innumeris artibus ſollicitant corda virorum Iſrael: contra hos, inquam, inſtruens PETRVS fratruelem ſuum Marinum, hæc docuit & verbo, & metuendo exemplo.

Opuſc. 49. c. 6. tom. 3. 2. [*Ad locum quoque regiminis numquam ambitioſus anheles, dum in proximo digreſſurus diem propriæ vocationis ignores. In Claſſenſi planè Cœnobio, quod nunc incolis, ætate noſtra quidam Monachus vicem Prioris obtinuit, qui Abbas ibidem fieri ardentiſſimè concupiuit, ſed dum ſatagit, dum conciliabula cogit, dum fabricat, & verſutiæ malleos infatigabiliter verſat, in languorem decidens ad extrema perductus eſt: dehinc in phreneſim repentè conuerſus, quod ſciens mente conceperat, ore neſciens effluebat: Ecce, inquit, in proximo comprehendam, mihi dabitur Monaſterium, adeſt virga: accipiam, & præualebo. Inter hæc igitur verba defunctus, ſiniſtram de ſe fratribus ſpem reliquit.*]

3. Sed ad correptionem illorum, qui in Religioſa congregatione adhuc ad locum Prælationis anhelant, validius forſitan erit, quòd ipſe ſcripſit Monacho cuidam, quem innumeris laudibus attollit, eo quòd Abbatis dignitate ſe abdicaſſet. Ibi enim PETRVS eiuſdem Prælationis ærumnas mirabiliter exprimit, & vt non apprehenſus adhuc

locus

Digitized by Google

locus regiminis non exoptetur, & dimiſſus olim, non repetatur, mirabiliùs ſuadet; vndè quod docuit, licet aliquātò propoſita breuitate prolixius, hìc omittendum tamen non duximus. Scribit igitur.

4. [*Chariſſime Pater, dignas Auctori bonorum Deo gratias refero, qui te per ſuum ſpiritum docuit periculoſo hoc tempore aridam virgam vanæ Prælationis abijcere, & ad priuatam animæ tuæ cuſtodiam expeditis greſſibus feſtinare. Nunc verè meus Abbas eſſe cœpiſti, cum præeſſe alijs deſijſti. Ecce de iugo multigenæ ſeruitutis ereptus, ingenuæ libertati es per Dei miſericordiam reſtitutus. Seruum enim te ſæcularium, ſeruum te eſſe neceſſe fuerat etiam Monachorum. Illorum ſiquidem, ne Monaſterium læderent; iſtorum verò, ne tibi conſpiratæ factionis ſcandalum generarent. Illos nempè verebaris, ne domus Dei bona diriperent; iſtos autem, ne domeſticæ ſeditionis aduerſùm te machinas concinnarent. Et dùm vnum caput tot dominis ſubditur, infelix anima multiplici quodammodò catena conſtringitur, ne Creatoris ſui veſtigia proſequatur. Dic Pater, dic, inquam, videlicet vt expertus: quis poteſt hoc ferreo ſæculo Monaſterium ſine ſui capitis periculo tenere? Immò quis poteſt cum Abbate, ſimul & Monachum poſſidere? Mox enim, vt quis Abbas fieri incipit, Monachus eſſe deſiſtit: & quicumque abbatizandi culmen efflagitat, nihil eſt aliud, niſi quòd Monachum, velut importabile pondus quęrit abij-* Opuſc. 21. in Præfat. to. 3.

abijcere: & ne apoſtata videatur, ſub fucato ſe vult colore regiminis palliare. Videlicet vt poſſit latere peccatum, Prælationis quæritur argumentum, & vitioſa cutis Paſtoralis officij ſuperducitur, vt peruerſæ mentis plaga cum viroſi puris
Matth.23. *fœtoribus occultetur. Quibus nimirum aptè congruit illud Euangelicum: Veh vobis, inquit, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent hominibus ſpecioſa, intùs autem plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.*

Ibid. vt ſup. cap. 1. 5. *Præcipitur Monacho, vt moriatur mundo, ſed qua ratione hoc Abbas adimplet, qui tot curarum tumultibus premitur, tot negotiorum ſæcularium perplexionibus innodatur? Qui diem loquendo, & diuerſa tractando continuat, noctem conſiliando dimidiat? Qui cum alijs complere non curat, atque ad explendum primæ ſynaxis officium Solis ortu ſemper anticipat: & cum conuentus fratrum ſilentium communiter ſoluit, ille inter eos numquam ſaliuam virginem portat? Nec ad proferendum iam Cœleſtem ſermonem idonea ſuppetit lingua, quæ prius eſt tam prolixis terrenæ locutionis ambagibus diſſoluta.*

6. *Porrò cum Monachus iubeatur in hoc mundo nihil appetere, nil prorſus ambire; quid de Monacho ille Abbas habet, quem videmus velut Æthneis eructantem flammis auaritiæ faucibus inardeſcere, prædiorum confinia dilatare, pecunias hinc indè cum tanta auiditate colligere, ad aliena*

con-

Digitized by Google

conquirenda totis deſiderijs anhelare? Cui quidquid eſt, nihil eſt, niſi & hoc ſtuduerit inuenire, quod deeſt. Cui Monaſterium ſit hoſpitium, equinum verò dorſum quotidianum eſt habitaculum: chirothecæ, calcaria, ſcutica, pidriſigulæ, & ſi quæ alia equitandi ſunt vtenſilia, numquàm otioſo ſitu neglecta marceſcunt, cum Sacerdotalia ornamenta, quibus ſacris Altaribus deſeruitur, ſæpè à tineis comeſta reperiantur. Quæ enim fora, quæ tribunalia inueniri poſſunt Abbatibus vacua, quæ curia, quæ cubilia Principum ferratis Abbatum virgis non aſpiciuntur effoſſa? Aulicum limen iugiter Abbatum veſtigijs teritur, & eorum querelæ, vel iurgia importunè Regum auribus ingeruntur. Non eos effugiunt caſtra bellantium, ſed ſub ſequeſtra pacis ſpecie inter ipſos galeatorum cuneos diſcerpi, & comprimi ſæpè videas cucullatos. Qui vult noſſe, quid actum ſit apud forenſe negotium, non prætoria iudicum, ſed diuerſoria potiùs perquirat Abbatum: quidquid in ſæculo agitur, ab eis velut à magiſtris negotiorum ſæcularium requiratur. Sed cum Dominus dicat: Cauete, inquit, ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis huius ſæculi. Et iterum: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Apoſtolus etiam concorditer clamat: Nemo militans Deo, implicat ſe ſæcularibus negotijs, vt ei placeat, cui ſe probauit. Quiſquis tot terrenis actionibus plenum Monaſterij regimen vltroneus appetit, quid

aliud

Digitized by Google

aliud creditur agere, niſi quod velùt iam laſſus Chriſti militiam execratur vlteriùs baiulare? Et dum iugum Chriſti, quod vtique ſuaue eſt, tenera ceruice portare detrectat, ad refectionis eius conuiuium non aſpirat.

Ibid. vt ſup. cap. 1. 7. *Vnum autem in iſtis nouellis Abbatibus video, quod vehementer admiror. Qui enim per decem annos, vel eò amplius ſub alterius regimine conſtitutus, numquàm ad hanc potuit peruenire ſcientiam, vt perfectè Monachus videretur: nunc ipſo die, quo in Prælatione conſtituitur, ita præſidentis induit ſpeciem, ita dominantis exprimit maieſtatem; vt non nuper electum, ſed natum dicas Abbatem. Fit repentè ſeuerus in vultu, imperioſus in voce, ad corripiendum acer, ad iudicandum promptus. Ipſe ſi offenderit, iam omninò ſatisfactionis ignarus, dedignatur accumbere, niſi in octogona ſella ita præparata, ac ſi Senatoria curulis in Curia. Pro ſuæ voluntatis arbitrio hæc præcipit fieri, illa conteſtatoriè interdicit, ligat, ſoluit, admouet, remouet: & in his omnibus nequaquam à nobis ſenioribus conſilium quærit, ſed ſibi ipſi ſufficiens velut propriæ poteſtatis iura diſponit. Deuotis quidem, & ſubditis pollicetur gratiam, repugnantibus autem Phalarica ſpirat animaduerſione vindictam; vt potiùs videatur in præfectoriis faſcibus agere, quàm Eccleſiaſticæ humilitatis officio deſeruire. Nauſeant fauces eius communia nobiſcum alimenta perci-*

pere,

Digitized by Google

pere, neceſſe eſt coquis plura, atque diuerſa vnicuidam ventri edulia præparare. Nam groſſus cibus, qui ex communi fratrum lebete depromitur, indignum pituitæ teneri, & delicatiſſimi hominis iudicatur. Nuper egreſſus dormitorium, quieſcere non poteſt, niſi ſecretum habeat, & ſingulare cubiculum. Licet iuuenculus, licet validus corpore, neſcit incedere, ſi deſit baculus, quo ſe debeat ſuſtentare.

8. *In his itaque, & aliјs pluribus, quæ proſequi longum eſt, ita ſubitò magiſter efficitur, vt in tota præſidendi regula velut antiquus quidam Pater nihil offendere videatur. Quàm doctè, quàm imperiosè nouit cuncta, veluti quadam maieſtatis auctoritate præcipere, qui diutiſſimè ſubditus, numquam ſapuit ſuis præceptoribus obedire! Præſidendi ſiquidem artem docibilem dixerim, quæ tàm facilè diſcitur, vt quilibet etiam ad alia vecors, hanc mox vt incœperit, magiſter in ea peritiſſimus approbetur: &, vt arctiùs teneatur, non ſolùm ſui notitiam quantocyus præſtat, ſed etiam obediendi artem, quæ à ſe diuerſa eſt, ex alumni ſui memoria prorſus oblitterat. Quamplurima itaque Monaſteriorum Rectoribus imminent, per quæ, vel lenocinante ipſa immunitatis licentia, ſpontè corruunt, vel mundanæ perturbationis neceſſitate coacti, etiam nolentes offendunt,*

9. *Sed eſto, vt eos nulla ſæcularium moleſtia feriat, omnes vndique mundani fluctus procella*

quie-

quieſcat; quis valeat inteſtinæ ſeditionis mala perferre, & ſola Monachorum tædia ſuſtinere? Quis tot & tam varijs voluntatibus ſatisfaciat? Quis ſemetipſum per tàm diuerſa formarum monſtra componat? Decernunt ſiquidem ſuum Præpoſitum debere ſpiritualiter viuere, cogunt tamen per totum diem cauſarum ſæcularium negotijs inſudare, ne videlicet Eccleſiaſtica bona depereant, ne domum Dei, quod abſit, ab incolumitatis ſuæ ſtatu declinare contingat: & tolerabiliùs ferunt, ſi per Abbatis abſentiam cuncta regularis inſtitutionis diſciplina dilabitur, quàm vt Eccleſiaſticæ vtilitatis commodum diſpendia patiatur. Si delinquentium vitia diſtrictæ animaduerſionis iudicio corrigit impius; ſi circa eos remiſſiùs agit, zelo Dei creditur alienus, ſi ſilentij ſe aliquando cenſura conſtringit; dicitur, quia cum paſtor obmuteſcit, gregem lupus inuadit. Paulò liberius loquar: Qua fronte alijs ſilere præcipiat, cuius garrula lingua continua verboſitate declamat? Cum ieiunat, laudis humanæ fauorem captare dicitur; cum comedit, ſuo pater, alieno ventri eſſe vitricus perhibetur. Lautiori veſte contectus, vanam gloriam quærere, extremitate, & vilitate contentus, fertur Monaſterium deturpare. Prædicationis ſermo ſi in longum protrahitur, conſpuitur, faſtiditur, & magis ſomnum dicitur prouocare, quàm ædificationi poſſe congruere. Si autem locutio breuis fiat; quod in ſuo, inquiunt, non

ſtu-

Digitized by Google

ſtuduit vaſe recondere; non valet alijs propinare; & fons, qui in occulti meatus ſui venis areſcit, vberes riuos per fiſtulas non effundit.

10. *Vnum eſt, quod ſuper Abbate ſuo Monachi magnipendunt, & ſummis præconium laudibus efferunt, videlicet, ſi apud potentes ſæculi valeat: ſi nocendi, & adiuuandi liberam facultatem habeat: ſi loqui in turba, & proprias cauſas agere non erubeſcat. Hinc eſt, quòd noſtro tempore Monachi neminem ſibi præeſſe volunt, niſi & validi corporis ſtatura procerum, & claris proauorum titulis inſignitum. Sit licet ſanctus, ſit omnium virtutum nitore conſpicuus, illis tamen naturæ muneribus carens, ſi Antonius deducatur, conſona omnium voce indignus electione decernitur. Adde etiam, quia nullum ſibi Rectorem dari, niſi de propriæ congregationis numero patiantur; aliàs, etiam ſi prodigiorum virtutibus eniteſcat, illis obſiſtentibus ad capeſſendæ Prælationis officium non aſpiret. Metuunt enim, ne alios ſibi aliquando præferat: paueſcunt, ne de conſuetudine, in qua iam inueterati ſunt, iſte aliquid emendare præſumat: ne, quod abſit, mortificationem doceat, ne vana ſuperſtitione eos ieiunare compellat, ne extremitatem diligat, ne noua præcipiat; ne eos, quod cunctis intolerabilius eſt, à propria fortaſſis voluntate compeſcat. Sic ſic videlicet malunt de ſui quempiam ſuini gregis cuſtodia dignum, quàm extrinſecùs venientem in omni*

Digitized by Google

religioſæ vitæ , & ſanctitatis conſumatione perfectum . Ille, ille nimirum nunc Abbas extollitur, ille dignus percepti honoris infula iudicatur, qui nouit agrorum fundos extendere , turrita domorum culmina fabricare , copiam terrenæ facultatis acquirere , ſibi commiſſis non tam neceſſaria, quàm & ſuperflua miniſtrare . Porrò ſi curando talia , animarum cura poſtponitur , dicitur : quia inter præcipua multa bona leuis quælibet culpa miſericorditer indulgetur. Omnes ſiquidem poſſunt animæ ſuæ vtilitati conſulere: non omnibus datum eſt, tam ardua, tam neceſſaria prouidere. Facilè locus tribuitur veniæ, vbi hoc intuitu minora negligimus , vt ad maiora ſtudioſiùs accingamur.

11. *Quod ſi Abbas ab exterioribus temperans , ſpiritualibus ſe ſtudijs mancipauerit; gemitur , ſuſpiratur, & vnuſquiſque domeſticæ facultatis iacturam conqueritur : Ecce , inquiunt , domus ſancta deſtruitur, poſſeſſio noſtra minuitur ; & per vnius incuriam tot virorum commoda ad nihilum rediguntur . Fiat ratiocinium , ponamus calculum, poſtquam ille ſuper nos infauſto auſpicio ius indignæ poteſtatis accepit ; quot , & qualia ornamenta Eccleſiæ ſuperaddidit ? Quot prædiorum manſos acquiſiuit ? Vbi denique poſſeſſionis noſtræ terminos ampliauit ? Planè ſi res diligenter inquiritur, locus hic ſuo tempore non modo auctus, ſed in multis potiùs cernitur imminutus . His itaque & huiuſmodi calamitatum ſtimulis Abba-*

Digitized by Google

tes ſæpè perculſi, & ſubiectorum malitia conturbati; nec quietam prævalent vitam agere, nec lucrandis animabus, proùt eorum dictat officium, desudare.]

12. Hæc Venerabilis PETRVS de ſui temporis Abbatum miſeria, quæ & metro mandauit in rhytmo ſequenti.

13. [*Luget, plorat, lamentatur*
Sancta nunc Eccleſia; Tom. 4. c. 11.
Cum ſuorum tantam videt
Abbatum miſeriam.
Nullus penè Abbas modò
Valet eſſe Monachus,
Et eorum contemplatur
Diuerſa pericula;
Dum diuerſum & nociuum
Suſtinet negotium:
Et quod velit ſuſtinere,
Velut iniquus patitur.
Monachorum tamquàm ſeruus
Intùs fert ſuperbiam,
Et multarum foris rerum
Suſtinet moleſtiam:
Hanc Abbatis cella portat
Seruitutem geminam.
Spiritaliter Abbatem
Volunt fratres viuere;
Et per cauſas ſæculares
Cogunt illum pergere;

Per tàm itaque diuerſa
Quis valet incedere?
Nam dum equitat, mox eſſe
Dicitur vagatio:
Eius namque hebetudo
Eſt clauſtralis ſtatio.
Quidquid miſer facit,
Semper eſt detractio.
Delinquentes dùm emendat,
Omnes clamant impium;
Si quandoque illis parcit,
Dicunt eſſe tepidum:
Quis portare, rogo, valet
Vulgus tàm ambiguum?
Phinees ſi imitatur,
Fugit, vel expellitur.
Si Eli, tunc irridetur,
Atque paruipenditur.
Odioſus eſt, ſi feruens;
Et vilis, ſi tepidus.
Valet forſan emendare,
Facta, ſi ſint leuia.
Et quæ duas tantùm poſcant,
Vel vnam veniam.
Grauiora, quæ ſunt, Abbas
Supprimit, ne pereat.
Nàm ſi velit de immundo
Quidquam loqui vitio,
Monachorum inteſtina

Ori-

Digitized by Google

Oritur ſeditio;
Et occultè ſtatim eius
Tractatur perditio.
Si quandoque vel ieiunat,
Vel tenet ſilentium,
Vanæ laudi mox Abbatem
Dicunt eſſe deditum;
Et ſi loquitur, vel mandat,
Velut fur reprehenditur.
Si ſermonem facit Abbas,
Denotatur garrulus;
Et ſi tacens nil exponit
Denotatur fatuus:
Huc ſe vertat, illuc pergat,
Semper erit anxius.
Intùs, foris, ſi contingat
Quælibet aduerſitas,
Hoc incuriæ Abbatis
Fratres omnes deputant:
Illum rodunt, & perrodunt,
Et appellant beſtiam.
Domus ſancta ſi non creſcat,
In Abbatem inuehunt:
Si creſcat, mox Abbatem
Velut hoſtes expetunt;
Vt incudem, ſic Abbatem
Simul omnes feriunt.
O beatum tale caput
Intùs Abbas tolerat,

Sæcu-

Digitized by Google

Sæcularium, & foris
Simul portat onera.
Anxiatur, & triſtatur,
Quod ſic premant omnia.
Noctem namque curis preſſus
Verboſus dimidiat;
Et auroram, vt loquatur,
Sæpiùs anticipat;
Totum diem in loquendo
Poſtmodùm continuat.
Hæc & alia Prælatus
Suſtinet quamplurima;
Sæculares foris pungunt,
Intùs fratres vulnerant;
Illi corpus proſequuntur,
Hi corrodunt viſcera.
Dic Prælate, rogo, chare,
Quæ eſt iſta dignitas?
Intùs dolor, foris labor.
Hinc indè calamitas,
Corpus, fateor, ijs malis
Perditur, & anima &c.

14. Quis autem non videt Sanctiſſimum Virum corde præſago non ſolùm ſui temporis, ſed etiam infeliciſſimi noſtri ſaltèm aliquorum Religioſorum, & Prælatorum ærumnas, & exterorum bella, & ſubditorum ſeditiones in ſacro Ordine manentium mirabiliter non tantùm ceciniſſe, verùm etiam indice prodidiſſe? Hoc certè comperire poteſt,

poteſt, vel quiſquis in Religioſa ſocietate manet, vel meliùs, qui experitur. Poſtquàm enim ſæculo valedictum eſt, & omnibus pompis eius; in ipſa Religione ad pompas ipſas, quæ renunciatæ ſunt, per aliam viam reuerti in regionem mundi contenditur; vndè non mirum, ſi poſteà fiunt nouiſſima iſtorum peiora prioribus; & ſi infeliciter tenetur, quod tàm deplorabili arte acquiritur; dùm non prodeſſe, ſed quæritur tantum præeſſe. Sed reuera tali populo conuenit talis Sacerdos, qui nec pro ſe, neque pro illis Paſtor ſit; dùm reproba plebs reprobum Paſtorem habere permittitur; cum ſic ille præeſt, ſic illi obediunt, vt ad æterna bona nec ille, qui docet, nec illi, qui docentur, peruenire mereantur; de quibus per Oſeam Dominus dicit: Dabo eis Reges in furore meo. In furore etenim Dei Rex datur, quando malis peior præeſſe decernitur: talis quippè Paſtor nunc datur, cum talis populus regendus ſuſcipitur, qui pariter æterna pœna damnetur.

Ex D. Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 9. expoſit. lib. 3. tom. 2.

15. Sed cum nos talia; & ipſi cum Beatiſſimo Viro dicimus; de quorumdam Abbatum, ſiue Monachorum prauitatibus loquimur, nemo nos ſimùl cum eis etiam Religioſos, atque honeſtos carpere ſuſpicetur. Quippè quorum veſtigia humiliter oſculantes amplectimur, & in eis Chriſtum, prout dignum eſt, adoramus. Illos etiam ipſo nequaquam liuido detractionis dente corrodimus, ſed eorum potius fraterna compaſſione ple-

Vt ſup. Opuſ. 21. c. 2. tom. 3.

Een-

Digitized by Google

ſtendis moribus condolemus, qui nimirum per diſſolutæ conuerſationis incuriam non ſolùm nobis ſcandalum generant, ſed ipſis etiam ſæcularibus detrahendi ſacro ordini materiam ſubminiſtrant.

C A P. XXX.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in externis corporis bonis; ideò perfectam viuendi normam omnibus, qui in Sancta Religione hæc reliquerunt, præſcribit.

1. SEd quia totum Monaſtici Ordinis corpus, & non tantum Cœnobij vnius (vt ipſe de ſe humiliter fatetur) velut extenſis quibuſdam fraternis amoris vlnis amplexus eſt Vir Dei; operæpretium ducimus ipſa quoque Monaſterialis Ordinis alia membra diſtinguere, & congruentia quædam admonitionum indumenta, quæ ſingulis quibuſque membris aptare voluit; hìc apponere ad ædificationem totius huius Corporis Chriſti.

Cellerarius. Opuſc. 13. & 19 tom. 3.

2. *Cellerarius*(igitur inquit) *quia quaſi Pater conſtitutus eſt Monaſterij, debet officium ſibi commiſſum tanta diſpenſationis arte peragere; vt manum & aperiendo ſubſtringat, & ſtringendo diſcretus aperiat; quatenus in eo & parca ſit largi-*

tas

tas; & parcitas larga. Summoperè quippè cauendum eſt, ne parcitatem tenacitas, largitatem effuſio mentiatur. Sæpè enim vitium virtutis ſe ſpecie palliat; quantòque quaſi bonum eſſe, quod malum eſt, cernitur, tantò difficiliùs emendatur. Bonus autem adminiſtrator ſic diſpenſat neceſſaria corporum, vt ſaluti etiam conſulat animarum: quia & parcendo ſobrietatem nutrit, & largiendo, murmurationis vitium ne oriatur, obſiſtit. Sæpè enim (vt vir prudentiſſimus ait) liberalitate liberalitas perit, videlicet cum res & non indigentibus indiſcretè profunditur, ideoque quid verè indigentibus dandum ſit, poſtmodùm non habetur.

3. *Debet itaque negari ſuperfluum noſtris, vt ſuperſit, vndè Charitas impendatur extraneis. Sic debemus noſtris quotidiani victus ſtipendia miniſtrare, vt meminerimus, etiam ſi facultas ſuppetat, & extraneis in neceſſitate ſuccurere. Sit autem Eccleſiæ diſpenſator, non acceptor perſonarum, ſed conſiderator infirmitatum: non captator gratiæ, ſed ſubſtentator imbecillitatis alienæ; vt æqualiter indigentibus æqualia tribuat; quos autem fragilitatis diuerſitas ſeparat, adminiſtrationis etiam diſpenſatio moderata diſcernat. Sic enim omnium ſcandalorum ſeminarium tollitur, ſi ſingulis quibuſcumque membris, non quod voluntas ambit, ſed quod neceſſitas expedit, impleatur.*

Horarum ſignificator. 4. *Nouerit ſignificator horarum, quia nulla*
Ibid. vt ſup. cap. 17. *magis in Monaſterio eſt obliuio fugienda, quàm ſibi. Si enim articulum ſuum cuiuslibet ſynaxis hora, vel præuenta, vel dilata non teneat; omnium procùl dubio horarum ſuccedentium ordinem turbat. Non ergò fabulis vacet, non longa cum aliquo colloquia miſceat, non denique quid à ſæcularibus agatur, inquirat; ſed commiſſæ ſibi curæ ſemper intentus, ſemper prouidus, ſemperque ſollicitus volubilis ſphæræ neceſſitatem quieſcere neſcientem, ſiderum tranſitum, & elabentis temporis meditetur ſemper excurſum. Porrò pſallendi ſibi faciat conſuetudinem, ſi diſcernendi horas quotidianam deſiderat habere notionem: vt quandòcumque Solis claritas, ſiue ſtellarum varietas nubium denſitate non cernitur, illic in quantitate pſalmodiæ, quam tenuerit, quoddam ſibi velut horologium metiatur.*

Menſæ lector. 5. *Menſæ lector ſollicita conſideratione per-*
Ibid. vt ſupra cap. 18. *pendat, quàm diſtinctè, quàm apertè, quàm denique intelligibiliter legere debeat. Quandòquidem cum refectione corporum ille pabulum exhibet*
1. Corint. 6. *animarum. Dixit Apoſtolus: Eſca ventris, & venter eſcis: Deus autem hunc, & illam deſtruet. Per alios igitur offertur eſca corporibus, quæ mox in putredinem vertitur, per hunc Diuina miniſtrantur eloquia, quæ Cœlo etiam, terraque tranſeuntibus non tranſibunt. Sic ergò legendum eſt, vt dùm caro ſua ſtipe reficitur, ani-*

ma

Digitized by Google

ma quoque Cœleſtibus epulis ſaginetur.

6. Legatur itaque non lectori, ſed auditori: nec aucupetur propriè rumuſculos famæ, ſed ædificationi potiùs conſulat alienæ: nec curet, quid de lectore dici, ſed quid de lectione poſſit intelligi. Edentibus etiam ſuggerendum eſt, vt ſic refectionem ſobrietas temperet; quatenùs commolentium ſtrepitus faucium meatus aurium non obturet: ſic mediatrix inter os, & menſam manus ſcilicet moderata diſcurrat; ſic ſe ſub grauitate fræno ſuſpenſa cohibeat; vt dùm terrena per fauces eſca trahitur, nequaquam à Diuinis ieiunare dapibus eſuriens anima compellatur.

7. Ii verò, qui ad Religionis Ordinem nouiter conuertuntur, ad monendi ſunt, vt prima contra gulam bella ſuſcipiant, vt dùm ſobrietatis legibus venter parere compellitur, conſequenter etiam in his, quæ ſub ventre ſunt, flamma libidinis temperetur. Refrænetur lingua non ſolum à ſermonibus otioſis, ſed & à fratrum plerumque confabulatione colloquij, vt tantò liberiùs in orationibus ſe vel laudibus Diuinis exerceat, quantò hanc per ambagum viciſſitudines inanis verboſitas non fatigat. Terat oculus aſſiduis obtutibus pauimentum, mens per æſtuantis deſiderij machinam ſuſpendatur in Cœlum. Vtraque ſubſtantia ſuam perpendat originem, vt & caro, quem cernit, puluerem ſe eſſe non dubitet; & anima ad id erecta, quod perdidit, inhianti, atque indefeſſa ſem-

Nouitij.

Ibid. vt ſup. cap. 22.

per cupiditate ſuſpiret. Pannoſas, & biſpidas veſtes paucitas attenuata conciliet; vilia, ac deſpecta frigus indumenta commendet. Durum cubile diù ditatus, raptimque ſopor admiſſus emolliat. Paruipendit quippè ſtrati mollitiem, qui ſolam indultæ quietis cogitat quantitatem; nec cum Sardanapalo plumis innatare penſilibus inbiat, qui peruigiles cum Macario noctes ducere in orationibus intentus anhelat. Deſeratur publicum, hominum fugiatur aſpectus. Scrutentur anguli, remotiorum receſſuum abdita penetrentur. Furtiuæ quippè orationes vim inferunt Cœlo, & indulgentiam capiunt, dum frequenter in tenebris Cœleſti lumine perfunduntur. Illatis contumelijs non vox contumelioſa reſpondeat, ſed aut conuiciantis amaritudinem modeſtia reſpondentis obdulcet; aut ſi hoc facilè obtineri non poteſt, ne iurgium feraliter effluat, irati linguam ſilentij ſaltem cenſura compeſcat. Furentibus nempè ventis nauis ſæpè velificata ſubmergitur; ſi autem antenna deponitur, omnis mox flatuum impetus neceſſe eſt inaniter effundatur. Ictum quippè conuicij ſagitta non inuenit, cum conuiciati mens ſe ſe in humilitate, velut inclinata, deponit.]

8. Denique cunctis in Religionis agone currentibus inſigne eſt, & permaximè neceſſarium, quod docuit, nimirùm: quòd maiora ſemper tententur, vt quæ minora ſunt, reddantur eorum collatione facilia: [*Quod dicere geſtio*, inquit, *tale*

Ibid. vt ſupra Opuſc. 13. c. 11 tom. 3.

tale eſt. Sæpè aqua turbida, vel tepida hoc ſtudio bibitur, vt contempta vini concupiſcentia, perſpicua ſolummodò, vel frigida aqua ſufficere iudicetur. Sæpè cantabritius panis apponitur, vt dum communis appetitur, ſiligineus non quæratur. Cui poſt puluinaria cento non ſufficit, quouis ſibimet ſtramine ſatisfacere poterit, ſi nudum priùs pauimentum lateribus terit. Qui poſt carnes oleum nauſeat, vt ſobrius liquor faucibus ſuauiter ſapiat, ſallitis aliquandiù leguminibus viuat. Quem inſolita delectat equitandi vectatio, intra cellulæ ſe anguſtias colligat, & clauſtrum Monaſterij poſtmodùm forum putat. Qui poſt gebellinam, martorinamue mollitiem, veruecum faſtidit compedem; ſi birros induit, vtrum à peregrinis, an à domeſticis foueatur pellibus, de cætero non diſcernit. Moyſes quippè vt ſimplici mannæ cibo contentus ſit, ne cum cæteris Iſraelitis ſedere ſuper ollas carnium concupiſcat, ab omni cibo, vel potu per duplicem quadragenarij curſum in monte ieiunat. Filij Prophetarum, vt quælibet oluſcula non abhorreant, amariſſimas coloquintidas in ollam concidere non recuſant. Daniel dùm inter rabidos leonum rictus coactus eſt degere, peruerſorum deinceps hominum didicit inſidias non timere. Nabuchodonoſor dum bruti animalis vecordiam tolerat, dum ferarum more, ſaltuum, atque ſiluarum condenſa perluſtrat, formatur, ne de Regalis imperij dignitate ſuperbiat.

biat. Dauid cum à proprio filio à Regalis ſolij ſublimitate deijcitur, ne in Semei extraneum videlicet hominem vindicet, eruditur. Iſaias poſtquam triennio nudus, & diſcalceatus inceſſit, omninò credendum eſt, quia ſuperfluis poſtmodùm, vel mollibus indui non quæſiuit. Quibus alibi hæc addit.

Opuſc.49.c.7. to.3. 9. *Negligentes denique negligenter aſpice, ſtudioſos autem circa animam ſuam, ac vigiles vigilanter attende. Illud ſiquidem, ne aliena mala curioſè dijudices: hoc autem, vt temetipſum ad bonorum exemplar æmulatione ſanctæ imitationis informes. Propone itaque tibi aliquos, egregios videlicet fratres ex totius Conuentu Cœnobij, quorum recta veſtigia tutò valeas imitari: & vt faciliùs poſſis aſpirare quò duco, exemplum tibi de veteribus dabo. Eracleotes Zeuxis magno à Crotoniatis conductus eſt pretio, vt Dianæ ſimulachrum inſigne depingeret, & eius imaginem ad probatiſſimam ſuæ artis induſtriam ſine comparatione formaret. Popoſcit autem omnes vrbis virgines in vno ſpectaculo colligi, vt futuri elegantiam operis ex earum poſſet ſpecie imitari. Sed quia pudicas, & honeſtas virgines in publicum prodire fas non erat, earum fratres ducti ſunt ad Palæſtram, vt ex eorum pictor decore colligeret, quid de ſororum venuſtiori nimirùm pulchritudine iudicaret. Sed quoniam natura non omnes vni pulchritudinis dotes attribuit, vt quòd vni mem-*

Digitized by Google

membro prorogat, alij ſæpè demat; eòque fit, vt vnum, idemque hominis corpus, quòd hìc formoſitate præeminet, illic deformitate laboret; ex omni illo puerorum examine quinque dumtaxat pictor elegit, quos ad compilandam cuiuſque pulchritudinis elegantium præ oculis habuit. Sed quorſum hęc tàm longa narratione protracta? Nimirùm & tu ex pluribus paucos eligas, ad quorum normam interioris hominis pulchritudinem effigiare contendas. Verbi cauſa, ſicut ille ab alio relucentes oculos, ab alio ſubditas aures, ab hoc denique lacteas, ac rubore ſuffuſas mutuatus eſt genas; ita nihilominùs etiam tu ab alio promptam obedientiam, ab alio feruentiſſimam Charitatem, ab iſto pernoctationis excubias, ab illo diuturni ſilentij diſce cenſuram; quatenùs ſicut ille diuerſorum corporum habitudines ad illius ſimulachri ſpeciem tranſtulit; ſic & tu ex varijs ſanctorum virorum virtutibus, vnius in te veri Dei reſtaures imaginem, vt ad eumdem poſtmodum feliciter cognoſcendum reuertaris Auctorem.]

10. Hæc, & alia multa docuit PETRVS Monachos, quæ vel ſupra retulimus, vel erunt infrà referenda, vel melius videre eſt apud ipſum, qui adhuc in ſcriptis ſuis loquitur, vt noſtri temporis Religioſi tamquàm aduenæ, & peregrini, abſtinentes ſe à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduersùs animam, conuerſationem ſuam inter gentes habeant bonam; vt in eo, quod ſæculares in-

ter-

terdùm de illis malè loquuntur, ex bonis operi bus illos conſiderantes, glorificent Deum.

C A P. XXXI.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in propria voluntate; vnde promptiſſima eius obedientia.

1. CVncta igitur exteriora per paupertatem, & ſæculi contemptum deſpexit; nec in mundo habuit quidquam, nec quidquam quæſiuit, niſi quod ad eos pertinet, quos elegit Deus de mundo, & quod non eſt de hoc mundo; verùm & Charitas Dei in illo aliquid in propria voluntate ſuum nec ipſi quærere indulſit, nam fuit in hoc mundo, non vt faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius, qui miſerat eum. Hoc enim ſentiens in ſe, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: PETRVS humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, dum in itinere (vt diximus) per obedientiam arrepto vitam finiuit.

Ex Io. diſcip. Vit. cap. 6.

» 2. [Quidquid enim illi cum obedientiæ ad-
» ditamento præcipi contigiſſet, tanto eius viſcera
» verbum hoc illicò terrore concutiebat, vt nulla
iniun-

„ iniuncti operis difficultate ab ipſius executione
„ retardari valeret; ſicùt ipſe ſuis diſcipulis refer-
„ re ſolebat, cum ſermocinantis occaſio id vide-
„ retur expoſcere, quo ſuo exemplo, velùt ex pro-
„ pinquo, ad obedientiam efficaciùs prouocaret:]
Quapropter de ſuæ Congregationis Inſtitutis ſcribens ad Stephanum Monachum, & mirificæ obedientiæ ſtudium, quo ſuos exercere conſueuerat, exponens, hæc inter cætera refert.

3. [*Sæpè frater de cella ad cellam iubetur habitaturus abſcedere, nec aliquod vtenſilium, quæ ſuo etiam labore ipſe parauerat, permittitur aſportare. Sæpè optantes in remotione quieſcere ad peragendum opus compelluntur exire. Aliquandò claues cellarum foribus ſubtrahuntur, & quàm longo tempore niſi per ſingulos dies Dominicos non redduntur. Aliquando diſtrictam ſibi victus continentiam indicentes, coguntur remiſſiùs viuere, volenteſque reficere, compelluntur è contrario ieiunare. Sæpè poſt ſagmarios frater procùl ire præcipitur: ſæpe diſtrahendi, vel coemendi gratia ad nundinas deſtinatur.*] Opuſc. 15. c. 18 tom. 3.

4. Licet enim tantoperè diligeret corporis mortificationem; tamen illam obedientiæ ſemper ſubeſſe præcepit. Vndè Damiano nepoti (vt diximus) [*Non itaque volo*, ſcripſit, *vt hæc in te laudabilis zeli flamma deferueat; ſeruato tamen, vt indiſcretionis exceſſum, vbi neceſſe eſt, Priorum tuorum grauitas, ac diſciplina compeſcat:*] Epiſtol. lib. 6 epiſt. 22. to. 1.

Opuſ.15.c.19. tom.3. Et alibi: [*Obedientia & bona noſtra commendat, & negligentiæ offenſas excuſat. Vt ergò noſtra ſit remotio, vel afflictio fructuoſa, ſit ſemper obedientiæ ſale condita: & quoſcumque boni operis vita noſtra ramos expandat, in radice ſemper obedientiæ neceſſe eſt, coaleſcat.*] Immò per abundantiam obedientiæ, inopiam pœnitentiæ ſuppleri conſulebat. Vndè ſcribens Deſiderio Abbati Caſ-Opuſc.52.c.17 tom.3. ſinenſi: [*Muſtela*, inquit, *ſicut Phyſici perhibent, per os quidèm concipit, ſed per aurem parit. Cui profectò, ſi dignum ducimus, immundis, ac minuſculis rebus humana conferre, congruè forſitan quoſdam fratres minus quidem ieiunantes, ſed humiliter obedientes poſſumus coaptare. Per oris quippè conceptum intelligimus cibum, ſicut Veri-* Matt. 18. *tas dicit: Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Per auris verò partum ſignatur obedientia, ſicut ſcriptum eſt:* Pſalm. 17. *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, ab auditu auris obediuit mihi. Sunt namque nonnulli fratres, qui vel præ valetudine corporis, vel mentis fragilitate ieiunare vix poſſunt, ſed ad executionem obedientiæ, quæcumque illis iniunguntur, ſeruenter ſe accingunt; & quò validius robur per alimenta percipiunt, eò grauioris obedientiæ labores ferunt. Per os ergò cibum tamquam ſemen delectabiliter edendo concipiunt, cuius cibi fructum cum labore per obedientiam, tamquam per aurem parturientes emittunt. Semen*

ergò

Digitized by Google

ergò, quod per os intrat, per aurem egreditur; quia, vt ita fatear, conceptus eſcæ fructum parit obedientiæ, & quem cibus edendo, velut concipiendo delectat, labor obedientiæ, quaſi parturiendo fatigat. Ille igitur benè ieiunat (dicebat alibi Vir Sanctus,) *qui in die refectionis communibus contentus eſt alimentis: ſi videlicèt dum non eſcarum genere diſcrepat, etiam modum quotidie prandentium non excedat. Nec tamen ieiunijs nimiùm tribuentes, obedientiam, quæ aurea ad Cœlum via eſt, relinquatis.* Opuſ. 13. c. 21. tom. 3.

5. *Dicam non quod aliena relatione cognoui, ſed quod oculis vidi. Pompoſiæ quidam frater erat Raimbaldus nomine, frater videlicet Petri reuerentiſſimi viri, qui nunc apùd Vincentiam Abbatis officio fungitur. Hic itaque adoleſcentiam ſuam crebris conſueuerat edomare ieiunijs, & ſicut in primis auſpicijs famoſæ indolis, in pleriſque ſpecimen dabat. Huic iniunctum erat officium, vt cuidam Teutonico miniſtraret incluſo: qui nimirùm effoſſis oculis, & abſciſſa dextera, iuxtà Eccleſiam poſitus arduam ducebat vitam. Erat autem Regula Monaſterij, vt nemo Clauſtrenſium egrediens loqueretur. Aliquando autem cum Raimbaldus in Capitulo conſtitutus grauiter quereretur, ſe nequaquam poſſe pueris imperitis per ſigna præcipere, vt ſeruo Dei veſtes abluerent, & præſertim, quæ ſibi edulia præpararent; poſtremò aſſerens, atque denuncians, quia niſi ſilentium*

Digitized by Google

frangeret, mandata penitùs ſeruare non poſſet?
E contra vir ſanctus, Abbas ſcilicet Guido, ne ſilentium ſolueretur, vehementer obſiſteret, conſtanterque in auctoritatis ſuæ ſententia permaneret: demum ad hoc poſt multa peruentum eſt, vt ille præciperetur ab adminiſtratione ceſſare, ſibique quieſcere. Sed, ò Diuinæ vltionis accelerata ſeueritas! vix dum dimidiæ horæ curſus elabitur, & ecce Raimbaldus ſuperpoſito dolori digito in gutture ſe eſſe percuſſum lacrymabiliter proteſtatur. Quid plura? Poſt diem, ſi ritè teneo, tertium ſatisfactione facta, & accepta Sancti Patris benedictione, defunctus eſt.] Poſt quæ addit.

6. [*Hoc autem, chariſſimi, domeſticum vobis idcircò retulimus, vt memineritis ſanctam obedientiam pro confidentia nullius pij operis, ſiue religionis aliquando negligendam.*]

Ex Io. diſcip. Vit. cap. 5.

" 7. [Et quia nouerat Vir Dei ſacratius
" fore, quod publica lege taxatur, quàm quod
" inſtitutione priuata dependitur; & quòd gratui-
" ta munera quantumlibet grandia, minimè va-
" leant à mandato legis offerentem abſoluere, quò
" minùs, quæ lege præfixa ſunt, ſtudeat diligenter
" implere: cui nimirùm licet quælibet pro deuo-
" tione adijcere, non tamen inſtituta maiorum
" proprijs amouere;] ideo ſicut ſemper communem abhorruit canonem ſoluere, qui ad iniuſſa quoque ſe conabatur extendere; ita vehementiſſimè redarguit communium Inſtitutionum ſua-

rum

rum violatores Eremitas Gamugenſes, hæc illis mandans.

8. [*Quòd quædam à nobis inter vos regulariter conſtituta, nunc autem obliuioni tradita, ac negligenter omiſſa, & nos mœror non leuis exaſperat, & vos offenſio non parui reatus accuſat. Quod enim, me ordinante, ſemel admitti placuit, niſi me præbente conſenſum, numquam debuit violari. Quidquid enim publica inter multos cenſura ſtatuit, aut à cunctis omninò ſeruandum, aut ſi violari conueniat, communi debet iudicio retractari; alioquin ſi ad perſonæ cuiuslibet arbitrium frangitur, vt graui, dignum eſt, animaduerſione plectatur. Achar nempè filius Charmi quia contra commune mandatum, manus ab anathemate Ierichо non cobibuit, poſt iactus lapidum etiam conflagrationem ignium non euaſit: vt qui facibus incanduerat auaritiæ, flammas quoque propria carne depaſceret in animaduerſione vindictæ. Ionathas autem mortis ſententiam meruit, quia decretum in communione prolatum edendi tempus anticipando mutauit. Homo quoque ille, qui per deſertum præſumpſit in die Sabbati ligna colligere, quia ſolus exceſſit commune mandatum, lapidibus obrutus, ſolus expendit dignæ morte ſupplicium. Non quia crimen eſt in neceſſitate ligna colligere: ſed quia non leuis eſt criminis ſemel admiſſam decreti regulam per inobedientiam violare.*

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 32. to. 1.

Ioſ. 7.

1. Reg. 14.

Num. 15.

9. *Vt autem ex domeſticis quoque præbea-*

mus

Digitized by Google

mus exemplum, in Monaſterio Beati Vincentij, quod non procul à monte, qui dicitur Petrapertuſa, cernitur conſtitutum, hoc tamquàm regulare conſtitueramus edictum, vt ſub diſtricti cenſura rigoris Quadrageſimale celebraretur initium: nimirùm vt per triduum nonniſi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent: nulla niſi lectionum, ſiue ordinum verba proferrent: nudis pedibus lugubres, ac mœrentes incederent, expleto communi modulatione Pſalterio, mutua ſe ſcoparum caſtigatione purgarent. Quod cum fratres voto, & animo, ac ſpirituali iucunditate non ſegniter agerent, & vltra etiam, quod præfixum erat, ſatisſuperque peculio bonæ voluntatis agerent, quidam inter eos extitit, qui clam in edendo Regulam violauit. Erat autem ille frater multis exercitiorum artibus pollens, ſcribendi videlicet, & notandi, tornandi, & inſuper fabricandi, vt hoc illi quodammodò congruere videretur:

Iuuen. Sat. 3. *Augur, ſcœnobates, medicus, magus omnia nouit:*

Atque vt talibus aſſolet, multarum neceſſitatum ſuffulta peritia, quod libebat, plerumque impunè licebat. Cum iam mediante Quadrageſima, ille vegetus, obeſus, alacer, atque robuſtus per omnia videretur, repentè illi leuis, ac temperata grauedinis moleſtia ſuperuenit: at cum ego ad illum gratia viſitationis accederem, illicò venit in mentem, vt ei dicerem, quod me audiſſe contigerat, illum

illum quidem pro quibuſdam offenſionibus non debere ſacroſanctis Altaribus miniſtrare; eum tamen exaſperare formidans, diù, fateor, hæſi, diutiùs deliberaui. Quid plura? Tandem obduraui frontem, arbitrans, ac definiens tutiùs eſſe hominem, quam Dei Omnipotentis offendere Maieſtatem. Aio ergò ad eum: Chariſſime frater Maure (hoc enim nomine vocabatur) confitere, pœnitentiam age, & ſi quid eſt in te, quod fortaſsis à tremenda Miſſarum te celebratione prohibeat, venerabilis tua fraternitas ſacris obtemperare Canonibus non contemnat. Ad quod ille: Peccata mea omnia quàmpluribus ſpiritualibus viris innotui, ſed mandatum, vt à ſacrificandi miniſterio recederem, non accepi. Secunda autem ægrotationis die, vix dieſcente crepuſculo, ecce ille non iacens, ſed ſedens in lectulo Sacramentum Dominici Corporis anxiè flagitabat. Cumque Abbas nobiſcum ſimul ac reliquis fratribus lecto diſcumbens aſſiſteret, cœpit eum corripere, cur videlicet is, qui nulla mortis ſigna prætenderet, tantoperè Viaticum poſtularet. Ille verò nihilominùs in ſua petitione perſiſtens, Sacerdote iam cum Miniſtris accedente, applicans ſibi vnum ex fratribus, neſcio quod graue peccatum confitens, inſuſurrauit in aurem. Continuò ille attonitus, vt poſtmodùm mihi retulit, & certum pœnitendi calculum, quem præfigeret tàm ſubitò neſciens; licèt addubitans, auriculatoriè ſubloquens, quindecim ſibi

annos

annos pœnitentiæ indixit. Mox autem vt ſacroſanctum Myſterium de manu Sacerdotis accepit; heù, proh dolor! horreſco referens; cum felle ſimul & animam exhalauit, quod videlicet fel vſque ad ſepulturam ex ore eius effluere non ceſſauit; adeoùt donec in feretro corpus iaceret exanime, iugiter ſanies illa pauimentum Eccleſiæ longiùs irrigaret: Hoc autem iuxta fidem rei idcircò referre curauimus, vt audiant, & pertimeſcant non ſolùm ij, qui indictam diſciplinæ Regulam per propriæ voluntatis impatientiam frangunt, ſed & illi quoque, qui crimen admiſſum ſub conſcientiæ ſuæ vberibus confouentes, confiteri ad obitum præſtolantur: quia & iſti rei ſunt, qui ſeruanda poſtponunt, & illi debitum peragendæ pœnitentiæ, quod hìc non reddunt, aucto procùl dubio fœnore, in altera duriùs vita perſoluunt.]

10. Præuaricatores igitùr communium obedientiæ legum ſummoperè odio habuit, quia eloquia ſua non cuſtodierunt. Sed nihilominùs admonuit Marinum fratruelem, iuxta tutiſſimum hoc iter ſcandalum nonnullos ponere conſueuiſſe;
Opuſc.49. c.4. tom.3. vndè eidem ſcripſit: [*Illud autem te præcipuè, & ſub diſtricta prorſus animaduerſione præmoneo, ne quorumlibet te fratrum offendant priuata ieiunia. Noui enim quorumdam mihi ſimilium vitia. Nonnulli namque, alijs ieiunantibus, tanto liuoris, atque inuidiæ felle torquentur, vt illorum ſalutem ſibimet in perniciem vertant: & vt*

ita

Digitized by Google

ita loquar, per alieni profectus ſcalam ipſi in præcipitium corruant: Non, inquiunt, licèt agere, niſi quod communis Monaſterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla. Quibus nimirum facilè reſpondetur; quia ſi Regula à regendo dicitur, potiùs ad diſtrictionem ieiunij, quàm ad diſſolutionem, vel ventris pertinere videretur ingluuiem: atque ideò illi inter eos non immeritò maiores ſunt iudicandi, eorumque exempla ſectanda, qui per anguſtam ingredientes portam, ſub ſobrietatis, & arctiori Crucis Chriſti noſcuntur viuere diſciplina.]

11. Illos inſuper abominatus eſt, qui proprio dimiſſo Prælato, coaceruant ſibi vel intra, vel extra Monaſterialia ſepta magiſtros, vt plurimùm, prurientes auribus; & tali pacto, vt ſæpè accidit, à veritate auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur. Vndè ſcripſit ad Pompoſianos: [*Non ibi ſit* (videlicet in Monaſterio) *qui contempto paſtore mercenarium quærat, qui voces alienorum audiat, qui in odij fornace diſcordiæ malleos cudat, qui Regnum Iſrael per ſchiſmatis ſeminarium diuidat. Non eſt, inquit, nobis pars in Dauid, nec hæreditas in filio Iſai.*] Et addit, quòd tamdiù apes in communi mellificant, quamdiù ſub vno Principe perſeuerant. Grues quoque iuxtà vocabulum tamdiù lineatim congruunt, quouſque vnam ſequendo, litterarum vtrimque ordinem non confundant. Et quòd Roma mox vt condita Opuſc. 13. c. 24 tom. 3.

 eſt,

Digitized by Google

eſt, duos etiam fratres ſimul Reges habere non potuit: ideòque prima ſurgentis ſtructuræ mœnia parricidio dedicauit. In Rebeccæ concipientis vtero Iacob, & Eſau, cum necdùm præter materna viſcera veſtes induerent, iam velut loricati bella committebant. Et hoc pro illis, qui in Religioſa Congregatione: Ego quidem, dicunt, ſum Pauli, ego autem Apollo; quaſi diuiſus ſit Chriſtus.

CAP. XXXII.

Charitas PETRI DAMIANI non quærit, quæ ſua ſunt in propria voluntate; idcircò veræ obedientiæ exempla, præconia, modum, & formam docet.

1. ET hìc ad commendandum quànti Beatiſſimus Vir faceret obedientiæ Virtutem, prætereundum non ducimus, quod de venerabili Maioli Cluniacenſis Abbatis, & alterius eius Monachi humilitate, & obedientia ipſe monumentis mandauit.

Opuſc.33.c.7. tom.3.

2. [*A venerabilis planè* (ſcribit Deſiderio Caſsinenſi Abbati) *Cluniacenſis Cœnobij fratribus didiciſſe me contigit inſignia duo ſanctæ humilitatis exempla, quorum vnum non mediocriter quoſq; Prælatos, alterum valet ædificare ſubiectos. Marcuardus certè eiuſdem Rector Eccleſiæ Maiolum ſibimet ſubſtituit, & grandæuæ iam ſenectu-*

ti.

Digitized by Google

ti ſuæ quietis otium procurauit. Hic itaque dum priuatus in infirmorum maneret ædicula, quadam adueſperaſcente die caſeum petijt, quem Cellerarius pluribus, vt fieri ſolet, intentus, non modò dedit, ſed & durum inſuper miniſtrum eius reſponſionibus fregit. Conqueſtus eſt Abbatum turbam, nec poſſe ſe tot Dominorum perferre moleſtiam. Quo ſenex audito, non mediocre ſcandalum pertulit: & quia lumen oculorum prorſus amiſerat, dolor in eius corde tenaciùs hæſit. Nam quo cæcus à viſibus vacat, eò, quidquid audierit, in corde ſubtiliùs verſat, & quia per exteriora quæque non ſpargitur, interiori zeli ſtimulo truculentiùs inflammatur. Manè verò facto, miniſtro ſuo, vt ſeſe ad manum in Capitulo duceret, iuſſit. Adductus autem, talibus Abbatem aggreſſus eſt verbis: Frater, inquit, Maiole, non ego te ſuper me, vt me perſequeris, impoſui: nec vt tamquam emptor mancipio dominareris, ſed vt reuera patri filius compateris, elegi. Et poſt huiuſmodi multa propemodùm commotus adiecit: Es ne, quæſo, meus Monachus? Quo reſpondente: Sum, tuumque me non magis fuiſſe, quàm & nunc eſſe profiteor. Et ille: Si meus, inquit, es Monachus, protinùs cede ſedi, & locum, quem ante tenueras, repete. Quo Maiolus audito, repentè ſurrexit, humilem locum, prout iuſſus fuerat, expetiuit. Marcuardus itaque quaſi poſtliminio reuerſus, vacantem occupat ſedem, Cellerarium, cui fuerat infenſus,

accuſat, quem mox terræ proſtratum duriùs corripit, tandemque modum pœnitentiæ, qui ſibi videbatur, iniungit. Perfunctus itaque tam longi tribunatus officio, præſtò dethronizatus aſſiſtit: Maiolo, vt ad ſuam ſedem redeat, præcipit. Ille confeſtim nil cunctatus obedit.

Ibid. vt ſupra cap. 8.

3. *In hoc igitur Sancto Viro* (ſubijcit PETRVS) *euidenter oſtenditur, & veræ virtus obedientiæ, & Monachicæ mortificatio diſciplinæ. Verè in eo cernitur & imperialis patientiæ dignitas, & Apoſtolicæ humilitatis regnare maieſtas. Iuſſus enim Prioratus officium abijcere, non contempſit; iuſſus recipere, patienter, & humiliter obediuit: vtrobique ſibimet mortuus, & conſumatæ obedientiæ loro conſtrictus, dum alienis omninò ſe ſubſtrauit imperijs, nulla proprij ſenſus in ſe viuere vota permiſit. Sed quoniam tanta beati viri humilitas ſterilis eſſe non potuit, quod prius de Spiritus Sancti rore radix ipſa concepit, prorumpentium ramorum germen pullulando diffudit.*

4. *Vir itaque Domini venturus aliquando Romam, præcepit cuidam fratri, vt ſecum pergeret, quia ſicut rogatus fuerat, cum in Monaſterio Sancti Pauli Priorem conſtituere decreuiſſet, ille nonnulla difficultatis obſtacula reluctatus oppoſuit, & modò hoc, modò illud, tandem obſtinatus obedire contempſit. Maiolus autem inobedientiam fratris æquanimiter tulit, eoque relicto iti-*

iti-

Digitized by Google

itinere, quod decreuerat, commeauit. Cumque frater in Monaſterio per inobedientiam remanſiſſet, & reliqui fratres in eum vehementer inueberent, ac tam obſtinatæ duritiæ peruicaciam vnanimiter increparent; tandem in cor reuerſus, aduersùs propriam voluntatem in arma congreditur, ſalutaris obedientiæ telis accingitur, & mox ſupernæ gratiæ feruore ſuccenſus, beati viri veſtigia perniciter comitatur. Sed dum ille neſciens cœpto itinere graditur; hic verò poſt eum feſtinanter accelerat, & anxius, ac repentinus anhelat; mox ad quemdam fluuium peruenit, cuius vir Domini iam vada tranſierat, & ſuper ripam adhuc alteram conſiſtebat.

5. *Cum itaque Monachus in citeriori ſe fluminis crepidine figeret, quoniam abſente nauigio tranſitum non haberet, videns procul aſtare magiſtrum, quod ſolùm potuit, preſtò corruere in terram, ſe humiliter ſtrauit; & quia veniam deprecans, per oris organum fortè non poſſet audire clamorem, de toto corpore linguam fecit. Quod dum eminùs Maiolus aſpexit, quid hoc eſſet, incunctanter agnouit, moxquè miſſo remigio, tranſferri ad ſe Monachum fecit. Quem præſto vir Dei, ad quid veniſſet, inquirit; at ille ſimul & de præteritis veniam deprecatur, & impleturum ſe de cæteris quidquid iniungeret, pollicetur. Tunc ille: Vis, inquit, abſque dubio pœnitentiam? Quo reſpondente: Volo; protinùs addidit: Huic*

igi-

Digitized by Google

igitur oſculum præbe. Nam caſu tuberoſæ cutis illic leproſus aſtabat. Ille confeſtim in eius oſculum ruit, moxque lepra mundati corporis prorsùs euanuit. Sic ſancta obedientia fructum ſuæ humilitatis inuenit, dummodò veniam ſe corrigendo promeruit, ſed & ſignum inſuper tàm perſpicuæ virtutis oſtendit; & cui ſuperbia penè potuit apoſtaticam inferre perniciem, humilitas dedit Apoſtolicam exhibere virtutem.] Hucuſque PETRVS, qui deindè hanc memorabilem ſententiam ſubiungit. [*Verum quiſquis obedientiam prædicat, illi ſummoperè cauendum eſt, vt eum nota rebellis inobedientiæ non inurat. Nam vbi diſtat opus à labijs, fœdatur nomen auctoris: quoniam qui idipſum, quod ore ſtatuit, factis oppugnat, legem procùl dubio deſtruit, quam promulgat. Quapropter ipſum obedientiæ deprecor, & humilitatis Auctorem, vt in proximo dignetur à me huius infamiæ probra repellere &c.*] Quod & fecit; nam, vt ſupra vidimus, licet ſenio confectus, Caſſinum petijt, & Abbatis Deſiderij iuſſioni etiam cum ſui periculo obedire non renuit; vndè Dominus obedientiam eius & miraculis illuſtrauit.

6. Duo verò prænotauit Vir Beatiſſimus, caſtificans animas in obedientia: nimirum, quod in his, quæ ſecundùm indulgentiam permittuntur, magis placet ſæpè diſcipulus, ſi iuſſionem ſimpliciter præterit, quàm ſi promptus obedit. Et aliud ex illo educitur, quod ſcripſit Damiano nepoti,

Epiſtol. lib. 6. epiſt. 23. to. 1.

qui

qui iuſſu Prælati ſui, pro diſcendis Eccleſiaſticæ cantilenæ modulis quoddam Beati Bartholomæi Monaſterium, relicta Eremo, ingreſſus fuerat,

7. [*Quam culpam* (ſcripſit) *nolo diutiùs inſequi, quæ, ſicut credo, non ex inconſtantia tuæ leuitatis erupit, ſed ex temeraria iubentium cautela proceſſit; præſertim cum mihi frater Vbaldus dixerit, quoniam inuitus, atque coactus, vix tandem huic præcepto conſenſeris. Ad Eremum ergò, chariſſime fili, ſub omni celeritate reuertere, ne dum Monaſterialis adoleſcentiam tuam latitudo delectat, Eremi diſtrictio per obliuionem deſuetudinis quandoque, quod abſit, & in odium veniat.*] Epiſtol. lib. 6. epiſt. 12. to. 1.

8. Ex quibus in primis colligitur, quòd numquàm vbi animæ bonum periclitatur per obedientiam malum fieri, aliquandò debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti. Neque enim mala in Paradiſo arbor extitit, quam Deus homini, ne contingeret, interdixit. Sed vt melius per obedientiæ meritum homo benè conditus creſceret, dignum fuit, vt etiam à bono prohiberetur: quatenùs tantò verius hoc, quod ageret, virtus eſſet, quantò & à bono ceſſans, Auctori ſuo ſe ſubditum humiliùs exhiberet. Sed notandum, quod illic dicitur: Ex omni ligno Paradiſi comedite, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne tetigeritis. Qui enim ab uno quolibet bono ſubiectos vetat, neceſſe eſt, vt multa concedat, ne obedien- Ex D. Greg. Moral. lib. 35. in 42. cap. Iob. tom. 2.

dien-

tis mens funditùs intereat, ſi à bonis omnibus penitùs repulſa ieiunat. Omnes autem Paradiſi arbores ad eſum Dominus conceſſit, cum ab una prohibuit, vt creaturam ſuam, quam nolebat extingui, ſed prouehi, tantò faciliùs ab vna reſtringeret, quantò ad cunctas latiùs relaxaret. Sed quia nonnumquàm nobis huius mundi proſpera, nonnumquàm verò iubentur aduerſa: ſciendum ſummoperè eſt, quòd obedientia aliquandò, ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt: aliquandò autem, ſi de ſuo aliquid non habeat, minima. Nàm cum huius mundi ſucceſſus præcipitur, cum locus ſuperior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem euacuat, ſi ad hæc etiam ex proprio deſiderio anhelat. Neque enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ proſpera libidini propriæ ambitionis ſeruit. Rurſùm cum mundi deſpectus præcipitur, cum probra adipiſci, & contumeliæ iubentur, niſi ex ſeipſo animus hæc appetat, obedientiæ ſibi meritum minuit: quia ad ea, quæ in hac vita deſpectà ſunt, inuitus, nolenſque deſcendit. Quæ nimirùm omnia mirabiliter docuit, & mirabiliùs egit Venerabilis PETRVS, qui in ſua obedientia, & in aduerſis ex ſuo aliquid habuit; & rursùm in proſperis ex ſuo aliquid omnimodè non habuit; vndè illa in aduerſis tantò fuit glorioſior, quantò Diuino ordini etiam ex deſiderio coniuncta fuit, & in proſperis tantò fuit verior, quantò à præſenti ipſa, quam diui-

Digitized by Google

diuinitùs percepit gloria, fuit funditùs ex mente ſeparata. Nouus enim Moyſes ad proſpera de ſuo nihil habuit: quia ſicut ille precibus renuit, ne Iſraeliticæ plebi præferretur; ſic iſte Epiſcopatus, & Cardinalatus honores ex animo recuſauit. Et nouus Paulus ad aduerſa etiam ex ſuo voto ductus fuit: quia ſicut ille malorum imminentium cognitionem percepit, ſed deuotione ſpiritus etiam ad acriora ferbuit; ſic iſte, Deo aſpera, & dura diſponente, pro eius Eccleſia ſe ſtuduit ad grauiora præparare. Ideò proſperis ſæculi ex ſola iuſſione, aduerſis verò etiam ex deuotione militando, verus obediens victorias loquutus eſt.

C A P. XXXIII.

Charitas PETRI DAMIANI quærit, quæ Ieſu Chriſti in feruentiſſimo Beatiſſimæ Virginis Matris eius cultu, & obſequio.

1. CHaritas igitur in PETRO DAMIANI patiens fuit, non æmulabatur, non agebat perperàm, nec quærebat, quæ ſua erant, neque in corpore, neque in exterioribus, neque in ſua ipſius voluntate; ſed in omnibus, quæ Ieſu Chriſti. At quid magis Ieſu Chriſti, quàm illa, de qua ipſe natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus? Conſequens igitur fuit, vt in ijs, quæ Ieſu Chriſti, illius gloriam potiſſimùm quæreret, quæ ipſius eſt vna Columba, perfecta eius, immacu-

Digitized by Google

lata eius; quam videntes filiæ, Beatiſſimam prædicauerunt; Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam; & quæ tandem ex cunctis filiabus, quæ congregauerunt diuitias, ſupergreſſa eſt vniuerſas.

2. Hic tamen repetenda non ducimus, quæ ſupra retulimus, quomodò nimirùm quæreret inter gentes gloriam eius, & adinuentiones eius in populis, in propagatione, & inſtitutione horarij Officij, & Sabbati ipſius almæ Genitricis; ſed tantùm perpauca ponenda ſunt, quæ ad amplificandum eius cultum ſcriptis mandauit; & præcipuè nonnulla, ex quibus conijci poteſt, quantum quæreret illam in toto corde ſuo, quæreret illam, & confirmaretur, quæreret faciem eius ſemper.

3. In illa enim (liceat dicere) confirmatus eſt ex vtero: de ventre matris ſuæ illa fuit protectio ipſius, in eo cantatio eius ſemper; repletum namque eſt os eius laude, vt cantaret gloriam illius, tota die magnitudinem eius: [*Beata Dei Genitrix Maria* (inquit quodam in loco) *templum Dei viui: aula Regis æterni: ſacrarium Spiritus Sancti. Tu Virga de radice Ieſſe: tu Cedrus in Libano: tu Roſa purpurea in Iericho: tu Cypreſſus in monte Sion: quæ ſingulari priuilegio meritorum, ſicut neſcis in hominibus comparem, ita nihilominùs & Angelicam ſuperas dignitatem. Cui nouo, & inaudito miraculo datum eſt, vt Verbum, quod ante ſæcula Deus genuit, fieret Filius tuus; & homo, quem tu in fine ſæculi genuiſti,*

Ex Offic. B. Virg. ab ipſo cōpoſito Lect. j. ad Matut. tom. 4.

verus,

Digitized by Google

verus, atque perfectus eſſet Filius Dei. O glorioſa Ibid. Lect. ij.
puerpera, in qua ſola reperitur fœcunda virginitas: quæ ſic ex intemeratis viſceribus Filium protuliſti, vt illibatæ pudicitiæ integritas creſceret, non libido virginalis clauſulæ ſignaculum violaret. Tibi Spiritus Sanctus, dùm conciperes, obumbrauit: non vt ipſe, quod abſit, in ſanctiſſimo vtero tuo fieret pro ſemine ſobolis, ſed vſus eſt potiùs virtute, ac potentia Creatoris. De te ſummus Pontifex noſter ſui corporis hoſtiam ſumpſit, quam in ara Crucis pro totius mundi ſalute ſacrificium obtulit. Tu lux oriens Nazareth: tu gloria Ieruſalem: tu lætitia Iſrael: tu decus mundi: tu nobilitas populi Chriſtiani. O Regina Ibid. vt ſup. Lect. iij. n. 51.
mundi, ſcala Cœli, thronus Dei, ianua Paradiſi, audi preces pauperum, ne deſpicias gemitus miſerorum. Inferantur à te vota noſtra, atque ſuſpiria conſpectui Redemptoris, vt quæ noſtris excluduntur meritis, per te locum apud aures Diuinæ obtineant pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapſos, ſolue compeditos. Per te ſuccidantur vepres, & germina vitiorum, præbeantur flores, & ornamenta virtutum. Placa precibus Iudicem, quem genuiſti ſingulari puerperio Saluatorem: vt qui per te factus eſt particeps humanitatis noſtræ, per te quoque nos conſortes efficiat Diuinitatis ſuæ.]

4. Nec tantùm ſoluta oratione locutus eſt, ſed etiam, audiente fidelium vniuerſo cœtu filio-

Digitized by Google

rum Iſrael, cecinit Dominæ ſuæ verba carminum; & ad finem vſque compleuit; quorum, cum quamplurima ſint, nonnulla tantúm, quæ eius in Sanctiſſimam Dei Genitricem fiduciam, ſpem, & charitatem oſtendunt, & deuotioni legentium magis congruere videntur, hìc ponere duximus. Cantabat igitur Dilectæ ſuæ paracterieum canticum illud:

Eodem tom. 4. num. 65.

6. [*Scala, thronuſque Dei, nitor Orbis, ianua Cœli,*
Mater aue Chriſti, ſcala thronuſque Dei.
Tu noua Stella maris, qua lux eſt reddita terris;
Ortus & es Solis, tu noua Stella maris.
Concipis abſque viro, tu ſola puerpera Virgo:
Quæ Verbum verbo concipis abſque viro.
Tartara quod metuunt, tellus pauet, aſtra verentur,
Pectoris antra ferunt, Tartara quod metuunt.
Virgine vita redit homini, quem virgo peremit;
Mors nece victa perit, Virgine vita redit.
Tu ſuper aſtra leua, petimus, quod ſubruit Eua;
Illa grauat culpa, tu ſuper aſtra leua.

Gloria

Digitized by Google

Gloria ſumma Patri, genitæ ſit gloria Proli,
Flamine cum parili, gloria ſumma Patri.
Amen.]

7. Et alibi luculentiùs decantans gloriam, & magnitudinem ipſius Deiparæ, exclamauit.

[*O Genitrix Æterni*
Virgo Maria Verbi,
Quæ vox, quæ lingua carnis
Par erit tuæ laudi?
Tu noua maris Stella,
Celſa Poli feneſtra,
Scala, quæ Cœlum terris
Iungis, ima ſupernis.
Immenſum concepiſti,
Parentem peperiſti;
Fit factor, & factura,
Creans, & creatura.
Quem mundus ferre nequit,
Totum vulua concepit;
Quo circuitur æther,
Puellæ clauſit venter.
Serui forma indutus,
Diuina non exutus
Suſcepit quidem tua,
Sed non amiſit ſua.
Oritur ortus rerum,
Fit antiquus dierum:

Digitized by Google

Orbis origo cœpit,
Factus ex his, quæ fecit.
Conceptus fœcundauit,
Natus non violauit,
Intrauit, & exiuit;
Sed clauſam dereliquit.
Tu Aaron es virga,
Fœcunda, licèt ſicca;
Quæ germen protuliſti,
Sed Virgo permanſiſti.
Te rubus prælucebat,
Qui ardens non ardebat:
Qui ſine æſtu mentis
Fructum dediſti ventris.
Et antè partum Virgo,
Sed poſt virginum Virgo:
Creuit in ortu prolis,
Integritas pudoris.
Eſt Angelorum cibus
Tuo lacte nutritus:
Qui mari præbet vndas,
Papillæ ſugit guttas.
Geris in ſinu prolem,
Qui terræ librat molem
Foues, à quo foueris;
Seruas, à quo tueris.
Blandire Mater charo,
Qui te creauit, Nato:
Oſcula grata fige,

Fa-

Faſcijs membra cinge.
Amplectere Cœleſtem,
Quem genuiſti, Regem;
Cui ſeruit Sol, & Luna,
Et omnis creatura.
Chori Virtutum tremunt,
Quem viles panni tegunt.
Pauet Cœlum, & Terra,
Quem baiulat puella
Vagit in ſinu matris,
Regnat in throno Patris:
Legem Matris obſeruat,
Mundi iura gubernat.
Tu fontis fons viuentis,
Oriens Orientis;
Liber ille ſignatus,
Victori viro datus.
Tu porta templi clauſa,
Superni Regis aula,
Ærarium talenti,
Per quod ſumus redempti.
Hortus deliciarum,
Odor ſuauitatum:
Tu ager ille plenus,
Cui benedixit Deus.
Ex te bonus egreſſus,
Qui Crucis prælo preſſus,
Vino rigat arentes
Sancti Spiritus mentes.

Es

Digitized by Google

Es & terra Cœleſtis,
Ferax lactis, & mellis,
Ex qua Veritas orta
Tollit errorum dogma.
Arcem nobilitatis
De prole ſtirpem trahis:
Filia quidem Regum,
Sed Mater Regis Regum.
Salue iam Virgo fœta,
Aue gratia plena:
Noſtrum aue digneris,
Vt illud Gabrielis.
Ille dum te ſalutat,
Euæ nomen commutat:
Reduc nos Virgo ſancta,
Vndè eſt nequam lapſa.
Tu ſolue, quod debemus.
Auerte, quod timemus.
Impetra, quod optamus.
Perfice, quod ſperamus.
Sit laus Trinitati,
Sit decus Vnitati,
Cui lex, & ordo rerum
Per omne patet æuum. Amen.

8. At quis non videt ex his, & alijs carminibus Beatiſſimi huius Vatis, in omnibus, quę in figura contingebant, de Sanctiſſimæ Virginis laudibus diſputaſſe (ſi fas eſt dicere) à cedro, quæ eſt in Libano

Libano vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruiſſe de cunctis, quæ gloriam, & magnificentiam Regni eius, quæ eſt Cœli, & terræ Regina, amplificare potuerunt? Non enim erat, quod eum magis delectaret, ſed nec quod terreret magis, quàm de glorioſa Virgine Maria habere ſermonem. Ineffabile tamen priuilegium meritorum eius, & prærogatiua penitùs ſingularis, tanto cor eius reuerentiali quodam timore ſuffundebat, vt vereretur ſcrutari maieſtatem, ne opprimeretur à gloria; & licèt de ea aliquando loqui geſtiret, quidquid tamen de indicibili dicebat, eo ipſo quod dicere poterat, minus gratum, minus placitum, minuſque acceptabile eſſe ducebat. Præterire tamen non potuit prodigia eius, quorum memoriam in ſuis Opuſculis frequenter habet. Et adhuc mortuus mundo, vt ſupra vidimus, tamen gloriatur ſe vigilare ad fores eius quotidie, & obſeruare poſtes oſtij illius, in qua viuens repoſuit omnem gratiam viæ, & veritatis ſuæ, & omnem ſuæ ſpem vitæ, & virtutis. Quomodò enim dilexit eam in vita, ſic & in morte ab illa non eſt ſeparatus, & elucidans eam, habuit vitam æternam.

Ex D. Bernard. ſerm. 4. de Aſſ.

Vid. opuſc. 33. Mirac. B. V. cap. 2. 3. 4. & opuſc. 34. c. 3. & 4. & alibi.

9. Tandem ad ædificationem Fidelium hìc addendum eſt, quod ipſe docuit, nimirùm quòd, vt impetrent eius orationis ſuffragium, non deſerant conuerſationis exemplum. Nam poſtquam oſtendit, quòd Beatiſſima Virgo eſt Stella, addit, quòd in ipſa quatuor principaliter attēduntur: Stel-

Serm. 11. in Epiph. Dom. tom. 2.

la.

la enim igneæ naturæ eſt; Stella in ſe lucida eſt, & clara; Stella ex ſe radium emittit; Stella in nocte lucet: Quæ omnia, inquit, in Stella noſtra, ideſt in Virgine Maria poſſunt inueniri. Stella quippè apparet ignea;& ipſa Virgo Maria igneæ naturæ fuit. Ipſa ſiquidem fuit rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moyſi,qui videbatur ardere,ſed non comburebatur; quia grauida quidem apparuit Virgo, ſed igne libidinis conſumpta non fuit. Ipſa in ſe ſplendida eſt, & clara, adeò vt de ea ſcriptum ſit in Canticis Canticorum: Quæ eſt iſta, quæ progreditur, ſicut Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol? Ipſa ex ſe radium illum emiſit, qui penetrat vſque ad cordis ſecreta. Vndè Maria Stella maris interpretatur: & cum mare hic mundus ſit, ſicut ſcriptum eſt: Hoc mare magnum, & ſpatioſum, illic reptilia, quorum non eſt numerus; meritò ideò Stella maris dicitur, quia ipſa tamquam ſidus ſingulare refulſit in mundo, & eius ſplendor illuminat mundum, & ex ſe radium illum emiſit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ſicut radius procedit à Stella, Stella integra permanente: ſic Filius ex Virgine, virginitate inuiolabili perdurante. Stella lucet in nocte: & ipſa Virgo in nocte huius ſæculi ſingulariter fulſit, ſecundùm quod de ea ſcriptum eſt: Quæ cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. Talis eſt Stella Virgo Maria: talis eſt Stella maris: & quia reliquit nobis exemplum,

Exod. 3.
Cant. 6.
Pſalm. 103.
Ioan. 1.

Digitized by Google

plum, vt ſequamur veſtigia eius, talis etiam debet eſſe anima noſtra.

10. Oſtendit idcircò, quòd & nos eſſe debemus igneæ naturæ, vt ſit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terram: vt ignis ille, qui erat flammigerans in oſſibus Ieremiæ, accendatur in conflatorio cordis noſtri, iuxta quem ſedet Dominus purgans, & emundans filios Leui. Inde ait, quòd & nos ſimus clari, & fulgidi, vt aſpiret nobis dies, & inclinentur vmbræ: & deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, induamur nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt; vt ſi fuimus aliquandò tenebræ, nunc ſimus lux in Domino; & induti armis lucis, ambulemus honeſtè, ſicut decet ambulare in die. Et addit, quòd emittendus eſt etiam ex nobis radius bonæ operationis, quia ſcriptum eſt: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, quia nempè lucernas ardentes in manibus portamus, cum proximis noſtris per exemplum bonæ operationis lucemus; vt cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat, veni; & ſic luceat lux noſtra coram hominibus, vt videntes opera noſtra bona, glorificent Patrem noſtrum, qui in Cœlis eſt, & currant multi in odorem vnguentorum noſtrorum.

Luc. 12. Malach. 3. Cantic. 2. & 3. Coloſſ. 3. Epheſ. 5. Rom. 3. Luc. 12. Ex D. Greg. homil. 13. in Euang. Matth. 5.

11. Demum, inquit, quòd ſicut Stella lucet etiã in nocte, ita nos in nocte huius ſæculi lucere debemus, ſecundùm quod dictum eſt: Inter quos lucetis quaſi luminaria fixa in firmamento; & contra hære-

Philipp. 2.

ticorum tenebras ſapientiæ lumine ſplendere, Cant. 2. quia ſcriptum eſt: Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini; propter quod Dominus, ait: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Et tandem terminat Matt. 10. dicens, quòd ad verum Solem poterimus peruenire, ſi Virginis, & Stellæ noſtræ veſtigia fuerimus imitati.

FINIS TOMI SECVNDI.

Digitized by Google

005557526


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google